6
40-c
21

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
31 A
30

[B]ibliotheca
Coll. Rom.
[Soc]et. Jesu

23-d-11

23
d
6

23.5.D.

6-40-C-21

Q. MARII CORRADI,

EPISTOLARVM

LIBRI VIII.

INDEX EORVM, AD QVOS MISSAE SVNT EPISTOLAE.

Coll. Rom. Soc. Iesu
Cat. inscr. B-5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
Apud Ioannem Andream Valuaſſorem.
M D L X V.

lib. Josephi Bozij

CAROLO BORROMAEO CARDINALI AMPLISS.

VRITANORVM PRINCIPI,

Q. MARIVS CORRADVS

S. P. D.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

IVlivs Conſtantinus familiaris tuus Vriam proficiſcens, unde aberam diei iter, mihi de uoluntate ſumma in te Philippi Regis, & mandatis, quæ à te haberet, nunciauit. Non dico ex ijs, quanta uoluptate ſim affectus, quanta ſpes mihi ſit iniecta, aliquam poſthac nobis fore ciuitatem. Itaque & Iulij ſermonibus, quem eſſe nocte una apud nos coegi, quùm ea intelligerem, quę mihi noſtrisque ciuibus ne optare quidē uenifſet in mentem, uehementer genus aliquod officij mei in te extare cupiebam. Vnde autem ego tibi, iſta fortuna, dignitate, & rerum omnium amplitudine, afferre aliquid poſsim, niſi ex noſtris literis? Hic uerò non incommodè illud accidit, quod paucis an-

te diebus, hos epiſtolarum libros nemini dicatos edere cæpiſſem, ut niſi anguſtia temporis librariorum feſtinatio, aliudúe impediret, integrum eſſet mihi quidem, de re melius cogitare. Itaque conſilium neceſſariò mutaui meum: ut, qui fugiendam antea ſpeciem adulationis quandam, arbitrarer, nec meis in libris quenquam, niſi meos æquales, nominari uellem; deinde mihi debitum prætermittere officium uiderer, niſi hoc muneris, quantulum eſt, tibi donare uoluiſſem. Nunc aliud non erat, quo pleniùs tibi gratificarer, aut lautiùs; cui tamen ualde ſpero hanc meam cupiditatem honorandi tui gratiſſimam fore, etiam ſi minora prẹſtitiſſem. Ea eſt enim liberalitas ingenij tui, ſic de te ſentiunt omnes & loquuntur, ut gradu iſto honoris ampliſſimi, & auunculo Pio Pont. Max. propter eximias uirtutes & magnitudinẽ animi, grati præſertim & memoris, te digniſſimum eſſe prædicent. Neque uerò aliquid nunc habeo, quod mea cauſa potiùs, quàm ciuitatis noſtræ meminiſſe te uelim, ut ſtatum eius, Principum aliorum negligentia, &

ciuium

ciuium ipſorum ſocordià labefactatum, ijs tantum rebus tueare, quę nullos neque labores, neque ſumptus requirunt; ſed ſtudium boni Principis, & nonnullam ſæpius uel ſeueritatem imperij, uel auctoritatem, ſignificationemque uoluntatis tuæ. Homines enim eiuſmodi ſunt, qui ſtatim iuſſi pareant; negligant autem maxima omnia, ſuique ipſorum obliuiſcantur, niſi urgeas; præterea tamen pro tenuitate opum & fortunæ minimè ſordidi, faciles, & humani. Ipſa uerò Vria (quod nemo ignorat) ab heroicis uſque temporibus, omnium antiquiſſima eſt urbium Iapygiæ, à Cretenſibus condita; clara quondam opibus, armis & imperio, quod in cæteras peninſulæ urbes tenuit; proprijs literis, & lingua, quam uniuerſæ regioni dedit; & potentiſſima regum ſedes Meſſapiorum. Nunc denique illud ſperamus, Philippo Regi diuinitùs immiſſam fuiſſe uoluntatem donandæ tibi noſtræ ciuitatis: ut, ſiqua ſunt adhuc, non regni illius uetuſtiſſimi reliquię, ſed recentioris ueſtigia dignitatis; hæc per te nobis ab interitu, ad quem fluunt quotidie uindica-

ta, ſeruentur. Sed me uel dolor ex patriæ ruinis, uel certa ſpes ex humanitate tua lor ge à meis libris abduxerat: quos alia quæ dam fortaſſe non leuior fuit cauſa, cur dic tos tibi eſſe uoluerim, quòd uidelicet in literatiſſimorum hominum familiariũ tuorum numero poni me, pulcherrimum eſſe iudicaui. Narrauit enim mihi Iulius Conſtantinus homo prudens amantiſſimusque noſtri, & ſtudio ac fide in te ſingulari, eſſe ti bi cariſſimos domi, ingenio, doctrinis & eloquentia præſtantes uiros: quorum laudibus ita ſum ab illo incenſus, ut mihi antiquiſſimum fuerit in iis uideri eſſe ſtudioſis, doctiſque hominibus, qui obſeruantia in te, aut genere aliquo officij ſe tuentur. Nunc uerò quum ſubitò mihi de te ac fortuna ciuitatis noſtræ eſſet allatum, nihil ha bui in promptu (ut dixi) quod eſſet grauius ad illud obtinendum à te, quod mihi putaui eſſe præcipuum debere: &, quicquid hoc eſt, non dignitati, aut amplitudini, ſed facilitati humanitatique tuæ à me tributum exiſtimabis. Vale.

INDEX EORVM, AD QVOS MISSAE SVNT EPISTOLAE.

ALDO Manutio. Epiſtola 181. 205. 217. 221. 233.
Antonio Mileto 86. 162. 165. 170. 210.
Antonio Iacobio 30. 31. 32. 36.
Aloiſio Hæredio 153
Angelo Maſſarello 147
Antonio Marinario 196
Auguſtino Griſio 64. 65.

Braccio Martello 98. 118.
Braccius Martellus, Mario Corrado. 116
Bernardino Balduino 163. 164. 167

Caſtorio Sorano 213
Camillo Petrarolo 220
Carolo Sigonio 189. 207. 231. 235.
Carolo Bouio 193. 194. 197. 198. 199. 201. 202. 223. 230. 237.
Carolo Carrafæ, M. Antonij Vulpij rogatu 114
Clementi Valuaſſori 236
Cornelio Muſſo 174. 177.
Cæſari Bouio 136

Decio Romano 209
Delphino Tarentino 83
Donato Rullo 37. 27. 28.
Donato Argentario 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 115. 120. 121. 122. 123. 125. 126. 127. 131. 135. 141. 145. 146. 149. 152. 157. 161. 169. 182. 183. 184. 185. 186. 190. 191. 203. 204. 226. 229.
Donato Caualerio 171

Fabio Latomo 66. 134. 238.
Franciſco Strateio 19. 20. 21. 29. 129.
Franciſco Antonio Strateio 67. 68. 72. 73. 175. 176.
Franciſco Girardo 225

Gabrieli Rugerio 34

Hugoni Portenſi 9

Iacobo Moroneſſæ 22
Ioanni Metello Sequano 3. 5. 7. 13. 18.
Ioanni Angelo Crottę 12. 14. 15. 16. 17
Ioanni Baptiſtæ Varino 37. 63.
Ioanni Baptiſtæ & Vincentio Varinis fratribus. 35. 56.
Ioanni Baptiſtæ Caſsimirio 39. 40. 41. 42. 43. 44.

44. 45. 46. 47.
Ioanni Franciſco Rubeo 74. 178.
Ioanni Paulo Vernalioni 160
Ioanni Iuueni 192
Ioanni Antonio Palliæ 96. 218. 228. 232.
Ioanni Bernardino Bonifacio 93. 98.
Iulio Cæſari Loffredo 208

Leonardo Clementi 142. 144. 166.
Lucio Sancto Fouetano 79. 81. 82.
Ludouico Grauinæ 200

Marcello Corrado fratri 1. 2. 33. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 60. 61. 62. 70. 71. 77. 78. 84. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 124. 130. 137. 138. 140. 143. 214. 227.
M. Antonio Vinciguerræ 25. 26. 48. 58. 59. 69. 75.

Nicolao Scæuolæ 4
Nicolao Craſſo 95. 132. 151. 159.

Paulo Iouio 8
Paulo Manutio 80. 117. 128. 139. 168. 172. 173. 179. 180. 187. 188. 206. 212. 215. 222. 239.
Petro Paulo Straboni 85
Petro Perpiniano 216. 224. 234.
Pompeio Palatino 150. 158.

Romulo Amaſæo	6
Sebaſtiano Gryphio	11.
Sebaſtiano Thomaſino	76
Sergio Paſaniſio	94. 211.
Scipioni Antelmo	218
Scipioni Aleandro	195
Scipioni Granapheio	97. 119. 133.
Thomę Badiæ Cardinali	10
Theophilo Zymaræ	23. 24. 148. 155. 156.
Vincentio Varino	38. 57.

EPISTOLARVM Q. MARII CORRADI

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LIBER PRIMVS.

Marcello Corrado fratri, Vriam. I.

A*PVD Metellum dies xx. fueram ſatis hilariter. iuuenem cõmodiorem adhuc non uideram: ſed illum tibi deſcripſi ſuperioribus literis; quas te credo iam accepiſſe. hic profectionem hactenus meam remoratus eſt. Sed nimis longum eſſe uideo totam hîc æſtatem expectare. non enim ante Septembrem Pontifex cum Senatu ex Gallia reuertetur, niſi qui tumultus; aut rumores de barbarorum claſſe percrebreſcent. nam adhuc minus commodè Neapoli; Formijs; & Caieta; quum hæc ſcriberem; literæ afferebantur: ſed me non puto ex hoc metu ſperare aliquid debere; & hîc opinio eſt hominũ; his nuncijs Principem non permoueri. itaque eram poſtridie mane me daturus in uiam. Crede, frater, aliud conſilium; quod caperem; non fuiſſe: cogebar etiam Flauij; Crottę, & amicorum literis. Quare tu; quoad potes; matrem confirma. eſt enim profectio nunc quidem noſtris rationibus ualde accommodata; reuerſio autem poſt quatuor menſes, neceſſaria. Interim ſcio meas literas maximè à uobis expectatum iri. ſed te*

etiam

etiam rogo, frater, omnes uias perquire ad me ſcribendi. Nam & mihi omnes curę eſtis, non minus, quàm ego matri; & me iter impediet, quin diebus aliquot ualde ſæpe ad te ſcribam. Tuæ autem ad me literæ ſic rectiſsimè perferentur. Antonius Auguſtinus eſt Romæ duodecimuir litibus iudicandis. huius in domo ad campum Martium frequens eſt Metellus, qui utriusque noſtrûm literas curabit. quicquid à te ad hunc peruenerit, mihi ipſi redditum putabis. Ego me nouem diebus hoc iter puto eſſe confecturum: tum literas de meis rebus, et ſpe perficiendi, quæ uolumus, ad te mittam; quòd ſi non ſtatim fiet, uos nihil ſuſpicari uelim. Nam Badia Cardinalis, Roma quum proficiſceretur, Mutinæ eſſe cupiebat, puto etiam Ferrariæ; quò ſi nondum acceſsit, ne dubitâris me comitem illi fore. Quum redierimus, curabo, quæ neceſſe eſt; & crebris tecum literis agam. Tu mihi, uide in care, ut par eſſe poſsis. Vale, mi frater, & ſalue. Romæ. Id. Mai.

Marcello Corrado fratri. Vriam. II.

ROGO te, mi frater, cogita, quod etiam diſcedens monui, crebritate literarum tuarum, mihi peregrinationum labores, ac difficillima omnia uiſum iri iucundiſsima. Nunc verò et domi confido eſſe rectè: neq; eſt, quòd metuam aliquid, uel doleam; niſi, quod nihil adhuc ex literis tuis, rebusq; domeſti-

cis

cis acceſſerit ad meorũ laborum, pene dixerim, uolu-
ptates. Quamobrem non peto à te frater, ut nullum
tempus idoneum prætermittas ad me ſcribendi, quod
uulgò etiã præſtatur: ſed, quod eſt amoris noſtri, ut
ſæpiùs, quàm fieri poteſt, literis tuis accuratiſſimè
ſcriptis, quaſi præſens in domum, in poſſeſſiones, in ci
uitatem, conſpectumq; ueſtri, & ad propinquorum,
atq; amantiſſimorum hominum ora, uultusque intro
ducar: nec ignorem ea præſertim, quæ mihi neceſſe
eſt eſſe cariſſima. Siue enim caſu aliquo triſtior ſim,
quum tuas accipio literas, poſſum ijs legendis obliui-
ſci rerum omnium triſtiſſimarum: ſiue paulò hila-
rior, mihi quidem nulla tanta uoluptas eſſe poteſt ex
ijs, quæ in uita putantur maxima, quam paulò com-
modior nuncius de uobis, non pleniſſimè augere, cu-
mulareq; poſſit. Sed confido te poſthac ne illud quidẽ
eſſe commiſſurum, ut in hoc rogari à me, aut leuiter
moneri uelis: et, quod ſolùm bis poſt meum diſceſſum
literas ad me dediſti, hoc factũ interpretor, quia et-
ſi itineris mei ratio tibi nota eſſet, ignorares tamen,
quo tẽpore, quibus in locis eſſẽ. Sed poſt eas literas,
quas Id. Maij proficiſcens dederam, niſi Romam ta
men ſcribere te nõ oportuit. At, ſiquid in hoc erra-
tur, accipio, ut uultis; diligẽtia modò, et opera nõ de-
ſit. Fortaſſe etiam aliquid interijt ex tuis literis. Scri
pta de rebus noſtris μυστικώτερον gaudeo, quòd accepe-
ris. Mihi ſæpius illo genere utendũ fuit. Eiuſmodi po
ſthac etiã, ſi quid neceſſe erit me ſcribere: niſi ſtatim
conſcindas, uide, quid aliud fiat. Quod mandas, eſt in

ſpe,

ſpe, & curabitur à me diligenter, quùm Romæ erimus: et iam nunc multum eſſe ſcito de reditu ſermonem. Vale. Bononiæ.

Ioanni Metello Sequano, Romam. III.

RARIVS ad te, quàm ad fratrem meum, adhuc literas dedi, quod à me ne tibi quidem placet excuſari. Sẽtire enim uideris, quàm ſuauißimas, minimeq; ſuſpicioſas, aut querulas debere eſſe amicitias. Nam tibi perſpecta, & cognita eſt ſingularis quædam, & fraterna in te beniuolentia mea, mihi uerò non dubium eſt, quin me ita ames, ut non fruſtra ſoleas meum te Pyladem nominare. Nos itaq; Metelle, tum maximè, quum literis ſcribendis uacare nõ poſſumus, aut inanitate uerborum moroſi non ſumus, fruimur tamẽ conſcientia mutui amoris noſtri. Quare, etſi totis quadraginta diebus, nihil ad te ſcripſiſſem, quotidie uerò ex literis ad fratrem, tibi moleſtiã, ut ſoleo, attuliſſem; ipſe tamen minimè dubitas interea, quin perpetua, ac ſuauißima tui memoria delecter, & amicitiam tuam rebus omnibus anteponam. Ac ſcio te, ne illud quidem mirari, quòd nunc eodem penè, quo paucis ante diebus, exemplo ad te ſcripſi. neſcio enim, cui hanc ipſam epiſtolam ad te dederam. Sed lõgior ſum apud te, quem in officijs omnibus, & in amicitia colenda ſimplicißimum, minimèq; blandum eſſe cognoui. Vide igitur, ſiquid à fratre literarum, meas quoque ad illum,

quas nunc, et ſæpe aliâs tuum conijcio in faſciculum, noſti quam. Quas uerò te ſcribis nondum accepiſſe, non dubito fore, tibi ut reddantur: ſin minus, nihil in ijs damni fiet, in quibus tantùm iocabar tecum; neque ex meis literis aliquid tam libenti animo ferre poſſum interire. Vale. Bononiæ.

Nicolao Scæuolæ, Romam. IIII.

CVM amico tuo ſum loquutus. is Romam profiſciſcebatur. Illum ipſe conuenies. nam ego uerbum extorquere ab eo, quod intelligerem, non potui. Fide erit, qua mecum. Legi enim tibi, unde illum noſſes, Hugonis, & Gryphij ad me literas. Me quidem illi inſanire meis ex literis credidiſſent, niſi de huius moribus à Metello admoniti fuiſſent. Ait ſe iſtuc migrare cum familia. neque id credidi, tametſi uenturum eſſe negotiandi cauſa, non dubito. etenim erat iam in uia. Ac, ne ſis imparatus, quum aderit; libros te, & filium, pro tota ea pecunia dicere uidebatur, neſcio accipiſſe ne, an eſſe accepturum. Summam eſſe librorum H-S V̄. Non multa ille quidem, & fortaſſe nihil; ſed multis mecum egit. Illius tibi odioſum genus ſermonis notum. Verùm tu explicabis, quænam illa ſint, cauere non potuiſſe amplius à ſe non peti. item culpa tua debere, ac ne debere quidem. fore etiam, ipſi ut tu ſoluas. Huiuſmodi ſexcenta. ſed nec intelligo, & ipſe iam aderit. Vale. Bononiæ.

Ioanni

Ioanni Metello Sequano, Romam. V.

SCIRE auebam, ecquid hîc uelles, antequam ad te diſcederem. ſcripſeram literas, quibus de eo te admonerem. Ecce commodùm iiſdem de rebus ad me tuæ. Denique mirarer, ſi congruiſſent multa. nunc ſunt omnia inter nos diuinata. Illam epiſtolam mihi abſtulerunt Sequani tui. aiunt miſſam à te. Iurant enim factam ſimul, & cogitatam ab utroque noſtrûm: tametſi ſciunt à me ſcriptam eſſe, antequàm à tabellariis ipſi tuam attuliſſent. Hæc ita ſum interpretatus, ut eadem nos cogitare, & loqui faciat arctiſsima iam coniunctio animorum. Sed te propediem uidebo. Hic enim ſeruare iam incipit ſydera cum Mathematicis, & quotidie ὡροσκοπεῖν. Pedem aliter non mouet. Quare nos diem, quo diſcedemus, niſi ἀστρονομήσωμεν, prouidere non poſſumus. Vale. Bononiæ. Id. Sext.

Romulo Amaſæo, Bononiam. VI.

MAGNA eſt hîc opinio & fama de aduentu tuo, eáque ab hominibus neque ſtultis, & tui amantiſsimis, ac principibus uiris excitata. ſcis fortaſſe quos dicam; illos uidelicet, à quibus ego nihil audiui, ſed eorum intimi familiares, amiciſsimi tui, quos neceſſe eſt ſcire multa, & uera, palàm ita prædicant, hac de re fidem illis à te eſſe datam. Hoc ſi ita eſt, ut equidem cupio, & ſperant omnes,

omnes, doleo, quod nulla ex re, aut ſermone tuo fuerim antè ſuſpicatus, quàm iſtinc diſcederemus, Abs te ipſo enim ſiquid huiuſmodi accepiſſé, antequam ipſe tuo aduentu noſtra gaudia cumulares, nos hac etiam minimè dubia ſpe interea frui poſſemus. Hoc tamen fortaſſe incommodi illo fructu, & uoluptate compenſabitur, quum te inſperato ueniſſe lætabimur. Mihi quidem hæc urbs tum uidebitur eſſe Roma, quum in ea, noui regni ſedem, Romulus collocârit. Ac planè uideo fore, ut plus ad urbem ab Rege, quàm ab illa ad hunc, dignitatis, gloriæ, atque amplitudinis accedere uideatur. Denique ſiquid conſiderem meæ fortunæ, te propediem ex multorum hominum ſermonibus expectarem. Verùm, utcunque erunt hæc, meam tamen in te beneuolentiam, & pietatem, quæ ipſo etiam ex deſiderio, & locorum, & temporum longinquitate conualeſcet, tuorúmque in me beneficiorum memoriam, credas uelim, perpetuò eſſe duraturam. Quòd ſi ad ingenuas artes, & elegantiſſimum genus literarum à te non eſſem inſtitutus; me tamen arbitrarer tibi obſeruantiam debere illam, quam præſtare doctiſſimos omnes Italiæ uideo ſcientiæ, & uirtuti; cæteros autem, moribus, & humanitati tuæ. De tuo aduentu expectabo, ſiquid à te ipſo afferatur. Nam de eo hactenus aiunt nullas eſſe à te literas. tantum ſcire ſe affirmant, ſuperioribus diebus, quum eſſemus iſtic, ſummis te uiris ita recepiſſe. Vale. Romę prid. cal. Octobr.

Ioanni Metello Sequano. VII.

DOCTI hominis iudicium eius, de quo ad me ſcripſiſti, ualde probaui. Vſus eo eſſem, ſi me antè monuiſſes: tametſi, ne relictum quidem à me putuari debet omnino. Hic enim multa quidem, non tamen ab ijs diuerſa, quæ ego ſcripſeram, collegit. quædam enim ſunt à me non inuito prætermiſſa, quædam parcè, ac timidè diſputata. Quòd ſi ſciuiſſem, ex doctis aliquem in hac ſententia fuiſſe; liberiùs nonnulla, ac pleniùs, maioreque ſono dixiſſem. Nunc illud gaudeo, ea in re id me ſcripſiſſe, quòd ſenſiſſet is, cui adhuc ſoli acciderat, ut de ea aliquid literis mandaret. Et profectò mihi inſanire uidentur, qui aliter, neſcio quid, ſomniant. Iam enim de ijs loqui poſſum, ut uolo; quando te ab illorum, ad meam ſententiam adduxi. ſed quid adduxi? quum potiùs ad recta omnia tu mihi ſis auctor. Si tamen operæ pretium ſit, caput illud ad amicos noſtros mittere deſcriptum, expecto, quid fieri uelis. De literis, quas Lugdunum miſimus, ſtatim ut nuncius redierit, facies, ut ſciam. Romuli orationes mitte. Meum de lingua latina librum, te dixiſti eſſe lecturum, uacationes quum darentur à iudicijs. itaque nunc illum ad te miſi. Ita rem omnem, & ſingula argumenta perpendes, ut ſcias me nullius præterea iudicium ea de re uelle requirere. Ipſe ad te uenire non potui: nec tu, ſi me amas, tanto in ſolis æſtu, ad nos uenies. Auidè literas ex Gallia,

lia, imprimíſque à Gryphio expecto. Vale. Romæ cal. Octobr.

Paulo Iouio. VIII.

NVDIVS TERTIVS, ut redij à te domum, legi iterum, quæ mihi ſubobſcura dixeram uideri. Nocte proxima recognoui eadem ipſa, quæ longo interuallo antè non uideram, & has in literas fortaſſe meliùs poßim illum ſermonem includere. Primùm enim ita, arbitror, ſcriptum eſt: CVMANIS EO ANNO PETENTIBVS PERMISSVM: Hunc annum fuiſſe puto CCCCLXXIII. poſt Romam conditam, A. Poſthumio Albino, Q. Fuluio Flacco Coſſ. quò magis mirere poſt longißimum tempus rem eſſe geſtam: & fateris ipſe de Cumis in Campania intelligi debere. Quòd ſi tibi non ualde graue, nobis quidem iucundum erit, fortaſſe etiam utile, ſi te ijs de rebus more tuo loquentem audiamus. Nec leue tibi ſolet uideri, ſiquid alios iuuet; & nobis inſtar es omnium, qui hiſtoriam ſcripſerunt. Itaque, etiam ſiqua nobis tradita ſunt à ueteribus, non ingratum eſſe cuiquam poteſt in his iudicium tuum. Vtrum enim latinè loqui non liceret Italiæ ciuitatibus, uel quibus, uel quod ad tempus, aut legem, uel quamobrem non liceret, uel quibus meritis hoc permitteretur, uel quod ius eſſet latinè loquendi, cur antè non permiſſum erat, id quod à maioribus honoris loco duci oportebat: utrum Cu-

manis nunc primùm latinè loqui permittatur, & cur ij Romanè loquendi poteſtatem petiuiſſent, neque omnes ignorare, neque plurimi ſcire poſſunt. Illud eſſet turpe dubitare, quando Romana non fuit, quæ alia Cumanorum lingua ante hoc tempus fuiſſet. Ac ne illud quidem in dubium uocatur, an ſalua, aut inclinante etiam Repub. diuerſam inter ſe, diuerſarum ciuitatum, aut regionum Italiæ homines linguam tenerent. His inquam de rebus, à te aut ab alio audire aliquid is tantùm expectat, qui nullas omnino unquam hiſtorias uidit. Sed τόδ᾽ εἰ καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν, & quærebat meus etiã Crotta, quid de illo tibi uideretur, VT PVBLICE LATINE LOQVERENTVR. Putat eſſe pulcherrimum à te quoque, aut à te potiſſimùm uel ſolo audire, quale hoc ſit. Putat grauem fuiſſe cauſam, cur is, qui elegantiſſimè loquatur, PVBLICE addiderit. Itaque, quum redieris, ut ipſe mandâras, ibimus ad te. Cogitare enim uelle te dixiſti, quid afferas alijs quoque ex auctoribus, ad quæ ſequuntur: ET VT PRÆCONIBVS LATINE VENDENDI IVS ESSET. Hoc ſi non ita eſt, ut ego dixi, ſcire cupio, ſiquid aliud ἀπόῤῥητον eſſe credas. Nobis erit auctoritas tua una ex omnibus grauiſſima. Badia heri de Tranſtyberina in Quirinalem; tu hodie in Manlianum. Quare expectabo, dum redeas. Mutaui duos uerſus de Epigrammate in Policianam. illud remiſi tibi cum his literis. Vale.

Hugoni Portenſi, Lugdunum. IX.

EGO neminem habeo hoc tempore, quem faciliorem te, meæque petitioni, aut neceſsitati potiùs, æquiorem eſſe cupiam. Et profectò niſi plùs humanitati tuæ, quàm æquitati poſtulationis meæ conſiderem, has literas ad te ſcribendas minimè putauiſſem. Audio igitur ad te allatas eſſe Quintiliani declamationes, quas ego, Sebaſtiano Gryphio deſponſas, plurimis antè literis promiſeram. Sunt autem centum triginta ſex, quæ tantùm extant alterius Quintiliani, illius paulò uetuſtioris. Eas à me Iordanus Zilettus accepit, quas, ut dixi, illi mitteret, cui ego ſumma uoluntate decreueram, neque debere ſine inconſtantiæ ſuſpicione ullo modo poſſem. Itaque ego, qui nullam arbitrabar eſſe cauſam, cur mihi quiſquam ea in re mentiretur, promiſſum ab illo, factum credidi. Sed Griphium nihil à me, aut ab alio, meo nomine accepiſſe, admonitus ſum de illius literis. Iordanum conuenio ſtatim, unde ſcirem, quid ijs declamationibus factum eſſet. Reſpondit homo, ſe per Ioannis Andreę Oſſenæ hærèdes, illas ad te miſiſſe. Sanè ſum commotus, non quòd tibi illarum imprimendi negotium credere à principio noluiſſem, cuius induſtriam, atque fidem ſcio à bonis omnibus eſſe laudatam; ſed quia ratum, atque firmum eſſe cupiebam, quòd ille mihi, ego Gryphio promiſiſſem. Equidem, quod ad me attinet, ea uerecundia ſum, ut putem mihi eſſe turpiſ-

ſimum, quòd rem ab illo cui toties promiſeram, tò-ties ille flagitat, uidear ad alium aſtutè, aut inconſtanter transferre uoluiſſe. Quapropter maiorem in modum te oro, & obſecro, eas declamationes, Gryphio ipſi, cui à me debentur, uelis reddere. Etenim de ijs ne cogitatio quidem quæſtus mihi fuit, ut rectiùs poſſem tota de re arbitratu meo ſtatuere quicquid ego uellē. Librū uerò eſſe meum, rectiſsimè ex litera cognoſces, nam deſcripſi illum mea manu. item ex nomine. excepto enim Q. Fabio Rullo, neminem arbitror hîc hodie Quintum nominari. Tibi denique rem omnem, & exiſtimationem fidei, & conſtantiæ meæ uolo eſſe commendatam. nec dubito te factur ū eſſe omnia, quò mihi ſatisfiat. Quòd ſi tamen res eò progreſſa eſt, ut ampliùs reſtitui non poßit, aut pecuniam à te Iordanus accepit, aut Gryphium remittere hoc intelligam utrique noſtrûm; illud uide ſaltem, ut liber omnibus maximè neceſſarius, à ſordibus, atq; obliuione hominum, bono ſuo fato adductus ad te eſſe uideatur: Quæ autem ſcripta ſunt à me in declamationes ex rhetorum, & dialecticorum præceptis, ea uenire in manus literatorū minimè uelim. Itaq; mando tibi, ut remittas ad me, uel ne à quoquam legantur, conſcindas. Nam Iordanus ipſe, amicorum ſuaſu illa à me ſumma contentione poſtulauit, quę ego à meo ſenſu aliena ſcripſi perinuitus. Præterea etiam, hac ætate nondum formato ſtilo, cupio nihil apparere, ſiquid exercitationis cauſa à me literis mandatur. Siquid hinc igitur diuulga-

diuulgatũ ſit,perinde habebo,atque ſi à te impetrare non potuerim,ut cælatam eſſe uelles culpam facilitatis,ac penè adoleſcẽtiæ meæ.Tu uale,& fac memineris me nihil putare eſſe turpius mihi,quàm Gryphio,quæ promiſeram, quæq; is flagitat, nõ ſeruare. Romæ XIII. cal. Iul. XLVII.

Thomæ Badiæ Cardinali,Romam. X.

BREVITER ad te exemplo tuo. Heri Paceſcus in Manlianum , inde Romam. tacui igitur maiora. Cõfectum uerò de literis ad Coriam, de penſione Vitellij, de negotio Adriani. Reliqua de fratrum uoluntate Marianorum,nec ualde magna contentio. Punica tibi à Napollione , cum Damaſcenis paſsis,cupio placere. nihil hîc erat melius. Crottæ literę,ſi cras non erunt , ipſe conſtituam. Adero: ſummum id ut mandatum accepi. Vale III. Non. Sept. Tybure.

Sebaſtiano Gryphio,Lugdunum. XI.

DECLAMATIONES ad te miſi , tantùm (ut ſpero) non mendoſiores. erant enim ſcriptura omnino contaminatiſsima. Adhibita eſt à me diligentia, quanta maximè potuit : ſed Romæ antiqui libri non erant, quibus ea in re uti poſſem; ac ne noui quidem,pręter unũ, qui puero mihi Neapoli fuerat miſſus;& alterum,cuius uidendi copiam fecit mihi Gregorius Corteſius Cardinalis. Hîc eſt nunc in bibliotheca Antonij Galleſii impreſsione

Parmenſi, quem ille iuriſconſultus, & uir doctiſſimus, Iacobum ſequutus Corteſium, cuius etiam liber antea fuerat, ſuis, & omnium ſtudijs maximè putat eſſe accommodatum. hunc ego ita legi, ut ſim uiſus mihi potiùs diuinare. Tertius erat, quem Ioannes Metellus dedit mihi, ex libris puto Antonij Auguſtini, unde nihil omnino ſum adiutus. litera enim erat eadem, qua meus. Preterea uerò neque librariorum, neque doctorum hominum, qui nunc Romæ ſunt reſpondit quiſquam ſibi hunc librum antè fuiſſe cognitum. Quare mihi hoc negotium à principio integrum ſeruare uoluiſſem. nunc uerò eò res ducta erat; ut, ſi famæ ſeruirem, promiſſi fides mihi fallenda eſſet. Verùm Gryphi, ſic habeto, multa etiam, quæ fortaſſe potui, illa tamen corrigere noluiſſe; idque potiſſimum, aut ſolum præſtare uoluiſſe me, ut his declamationibus ſtudioſi homines ne carerent. Non ergo retardare me tantùm potuit, antiquos libros quòd non haberem; quantum incitare, ne aliquando pauciſſimi, qui extarẽt, amitterentur. Mira enim paucitas in Italia, & ſilentium de his in ſcriptis doctorum hominum. Semel ὑπόϑεσιν Hieronymus protulit, neſcio an ex ijs, quæ ad ducentas quinquaginta duas interiſſe cognouimus. Patrum noſtrorum memoria Iacobus Sadoletus, ac de Tranſalpinis hominibus Rodulphus Agricola, & Cornelius Agrippa, reſpexiſſe ad Argumenta quædam ex his triginta ſex mihi uidentur. Verùm ego redeo ad illud, ut quæ ſunt à me

aliorum impulſu in declamationes elucubrata, iam non magnopere diuulgare uelim. Cogitabo, & hac de re decem diebus mittam ad te literas. Epiſtola uerò ad Metellum, qua declamandi commoda ſum perſequutus, & ſtudium in ea re ueterum, ac doctiſsimorum hominum laudaui, non uideor mihi ſcribere poſſe grauiorem. Honorem ergo huic Epiſtolæ haberi uolo. Cæteris autem de rebus, propediem ad te ſcribam. Vale. Romę.

Ioanni Angelo Crottæ, Romam. XII.

REDITVM *Simonis urge. hodie ueſperi fac, ad me ſit. illius opera, quàm mihi ſit neceſſaria. Doce, quid hic reſpondeat, quid uelit. Vide, num grata, quæ Napollio miſit. nam cætera mihi prolixa fuerunt omnia. Tota nunc de illius uoluntate, literas expecto tuas: accuratè, obſecro te, etiam ad minima. mea enim ſponte conſtituere uellem nihil. Veniam ad id tempus, quòd dixi. Interim uide, nunquid à fratre, aut undecunque, ad me literarum. Simo ne ſit in mora. Vale. Tibure.*

Ioanni Metello Sequano. XIII.

EGO *Metelle, his quindecim diebus nihil habui, in quo poſſem à luctu reſpirare, niſi literas tuas. fuit enim mihi illa mors cauſa maximi doloris, & grauiſsimi. Tu uerò ita ad me ſcripſiſti, ut amantiſsimè coniungeres dolorem tuum, & prudentiſsimè leuares meum. Mihi quidem omnia,*

quæ

quæ ſunt à te uerißimè ſimul, & ornatißimè ſcripta ad conſolandum, ſed præcipuè de amore tuo; niſi iuſtißima, & grauiſsima ex cauſa dolerem, etiam iucunda eſſe potuiſſent. Itaque intellexi, id quòd multis antea rebus mihi perſpectum, & cognitum erat; quantum me amares. Ac uelim, credas, habere me hîc neminem, cuius oratio mihi tam idonea ad leniendum hunc mærorem uideatur, quàm tua; qui uideas, alia quædam præter mortem, atque ipſa mala, quę patimur, ſæpißimè lugeri. Per ſe enim quum graue ſit matrem amittere, id eſt eam, quæ tibi hanc lucem, atque hunc ſpiritum impertita eſt: ſæpe tamen in morte, ac cęteris aduerſis, multa inſunt, quæ putes ipſa morte eſſe grauiora. Equidem in hoc luctu nihil atrociſsimum doleo, nihil eorum, quæ uera mala creduntur; ſed quòd mihi, & matri fuerat grauiſsimum, abſente me, illam eſſe mortuam. Scio enim, quanto moriens in dolore fuerit, quæ labores atque ærumnas, in quibus magnam partem mea cauſa uitam duxerat, penſare hoc uno miſera cupiebat, ut ad finem uitæ, aduerſęque ſemper fortunæ, me preſentem uideret; uel certè, ubi eſſem, aut utrum uiuerem, ne ignoraret. Stupiditatis eſſet hoc non cogitare; immanitatis, non dolere, quum ſciam, extremam illi uocem eſſe extinctam deſiderio mei. Hoc tu rectißimè quum uideres, contra atque multi conantur, aptiſsimam dolori meo conſolationem miſiſti, qua me ipſum puto mihi aliqua ex parte eſſe reſtitutum. Plures hîc mecum uiuunt o-

ptimi

ptimi uiri, & homines amantiſſimi: quorum, in hoc genere, mihi grata quidem beneuolentia; ſed moleſti ſolent eſſe ſermones; quum taciti me, ut molliſſimum hominem, atque ignarum, accuſare uideantur. Tua uerò Epiſtola ualde ſum recreatus: téque rogo, atque oro, ad me quàm ſæpiſſimè ſcribas: plus tamen acquieſcerem, ſi te ipſum uidere poſſem. Vale. Romę.

Ioanni Angelo Crottæ, Peruſiam. XIIII.

QVALIS tibi iſtius libri confectio, quem miſiſti, & diſputatio amici tui eſſe uideatur, nulla mihi nunc tuarum ſignificatione demonſtratum eſt literarum. Ego tamen & illo tuo, PRVDENTIAM DOCTISSIMI HOMINIS, & quod te hoc genere tot annos cognouerim eſſe delectatum, ualde ſuſpicor tibi aliquid eius uel doctrinam, uel ingenium, uel ὑπόθεσιν *probari. Verùm ego, mi Crotta, ſic puto, ſic tecum ſępiſſimè ſum colloquutus, multis prætereà cum rebus, hanc multorum hominum peruerſitatem eſſe coniunctam. Iſto enim modò utinam pauci, utinam ſola in ratione linguarum, ſtulti homines inſanirent. Quamobrem, nequid grauius dicam in amicum tuum; errore tamen hic tenetur, quo cæteri. Infinita iam inanitas in uita eſt rerum omnium. habet etiam hæc ſuos iam auctores. quid facias? temporum ſunt hæc, pręcipuè noſtri. Certè nihil hic ſolidum ſpectat: nihil ij, quos admiratur, propoſitum habent*

habent in linguis, quod homine literato dignum uide ri poſſit. Suis uerſiculis, atque amatorijs cantibus, bonas literas omnes metiri ſolent. Nullum eſſe fructum putant eorum, quæ ſcribimus, niſi hæc uulgo in cōpitis, in triuijs, in ganeis, in tonſtrinis, ab indoctis, ac ſentina hominū legātur. Si quibus eā gloriolæ ſpem tollas, ij ſe perdidiſſe omnem in ſtudijs operam ſentirent. Sed manat hoc, ut dixi, latiùs: & nihil eſt in uita hominum; quòd ſatis commodum, graue, magnum, ac illuſtre credatur, una uulgi ac multitudinis exiſtimatione ſublata. Verùm ego, ut cæteris de rebus non dicā; linguas tamen, quibus ad diſciplinas, ad ſacra, ad leges, ad ritus, ad religiones, ad ſanctiſſima omnia deſcribenda, tamquàm ſole quodam, utamur, neceſſe eſt; qui ad rudes literarum, ad mulierculas, ad plebem, ac ſordes ciuitatum, putant eſſe referendas; illos ego cum doctis hominibus, & qui paulò altius, quàm ad iſtorum mollem, effeminatámque rationem inſpexerunt, iudico nihil dementiùs dicere, aut cogitare poſſe. Nam, quòd excludi à cognitione eorum, quæ dixi, nemo debeat; uide, obſecro te, mi Crotta, utrum potius de literis, & latina lingua, hoc eſt, ut ego quidem interpretor, de rerum humanarum, ac diuinarum omnium ſumma, nouum conſilium capiendum ſit, ut huius linguæ ignaris gratum faciamus; an permanendū in uetere, ut ſcientiarū, et religionis gratia, ea lingua ne ignoretur, qua, ſunt hæc à ſapiētiſſimis uiris ſanctiſſimiſque deſcripta. Sed hæc

de re

de re tota, ne plura dicam, facit, quòd iampridẽ iſtorum fatuitas eſt à duobus totius Italię doctiſſimis, & eloquentiſſimis uiris, Romulo Amaſæo, & Lazaro Bonamico, grauiſſimis orationibus, profligata. Tu uerò, mi Crotta, qui multos annos mecum hîc familiariter, coniunctéque uixiſti, hac una in re leuiter à me diſſidens, dicere ſolebas, quum tibi de iſtorum ineptijs aliquid reſponderem; iocis te meis, atque riſu delectari, ſed rationibus etiam, & argumentis agi contra illos oportere. At ego primùm ſtatuo non eſſe nobis laborandum, quid homines ignari, atque ſtulti, de re omnium grauiſſima opinentur. deinde illorum in ſcriptis, quibus latinum ſermonẽ labefactare conãtur, affirmo nihil eſſe, neq; rationẽ, neq; argumẽtũ, nec uerbum denique ullum, quòd diſputando reprehendere neceſſe ſit, & pueriliter omnia eſſe iactata. Quamobrem ne falſum putâris, quòd ſæpius dicebam, pudore me deterreri, quò minùs, de iſtorum inſulſitate, ſeriò diſputarem. Nunc uerò, quia non ſermone familiari, ut antea; nec Epiſtolis, ut hucuſque poſt diſceſſum à me tuum, ſed uel totis libris me prouocare cœpiſti; & ego neque te errare, neque ſibi amicum tuum, & auctores, quos ille iactat, ualde placere iſta noua ſapientia uelim; & mihi futurum eſt otij penè plus, quàm oporteret: recipio me, paucis diebus ad te, non utram arbitrer linguam eſſe tenendam; ſed quàm ſint inania, quæ iſti contra nos afferunt, bene longa Epiſtola eſſe perſcripturum. Tu illud

mihi

mihi perfice, ut æquiſsimo animo legat amicus tuus, quę ſcribam; cuius equidem laudo ingenium, ſi ad rectiora id ſtudia conferre uelit: nec deſpero tamen, illum quoque ſore meum; ſingulari noſtra beneuolentia incitatum. Brixia quum redieris, ſtatim facies me certiorem; uel ſi nunc de profectionis, & reuerſionis tempore, habes aliquid conſtitutum. Si nec tum quidem, quod ualde ſuſpicor, ſint ad Stellã noſtris de rebus à Brunoro literæ; uidebis, amabo te, quid hoc mali ſit. nimis enim diu pendeo, & libentiùs totum ſemel dependerem. Ego iam utrumque incipio uereri: quòd ne accidat, in tua unius prudentia, atque amore poſitum, exiſtimabis. Quum te Peruſiam reuertiſſe cognouero, literas dabo ad uos ſtatim, quales dixi. tuas uerò, niſi quum proficiſcare, etiam quotidianas expecto. Vale. Romæ.

Ioanni Angelo Crottæ, Peruſiam. XV.

QVOD profectus non es, gaudeo; meis enim de rebus pridie factus eram certior. eodem die Mantua literæ ad Barptolomæum Stellam, quales prædicebam fore. quare illa quidem cura ſum liberatus. Nunc habebam multa, quæ ad te ſcribenda erant. Cæteris ergo in literis fuit mihi perneceſſaria pueri manus. hoc ſcis, me quoque ſæpius tibi ſolere ignoſcere. Hæc uerò Epiſtola lucubrãda mihi uni tota fuit, èt hercule ſomnũ ea nocte nõ uiderã. Accipe ergo ad ea, quę petis, quæque ego de Alexandri

xandri amici tui non recta ſententia, ſuperioribus literis reſpondere uelle me dicebam. Doleo, quòd ſcribis, ei ſubitum iter fuiſſe in Galliam. Quum uerò dicas, reditum illius intra paucos dies eſſe neceſſarium; fac, intelligat hanc Epiſtolam ad ſe quoque ſcriptam fuiſſe. Igitur, quantùm ego de libro illius, quem miſiſti, intelligerem, quantùm ille de ſcriptis aliorum omnium in hanc rem conferre potuit; quatuor in partes hęc omnis diſputatio diſtributa eſt. Aiunt enim primò, ſua potiùs, quàm Latina lingua ſcribendum eſſe; quia nobis hęc externa ſit, neque ampliùs uulgari in conſuetudine teneatur. Deindè in Italia duas hodie eſſe linguas, & ſuam in Latinæ locum ſucceſſiſſe; & Latinam ea conditione eſſe apud nos, qua Græcam olim tenebamus; atque, ut à Latina Græcam, ita noſtram ab illa ſua eiectam fuiſſe. Præterea ſuæ linguę copiam eſſe maiorem, quàm Latinæ & Græcæ; &, ſiqua nobis copia ſit, illam iam minimè noſtram, ſed alienam uideri. Denique noſtra lingua diſcenda, moram, et inexpiabile damnum maioribus ſtudijs inferri, idque malum à uobis nutriri; & ex duabus linguis, tollēdam eſſe noſtram, nec debere nos duas linguas inſtituere: & exemplo ſe maiorum facere, ut ſuam linguam potiùs illuſtrent, quàm externam; & res omnes, & artes, & quicquid eſt in uita, ſermone eo, quo loquimur, ſcribi oportere. quod ſi fiat, neque Theophraſtos, neque Ariſtoteles, neque Platones in ſua lingua eſſe defuturos. Multa præterea ſcilent

lent

lent enumerare, quæ tamen ad quadripartitam hanc diuiſionem referri poſſunt: & ego efficiam, ut ex ijs, quę dicunt, nihil prætermiſſum eſse uideatur. Ac ſcio te, Crotta, illud memoria tenere, quod ſuperioribus literis dicebam, non utra potiùs lingua ſcribendum ſit, me uelle oſtendere, quod nō exiſtimo ſani hominis eſſe dubitare: ſed, quàm ſint inania, atque nulla, quæ iſti maximè ſuæ diſputationis, & ineptiarum firmamenta crediderunt: ut cognita hinc hominum prudentia, reliquis etiam in rebus, ac tota quæſtione, quàm rectè ſentiant, cognoſci poſsit. Ergo primum illud, ſua potius lingua ſcribi magis oportere, quòd Latinam dicunt ampliùs non eſſe noſtram, quale ſit, nolo his literis diſputare. Quòd ſi tamen ea quoque in re, quanta ſit eorum grauitas, ingenium, & acumen iudicij, ſcire uoles; aliâs non deero, ne tacitę quidem uoluntati tuę. Nunc Romanam linguam eo loco haberi, quo Greca olim tenebatur, neſcio quamobrem docti homines dicant: Vt maioribus, inquiunt, Græca; ita nobis Latina uetus habenda eſt: atque, ut tunc Latinam, ita nobis hanc noſtram eſſe nouā ducimus. Deinde, quemadmodum illis temporibus nón Græcè, ſed Latinè; ita nunc non Latinè, ſed noſtra lingua homines loquantur. Item, ut Romana quùm floreret, propria; atque, ut ita dicā, indigena, ideſt αὐτόχθων, *erat: ſic noſtro ęuo, quæ in uulgari eſt conſuetudine, propria eſt noſtra; Latina uerò, externa. Denique, ut Latina Grecæ, ſic noſtra Latinæ ſucceſsit. atque ut La-*

tina

tina Græcam, ſic noſtrā Latinam de conſuetudine ſuſtulit. Vides, quàm inepta, & pugnantia loquantur? Nam quorſum attinet Græcæ linguæ mentionem facere, & in hac diſputatione eam ulla in re cum Latina conferre? Aut quid efficere ex eo uolunt quod Latinam eſſe ueterem contendunt? Sed poſtea uiderimus, quam uim illud habere uelint. Nunc uero, cur etiam Grecę eandem uetuſtatem, infamiæ loco, inurere conantur. Quando enim, aut quomodo illa conſenuit? Nam Romanā (quantum intelligo) ueterem nunc eſſe dicunt, quòd quum foret olim noſtra, uetus haberi cœpta eſt ab illis, quum hæc uulgaris eſt inſequuta linguæ profectò noſtræ; alia noſtra (quando ita uolunt) ſuccedente, illa, quæ prior fuit, minùs imperitè dici uetus potuit. Quid ſimile in Græca poſſunt oſtendere? quomodo illa, ea ratione, qua Latina, ad hanc recentem comparata uetus dici poteſt? Vt maioribus Græca (inquiunt) ita nobis Latina uetus habenda eſt. Variè pronunciare hoc ſolent: quacunq; tamen oratione illam efficiunt ſententiam, ut ea conditione apud nos Latina ſit, qua olim Grę ca. Atqui ego inueniſſe adhuc non uideor: meliorem conditionem fuiſſe unquam Græcæ linguę, id eſt ad maiores, ac plures uſus illam eſſe à noſtris uſurpatam. Nam latinè tantùm Romani loquebantur etiam illis temporibus, quum latinitas exculta nondum eſſet. Neque uideo oportere hoc loco, ut de lingua Regis Euandri, Regum Albanorum, Regis Latini, & eorum qui Latini priſci dicti ſunt, quæ-

ram. Illud profectò ſciunt omnes, quod mihi eſt ſatis, poſt Romam conditam nullam aliam tenuiſſe maiores linguam, niſi Latinam; ſermonem uerò Græcum à Græcis præceptoribus, & auctorum libris, diſciplinarum, & patriæ linguæ excolendæ gratia, diſcere cum cœpiſſent, in honore ſummo ſemper habuiſſe; nec potuiſſe unquàm poſtea, ac ne poſſe quidem fieri, ut ampliùs relinquatur. Ergo, quum Latinam linguam ſentiant eſſe ueterem, quam illi alteram, atq; nouam linguam ſubſtitutam dicant, nec de ſermone Græco tale aliquid unquam in Latio factum ſit, immo uerò multis poſt ſeculis, quàm latinè loqui homines cœpiſſent, Græcam linguam, & Græca ſtudia in hanc urbem inducta ſunt; omnino contrà, quàm ab iſtis dicitur, neceſſe eſt non ueterem habitam eſſe illis temporibus eam linguam, ſed iſta quidem ratione nouam potiùs confiteri, etiam ſi à Latinis hominibus Græcæ literæ ante urbem conditam receptæ fuiſſent. Intelligis, opinor, mi Crotta, me non Latinam linguã defendere, quæ ſe per ſe ipſam tuetur: ſed proferre nunc & patefacere, quàm rudes homines, non argumentandi ſolùm, cuius rei nullam artem nôrunt, ſed rerum inueſtigandarum, & ueritatis indagandę, illi ſint, à quibus latinitas oppugnatur. Nam, ſi Latinæ linguæ nihil prodeſt, quòd Græca Romanis ciuibus noua, aut certè non uetus fuerit: ne illud quidem noceret, ſi uetus fuiſſet. Volunt ſibi contra nos licere dicere, in eo eſſe ſtatu hodie apud nos Latinam linguam, quo Græca olim optimis illis tempo-

temporibus fuit: nobis mendacium negare, & noſipſos etiam tanta iniuria laceßitos, defendere non licebit? Ego uerò iterum, & ſæpius nego, id eſſe contra nos: nego eſſe uerum. Interrogo enim, tam recepta aliquando à Romanis Græca fuit, uel tam relicta hodie Latina eſt, ut ea conditione ſit noſtra hæc Latina apud nos, qua tranſmarina illa, Romæ, hoc eſt apud externos fuit? Quis tam rudis eſt, ut neſciat; aut tam pertinax, ut non fateatur, Græcę nullo unquàm tempore tantum apud nos fuiſſe uſum, quantus nunc eſt Romanæ linguæ. Quid enim aliud maiores Græcè ſcriptum habuerunt, quàm Græcorum libros? Quid ipſi Græcè ſcripſerunt? an iura? an hiſtorias, & monumenta temporum? an cęrimonias? Profectò nihil horum; ſed Latinè omnia, ius Pontificium, annales, ſaliorum carmina, ritus, libros augurales, rationes, & quicquid ad leges, ad mores, ad diſciplinas, & ad bene uiuendū pertinere credebatur. Similiter & nunc fit; & omnia, quæ huiuſmodi ſunt, & quæ à ueteribus ipſis accepimus, & quæ ad religionem, & quæ ad ſacra, quæ ad omnem uitā ſpectant, aliter quàm Latinè ſcribere, nec ſolemus, nec poſſumus. Quò fit, ut noſtræ linguæ conditio una, atq; eadem ſemper, & à conditione linguæ Græcè ſeparata omnino uideri debeat. Ita enim inter has duas fortunæ cuiuſdam ſimilitudo foret, ſi quæ dicta ſunt, ueteres illi Græcè ſcripta habuiſſent: aut certè nos hoc tempore aliter, quàm Latinè. Suam quoque linguam in eo eſſe honore iudicantes, quo

Romana quondam fuit; ridiculi ſunt ſimilitudinum ſpectatores, qui tam diuerſa, ac tam diſsimilia non diſcernant. Niſi fortè in ſua lingua ſatis multa præclara, egregieq́; ſcripta habere ſe arbitrantur, unde ſuam linguam Latinæ illorum temporum ſimilem eſſe uoluerunt. Scilicet multi illorum excellentiſsimi in omni ſcientia uiri, ſe omnes diſciplinas ea lingua illuſtraturos nobis minitantur; & , quę hactenus illi ſcripsêre, non modò intra Italiam, ſed toto etiam orbe terrarum leguntur, & mortales omnes ex cuncta ſaltem Europa, nihil tam expectāt, quàm ut iſta lingua diſciplinæ reliquæ ſcribantur. Iam uerò, quòd Latinam linguam fuiſſe dicunt nouam, atque illis temporibus loquutos eſſe homines Latinè, eúmq; ſermonem habitum patrium, ut lingua noſtri ſeculi propria nunc eſt Italiæ totius, omnium hominum, & ruſticorum, & mulierc ularum, quòd duas prædicant nobis eſſe linguas: dico hæc ab illis imperitè iactata, dico eſſe parum diſtincta, obſcura, & inuoluta, dico eſſe partim falſa, partim inutilia ad efficiendum, quod uolunt. Vtrum enim hoc dicunt in omnibus prouincijs Populi R. Latinè omnes homines loquutos eſse: an potiùs Latinè diſcere, ut hodie fit, illos conſueuiſſe? Diſtinguere hęc neceſſe erat: quod ſi feciſſent, multa etiam cōtra ſe pro nobis inueniſſent. Vtrū uerò omnibus in angulis, ac uicis Italiæ, plebs quoque infima Latinè loquebatur; an Romæ, atque in Latio tantùm hoc dicant eſſe factum, ut pueri, atque infantes, primam ſtatim, ſemper, & ſolam ſermonis

monis Latini uocem à ruſticis parentibus audirent? Si uniuerſam Italiam dicunt, ab illis hoc apertiùs audire uoluiſſem, & hîc fortaſſe mihi aliquid ſermonis eſſet. Sin modò Romam, atque Latium, faciunt iniquiſſimè, ut toto ex orbe terrarum hanc linguam dicant eſſe tollendam, quòd una ciuitas, aut una regio Italiæ, eáque minima, Latinè loqui deſierit. Sed recordaris tu Crotta, qualis inter me, & Paulum Iouium, te præſente, ſermo hac de re tota, ante obitum Badiæ Cardinalis, ſuerit. tu uidiſti, quàm hæc facilè, ac ſua ſponte corruant omnia. Quare nunc illud uideamus, quale ſit, quòd Latinam linguam dicunt eſſe externam. Vnde enim allata eſt? in quibus alijs terrarum oris nata eſt? per quos, aut quando in Italiam nobis importata? Dices me illis in uerbo facere controuerſiam, nec id eos uelle dicere, quod Latinè externum appellatur. Itáne uerbum nullum in Latina lingua eſt, cui ſubiecta ſit ea uis, quam ipſi intelligunt? Dicamus externam, dicamus peregrinam, dicamus aduentitiam, dicamus hoſpitam, exulem. quid horum eſſe hanc linguam putant acuti, ac diſerti homines? Leuiſſima quidem hæc ſunt, Crotta: ſed libet mihi, patefacta imperitia illorũ, qui iſtã in ſuos pugnam concitârunt, oſtendere tantis de rebus, iudicio indoctorum hominum, qui neque rerum intelligentiam, neque dicendi, aut loquendi facultatem ullam tenent, credi non debere. Ac tranſeo iam, ut de illo dicam, quòd aiunt, ſuam linguam ſuffectam Romanæ, quemadmodum Romana in Græcè

locum dicunt eſſe ſubſtitutam. Quomodo enim eam linguam noſtræ ſucceßiſſe arbitrantur? Qua ratione ſuccedere quid in locum alterius poteſt, illo permanente adhuc, cui ſucceſſum eſt? Nouam ſucceßionis formam, nouúmque occupandi genus introducunt, déque numero eorum, quæ fieri non poſſunt. Siue enim ſuccedere, ſiue occupare, ſiue ſubmittere, ſiue ſubſtituere, ſiue aliud eſt uerbum, quod illi malint dicere, à cognitione tam rerum, quàm uerborum longißimè abſunt. Nam non ſimpliciter dicunt illam huic eſſe ſubſtitutam; ſed illo ipſo modo ſubſtitutam, quo Latinam in Græcæ locum repoſitam arbitrantur. Ego uerò non uideo, quem Romana Græcę, aut recens hæc Romanæ locum occupauerit. Si enim (ut uolunt) hanc noſtram, ſua illa recens de uulgari cõſuetudine deiecit, in qua ipſa nunc ſit; noſtra uerò Græcam unde, aut quo maiore gradu extruſit, ipſáq; in eum recepta eſt? Magnis anguſtijs tenentur; hærent in ſalebra; nec habent, quò ſe uertant. Tantùm enim abeſt, ut ſe in aliquem Græcę locum inſinuârit Romana, ut hæc illam potiùs ex Gręcia ad ſocietatem ineundam, communitatémq; honoris in hanc urbem uocauerit. Suam uerò linguam in Romanę locum eſſe receptam, ideo dicunt, quòd latinitatem prorſus de ſtudijs, ac rebus omnibus uolunt eſſe repudiatam. Dictitare enim illi conſueuêre id, quod etiam literis mandauerunt, quomodo à Latina Græcam, ſic à ſua Latinam eſſe ſublatam. O præclaram ſententiam, & dignam, quam

iuuentus Italiæ ſequatur. Amiſſæ igitur ſunt Latinæ literę, earúmq; locum noua hæc lingua occupauit. Ac miror, quamobrem non ſtatim hoc dixerunt; neque per ſe ad efficiendum, quod uolunt, ſatis eſſe putauerunt. Nam cur dicere illa quoque uoluêre, nobis duas eſſe linguas. Latinam eſſe ueterem, deinde externam, deinde ſucceſſum illi à ſua, deinde illius cauſam coniungere cum Gręca, & tam multa pugnantia conferre; ſi hoc ad poſtremum dicere uolebant? Ne Gręcam quidem (ut dixi) oportuit ullo modo nominare, cuius omnino eſt ratio diuerſa. Ita enim loquuntur, ac ſi uel peregrina Græca non fuerit; uel Romanam alibi, quàm apud nos, credant eſſe natam. Denique latinitatem (ut dixi) non à uulgi conſuetudine, ut dicere priùs inſtituerant; ſed penitus à commercio, & finibus humanæ naturæ eiectam, atque exterminatam uolunt. His enim conuulſis, ac fractis gradibus, eò peruenire ſtudebant, quò denique præcipitauerunt, ut nobis Romanam linguam hodie nullam eſſe dicerent, quando hanc à ſua putant eſſe deiectam. Verùm ego non linguam Latinam defendere, eámque eſſe æternam probare mihi propoſui; ſed arrogantiſsimorum hominum ſtultitiam reprehendere. Illam uerò defendam poſt; ſi te ita uelle cognoſcam. Redeo nunc igitur ad copiam, qua dicunt noſtram à ſua lingua longè eſſe ſuperatam. Primùm, mi Crotta, per fidem, illud etiam, atque etiam uide; qualis, & quàm magna eius linguæ copia ſit, quæ ſua, neque

uerba,neque literas habeat. Statuamus, quæſo te, quibus tandem rebus,cuiuſque linguæ copiam termi nandam putemus. Hercule ſi quibuſcunque rebus, aut uerbis abundare, copia eſt; ut alijs rebus uincamur, copia certè uinci non poſſumus. Quin etiam multis partibus omnes omnium gentium linguas huiuſmodi ubertate ſuperamus. Innumerabilis enim intra hos mille annos auctorum multitudo, ac uerborum copia acceſſit linguæ noſtræ; quam ego nec recipio,& iſtorum linguæ potiùs libentiſſimè conce do. Videtur enim mihi,quantùm ad præſentem quidem diſceptationem attinet, ſermonis copia uerbis non multis tantùm,ſed bonis etiam, & cuiuſque linguæ proprijs,pluriúmque bonorum auctorum facultate definienda eſſe. Ecquid horum habet hæc lingua,quam Latinæ anteponunt? à qua Latinam eſſe deiectam arbitrantur? Nonne iſti,qui in ſua lingua tam diuites ſe eſſe iactant, mendicitate ſumma labo rant, nec habent ubi pedem in ſuo ponant? nec uerbum, aut literam quidem facere ullam poßunt, in qua noſtra lingua non abutantur? Quid .n. habent quod noſtrū, aut à noſtro acceptū non ſit? Illa enim quæ à Narbonenſibus,aut undecunq; accepta ſunt à barbaris, & pauciſſima ſunt, & ſtultiſſimè cum hoc ſplendore latinitatis conferuntur. Porrò autem, ſiqua eius linguæ eſſe concedam, eorum nulla ratio ab ijs reddi poteſt. Quæ enim à barbaris acceperunt, hæc nulla interpretatione adhibita, uel à primo ortu,origine repetita, queant explicare: quæ

autem habent à Latinis,eorum ſi nolint rationem di cere,nullum eſt in eo ſermone lumen : ſin uelint , ut Lunam,remoto ſplendore Solis , ita ſuam linguam, abſque Romana conſiſtere,nulla ex parte poſſe confi teātur,neceſſe eſt.quale tamen hoc ſit, quid efficiat, útque hiſcere audaces,ac temerarios iſtos non ſinat; poſtea uiderimus . Nunc autem dico , linguam certam,ac ſuis legibus aſtrictam,eſſe debere;non ex col luuione barbarorum,ac perturbatione imperij , ſed tranquillis rebus in Rep. rectè inſtituta , à ſuis elaboratam ; uerbis non à peregrino ſermone deprauatis,ſed proprijs , incorruptis,illuſtribus, per grauiſſimos auctores prudenter impoſitis,ac definitis. Non enim uulgi,ſed prudentiſſimorum hominum officiū, atque partes ſunt,linguam,& rebus nomina inſtituere . Declarant hoc non Grammatici ſolùm , qui magna adhibita , quarumcunque artium,& rerum abditarum,ſcientia uerba à maioribus impoſita interpretantur : ſed ipſi quoque philoſophi , oratores, iuriſconſulti,& quicunque ſapientię quamlibet partem ſequuntur : qui magnam partem , nominibus, quę uiri pręſtantiſſimi fecerunt, interpretandis, res altiſſimas , atque obſcuriſſimas explicare ſolent . Sciunt pręterea,omnes qui Latinam linguam tenēt, nec tu ignoras,Crotta,quanta cum ratione,et quàm longa ſerie , ueluti magnæ quędam cognationes hominum,uerba à uerbis naſcuntur, quantum in coniugatis, & in notatione, ideſt , ἀναλογία & ἐτυμολογία , quantum in literis, quantum in ſyllabis, ac ſyl-

labarum

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

labarum temporibus, ſtudium, quàm ſapienter uerba rebus accommodata, ac perinde quantum in lingua noſtra luminis, quantum in noua iſta tenebrarum, ac difficultatis inſit. Etenim hæc ſi negligantur, omnis uerborum intelligentia pereat, & ferè totius linguæ interitus conſequatur; uel ad ſolos amatorum cantus, & in cauponis, tabernis, ac ſutorum, tonſorúmque officinis, teneatur, neceſſe eſt. Contrà uerò, qui hanc rationem ſequuntur à ſapientiſsimis inſtitutam, & à doctiſsimis explicatam, facillimè diſciplinarum quoque omnium, & rerum naturalium ſcientiam conſequuntur. Optimè enim Socrates ille, qui eſt in Cratylo Platonis, quum de uerbis, de ſyllabis de literis, & ijs etiam quæ apud Homerum ſunt rectè poſita, diſſerat; antiquiſsimos illos mortales, nomina ad rerum naturam accommodauiſſe, & ſummos ac ſapientiſsimos uiros illos fuiſſe comprobat. nam rectè, & propriè noua rebus nomina imponere, & ſermonē locupletando exornare, is tantùm poteſt, qui labore, & ſtudio, omnem ſermonis, & rerum naturam ſit conſequutus: ita ut quum facultas hæc, & perfecta explicandi ratio, atque nominum inſtitutio, definitioni cognata eſſe uideatur; de ſententia Socratis, non barbaris, aut aboriginum temeritati, aut imperitis hominibus, aut multitudini; ſed prudentiſsimis uiris, ac dialecticis potiſsimùm, ſit aſsignata. Iſti uerò nouæ linguæ inſtituendæ cupiditate tenentur, quæ laus propria eſt Athenienſium, & Romanorum. Solis enim, aut præ

cipuè

cipuè ijs licuit ea in re laborare: qui illis temporibus hoc fecerunt, quum ualde oportunum, & neceſſariũ fuit; & Italia lingua nondum erat, quam omnes gentes tenerent; nec deſperandum videbatur fore, ut ſuam linguam in omnes terrarũ oras mittere, eámque, uel inuitis populis, poßent tradere diſcendã. Nunc uerò iſti quid faciunt, quibus cum præclarè agitur, ſi aliarum nationum barbaras linguas recipere ipſi non cogantur: & Græca, & Romana lingua ex cuncta Europa eijci ampliùs non poteſt? Scilicet eo ſaltem nomine illorũ ſcripta in omnibus terrarum finibus legentur, quòd ſermonis copia, linguas omnes, etiam Græcam antecellunt. ô ioculařem impudentiam. Nam primùm, quæ illum ſermonem recipiẽt exteræ nationes? quomodo ad alias terras mittent? per ſocios? per municipia? per colonias? per exercitus? per prouincias, atque imperia? an curari hoc non debet: & ſatis eſt, quòd hic ſermo à cantoribus, & ſymphoniacis, in compitorum, ac tonſtrinarum regnis quotidie magis diuulgetur? Deinde, qualis hîc ſermo eſt, quo tantopere gloriantur? quem Latino dicunt eſſe meliorem? Qui putant illum noſtro cum ſermone poße conferri; ij profectò uidentur nullam Romanæ linguæ, ac ne ſuæ quidem, partem unquam attigiſſe. At mihi non uacat in epiſtola dicere, quanta ſit res latinitas, quæ tot ſeculis, clarißimorum uirorum ingenia, & ſcientiam exercuit, Aelij Donati, M. Valerij Probi, Feſti Pōpeij, Non. Marcelli, aliorúmque innumerabilium, & doctißimorum

morum

morum hominum. Fuerunt & in hoc numero, Terē tianus, Macrobius, A. Gellius, C. Plinius, Aſinius Capito, Terentius Scaurus, P. Nigidius, Tinca Pla centinus, Palæmon, Cornelius Fronto. Dignus præte rea hic ſermo fuit ſapientiſsimis illis, ac maximis auctoribus, M. Varrone, M. Meſſala, C. Cæſare, & huius filio Octauiano Auguſto, et M. etiam Tul lio, qui multis in locis de latinis literis, & Latina lingua tractare diuinitùs conſueuit. Nunquam de-fuère, nec ætate noſtra deſunt, qui magna cum laude ſermonis Latini copiam perquirere, & proferre ſtu-deant; neque ullis ſeculis defuturi ſunt, qui in ea ſu-ſcipiant laborem, quæ exhauriri tota à nullis unquã ingenijs potuit. Verba etiã huius linguæ, tanta iam uetuſtate, & clariſsimis diſciplinarum, atque rerũ omnium monumentis, per ſapientiſsimos auctores, ad omnem ſunt poſteritatis memoriam conſecrata; & à Grammaticis, & doctiſsimis uiris, quos nomina ui, definita adeò, ut nihil dubium in his occurrat, quin à multis rectiſsimè explicetur. At lingua iſto-rũ, præter alia multa, quibus deformatur, noua eſt: ſi tamen ipſi intelligunt, quanti hoc refert, neque au ctores habet niſi paucos, nec dicam cetera. Scriban-tur ergo iſta lingua libri Philoſophorum; ſcribantur ſacra omnia; ſcribatur ius Pontificium; ius ciuile, ceteræque artes ingenuæ; incidant quæſtiones, & graues in uerbis controuerſiæ, ad quos auctores, aut linguę interpretes confugiendum erit, quorum ſen-tentiæ ſtari conueniat? vbi erũt illa, ueluti quædam

oracula,

oracula,de antiquorum, ac ſapientum libris prolata,ut noſtri auctores, quum Seruij, quum Scæuolæ, quum Galli,aut Aelij,aut ceterorum explicationes ad uerba obſcura,ac res dubias afferre conſueuerũt? Hîc ſudant, quod reſpondeant non habent, & tantùm illos opponunt, ſummum treis, de quibus equidem in præſentia iudicare nihil uolo.tantùm affirmo illos,quamquam ſatis multi forent.nullum tamen ad eam rem adiumentum afferre poſſe. Nobis autem in Romana lingua, primùm uix eſt, quod dubitare poſsimus: deinde, ſiquid accidat, ſunt quàm plurimi auctores admirandi,ac certiſsimi,quorum ex uſu loquendi dubitationes omnes auferantur. Habet enim lingua noſtra lumen,& eloquentiam M.Tullij, C.Cæſaris,M.Catonis,T.Liuij,M.Varronis, veterũ Iuriſconſultorum; item Virgilij, Catulli, Horatij, Lucretij,Tibulli,Terentij,Plauti, cæterorumq; innumerabilium; & eorum,qui Philoſophiam,Theologiam,Aſtrologiam, & numerandi, metiendi, canendi,loquendi,ac dicendi, aliarúmque rerum pulcherrimarum ſcientiam purè, & eleganter ſcripſerunt. Iſtorum autem ſi omnium ingenia, quæ ſunt, quæque ſe habituros eſſe minitantur,quum ſui uenerint illi Platones,Ariſtoteles,Theophraſti in unum conferas,horum qui dicti ſunt uel uni,quamuis minimo,paria eſſe non poſſent. Sed redeo iam ad literas. iſti enim,qui Latini eſse nolunt, & literati in noua lingua haberi cupiunt, cur non ſuas habent literas, ad ſuam linguam accommodatas? An fortaſſe ne id

quidem

quidem ſciunt, non ſuæ linguæ eſſe literas, quibus utantur, ſed Latinæ? Quę igitur lingua illa eſt, quę nec literas habet ſuas? Qualis eſt ſermo, aut quàm concinnus eſſe poteſt, qui alienis eget literis? Quin ergo nouas etiam literas, ad nouæ linguæ naturam quęrunt? Malè namque conuenit linguæ barbaræ cum Latinis literis, & maximè illos pudere debet literarum, eius lingüę præſertim, quam ipſi contemnunt. Quę enim lingua digna modò, quæ inter linguas numeretur, ſine proprijs literis unquam fuit? Aſię enim ciuitates quondam à Græcis cum ſermone, literas etiam Grę̨cas acceperunt. Tot populi, tot prouinciæ à Romanis non priùs Romanam linguam didicêre, quàm literas. Gentes innumerę, quũ linguam externam acciperent, ſuas etiam literas, quibus antè uſæ fuerant, reliquerunt. Intelligebant enim fieri non debere, ac ne poſſe quidem omnino, ut alienis à ſermone literis uterentur, neque ignorabant illas de proprietate linguæ natas eſſe oportere. Betica igitur, & tota Hiſpania (ut accepimus) multo antè, quàm Prouincia eſſet populi Rom. ueterem, ac diuerſum ſcribendi uſum tenuit. Galliam quoque ipſe C. Cæſar, alijque multi, Græcis literis uſam tradiderunt. Deinde uerò cum cæteris prouincijs, Romanum Imperium, Romanam linguam, & literas, priore literarum uſu prorſus relicto, acceperunt. Nulla de exteris nationibus, linguam ſine literis, aut ipſa ſibi comparauit, aut ab alijs accepit: nec ulla gens tam barbara, & inculta hoc fecit, ut alte-

rius

rius linguæ literas uſurpârit. Quòd ſiqua in barba rie hoc factum ſit; ipſi tamen, qui uberiorem, ac præ ſtantiorem iactant ſuam eſſe linguam, facere non de bent, ut noſtris literis abutantur. Adeóne tardi ſunt, atque hebetes, ut hoc non intelligant, quantum illæ uel corruptæ, uel peregrinæ uoces à noſtrarum literarum ſono diſcordent? Quando enim primò de literis inueniendis cogitare homines cœperunt, credibile eſt illos totius linguę ſuæ naturam inſpexiſſe, per nominum, ac ſyllabarum uoces decurriſſe, eúmque ſonum literis dediſſe, quem in uerbis agnoſcerent. Quæ uerò gentes nouum ſermonem aliquem acceperunt, ſermonis etiam illius (ut dixi) literas diſcere uoluerunt. hoc intra fines quoque Italiæ ſcimus contigiſſe. Sicilia enim, & tota regio ea, quæ Siculo, et Ionio mari, & ſinus Adriatici magna par te cingitur, adeò literas Græcas coluit, ut maximos philoſophos Gręcorum tulerit, & magna tum Græcia diceretur. Hæc igitur & Italia, & omnis penè Europa, & bona pars Africæ, quum ad Latinam lin guam, non alijs, quàm Latinis literis; & omnes gen tes toto ferè orbe terrarum ad Gręcam non alijs, quàm Gręcis uſæ fuerint; iſti præter morem aliarum nationum, & barbarè, atque incommodè faciunt, qui alienas, ac diſsidentes à ſermone literas tenent. Cogitent enim, ac iudicent, quàm frequenter binas uocales in unam cogant ſyllabam, quę coire ſimul nequeant, repugnante uocalium natura. Recolant, quàm ſæpe conſonantes iungant, quæ iungi nulla ra-

tione

tione poſſunt: quàm crebrò natiuos literarum ſonos, & illas geminent, quæ duplices uocantur. Quum enim aſperrimæ quædam uoces haud quaquam noſtris efferri literis poßint, geminatione duplicium quatuor uni ſyllabæ ſubijciunt conſonantes: quod, ut maximè barbarum, ita apud eos eſt frequentißimum. Innumerabilia in ea lingua ſunt, quæ noſtris literis comprehendi non poßunt. Si enim (ut dixi) duplices geminare non oportet, quomodo Celeritatem, uel Magnitudinẽ, uel Debilitatem in ſua lingua ſcribant, nunquam inuenient. Infinita huiuſmodi uerborum turba eſt, in quibus eſt & Longitudo, Latitudo, ac talia multa, quorum ſcribere, nec ſecundam ab ultima ſyllabam poſſunt. nam quæ ſeptima apud nos litera eſt, nec ſequi, nec antecedere ſe aſpirationem patitur: nec ſi pateretur, illum ſonum redderet, quem ipſi uolũt. Quòd ſi Diuitem, & Feſſum, & Siccum dicunt; numero tamen multitudinis, neque Diuites, neque Feſſos, neque Siccos, neq; innumera huiuſmodi poſſunt dicere. Tum Quis, et Quæ, & Quoniã, & Filios, & Oculos, et Senectutem, qui aptè ſcribi noſtris literis arbitrantur literatorum omnium iudicio, illi has literas ne legere quidem ſciunt. Flores etiam, et Flamma, et Planum, & Flumen, atque id genus multa, alias prorſus, quàm literas noſtras quærunt. Sed quid ego de tanta infinitate uerborum, quę ſcribere iſti nequeunt, pauca colligo? tu ipſe hoc æſtimato mi Crotta. Intelliges enim id, quod mea diſputatione non eget, quódque minimè

tacita

tacita uel obſcura confeßione de iſtis quidam confirmârunt. Nam Trißinus(illum ut arbitror noſti) qui ad Clementē VII. Pont.Max. de iſta lingua librū ſcripſit; omnia,quæ à me dicta ſunt,aliter ſcribēda eſſe cenſuit,atque ab iſtis cònſueuère.nouas etiam aliquot literarum formas excogitauit, quibus uterentur in ijs , quæ Romanis literis dici non poſſunt. itaque exiſtit de iſto grege,qui de ſua lingua barbariem tollere, & illius copiam probare uolens, homo ſanè ſtultus, & ne à ſuis quidem probatus, vnus omnium; ſtultitiam, & iſtius linguæ pauperiem confeſſus eſt. Quibus ergo illam affluere dicunt,quæ nec uerba, nec literas habet ſuas? Intelligis,opinor, quàm barbaram eße neceſſe eſt eam linguam,cui,ut multa non dicam,literę, hoc eſt uerborum ſpiritus, atque anima quædam deſit. Nulla tanta barbaries, tam crebra, & moleſta in ſermone eſſe poteſt, quàm quæ in literis uerſatur. Quicquid loquimur, aut ſcribimus; hoc tam paruo literarum numero, tamquam orbe quodā, recurrit, ac uoluitur. Quòd ſi quum una tātum, aut altera illarum uitioſè profertur,in ſingulis penè uerbis id uitiū auditur; quid ſi ferè omnes corruptè pronunciantur? Quem enim chordę in muſicis,eum in oratione locum tenent literæ. Nam,ut illarum ſi uel una diſſonet, quanquam infiniti uarientur numeri; in ſingulis tamen percuſſionibus eadem incōcinnitas offendet aures:ita,quod in literis peccatur, nullo pene in uerbo fieri poteſt, quin peccetur. Eant nunc igitur iſti, & cum tanta

ſua,ac tam nitida, & eleganti copia,ad illud etiam reuertantur,ut dicant ,ſuam linguam eo loco nunc haberi, quo apud nos Latina quondam fuit. Sed me quin diù iſta perſequar,præter quàm quòd epiſtola non patitur,præter longitudinem epiſtolæ,& ſcribendi tota noctæ laßitudinem, illud etiam remoratur,quòd propè infinitum eſſet iſtius barbariç uitia, atque hominũ ineptias colligere. Habes igitur nũc, mi Crotta,quç non ad Latinam linguam defendendam,ſed potiùs ad imperitiam quorundam hominũ, & linguæ uitia illorum detegenda,pertinere uidebãtur. Reliqua uerò,quç ſtultißimè ab ijs iactata ſunt ſua lingua ſcribi omnia,& Latinam relinqui omnino oportere, quæ nobis externa ſit, peßimeque nos de ſtudijs,atque omni literarum genere mereri, qui id in Italia malum nutriamus; in aliud tempus reſeruare uolui. Alexandrũ ſaluta meis uerbis,quum redierit,amicum tuum, atq; ut ſpero meum:ſed ita; vt ſe contra nomen Latinum ad nouæ linguæ cauſſam adiuncto, tres mihi. Alexandros intelligat,minimè eſſe metuendos; uictoriam tamen fore non faciliorem modò,ſi illum non uidero in pugna,uerùm etiam iucundiorem. Vale, Romæ.

Ioanni Angelo Crottæ, Peruſiam. XVI.

QVAE *mandas apud Aſcanium Baſſum, ſcito eo loci eſſe omnia,quo is antea ad te ſcripſit. Mihi ualde probata eſt fides et amor illius in utrũque noſtrûm. Quare non dubitâris illa quoque ſpiſ-*

ſiora,

ſiora, quæ proximè ſcripſiſti, amantiſsimè cum, diligentiſsimeq́ue facturum. Sed cæteris etiam de rebus oro te, mi Crotta, patere me nihil nunc quidem ſcribere. Hanc enim epiſtolam, & meam de amici tui ſcriptis, atque opinione ſententiam debere tibi diutiùs non potui. Reliqua igitur de Vincentio Vimercato, de reſponſo Brunori & Virginiæ, de negotio Stellæ, qui fore ait, ut impediatur Poli uoluntate, poſtea ad te perſcribam omnia. Nunc uideamus illa præclara, quibus iſti noui præceptores nouam eloquentiam proponunt, ueterem criminantur. Nota uerò ſunt omnibus, quæ ad linguam Latinam ex Italia auferendam rectiſsimè à ſapientibus ac doctis hominibus quotidie afferuntur. Primò enim ita diſputant; peſsimè nos, qui Latinam linguam, Dijs ho minibuſq́ue inuitis, retinere conamur, non neceſſariam, abeuntem, ac rebus humanis perfunctam, de ingenuis artibus mereri; quod illa diſcenda non pue ritiam noſtri homines, primóſque annos infantiæ, ut antè; ſed omnem quoque ætatem grauioribus ſtudijs idoneam, conſumant: eámque eſſe cauſsam, cur nullo in genere doctrinæ antiquis hominibus quiſquam hactenus par eſſe potuerit. Deinde, eam linguã eſſe in literis omnibus debere, quæ in ſermone ſit populi, ac multitudinis; neque ſtudio & labore, ſed ex mulierum quoque à prima iam infantia, ac ruſticorum vſu diſcatur. Item pulchriora, ueterem ſe hu ius urbis morem, illorúmque doctorum hominũ ſtudia imitari, ut ſua potiùs, quàm externa lingua ſibi

ſcribēdū putēt; & duabus ex linguis, eā quæ noſtra non ſit, eſſe relinquendam, & noua lingua ſcribi omnia oportere. Hîc ego, mi Crotta, temperabo me; neque de iſtis hominibus ita loquar, ut eiuſmodi opiniones uehementiùs eſſe refellendas putem. Quòd ſi quid à me interdum, acerbè tamen, dictum eſſe uidebitur; caue putes, me boni uiri cuiuſquā, id eſt eorū, qui non cupidè, obſtinatè, petulanter, his de rebus loquuntur, exiſtimationem lædere, aut ſententiam labefactare, aut orationem corrigere uoluiſſe. iſtorū enim ſcripta omnia, quum legerim, unum uideo Speronem excellenti ingenio, multáque doctrina hominē, ſatis hac de re cōmodè ſcripſiſſe. Siue enim ſummi uiri Lazari Bonamici, quem in eo dialogo diſputantem induxit, rationem ſibi eſſe habendam putauit; ſiue (quod magis credam) à ſuis moribus, natura, grauitate, rectóque iudicio nunquam diſcedit; de ſua ſententia, quam mihi quidem, aut ulli ex doctis hominibus probare non potuit, ita diſſeruit, ut boni ſaltem diſputatoris, ac nouę linguæ laudatoris grauitatem, & modeſtiam ſeruârit. Siquis igitur alius, aut quamuis multi hoc in numero haberi poſſunt; eos uelim ſcire, diuerſam me quidem ſententiam tenere, hanc uerò diſputationem contra ſe non eſſe ſuſceptā. Quare ad illos iam uenio, qui ita dictitāt, magnam per nos, qui latinè ſcribimus, omnium diſciplinarum in Italia perniciem nutriri. Interrogo enim, ſi nos, et omnes penè ex Europa docti homines, à tam immani ſcelere latinè ſcribendi abſtinebimus, intermorientur

tur latinę literæ? Religio ergo nónne illas teneat ſemper neceſſe eſt? Hærent hîc temerarij homines; & quæ uellent, ea dicere non audent, niſi apud leues, & ſtultos auditores; doléntque niti Romanam linguam non ſcriptis tantùm noſtris, ſed ſua ui ſtare potius; et inter mala numerari, niſi à malis, & rerum omnium ignaris hominibus, non poſſe illam, qua nihil eſt diuiniùs, magíſque in uita neceſſarium; & proprijs, atque altiſsimis fixam radicibus, nullis unquam poſſe ſeculorum ætatibus conuelli. Quòd ſi non hanc linguam, ſed duas tenere linguas, dicunt eſſe malum, & alteram ex his tolli oportere: non ſtatim tamen impetus fieri in Latinam debuiſſet; ſed rectè priùs cogitandum erat, utram putemus eijciendam: hoc eſt, utra minus incõmodi afferat eiecta, aut eijci faciliùs queat; & utra eſſe abſque altera non poſsit. Non dubium, Crotta, quin iam per te ipſum intelligas, quærendum eſſe etiam, utra antiquior, expreſsior, multis cum populis communior; & cætera multa, quæ noſſe conuenit ante, quàm immanis hæc ſententia feratur. Ac uide primùm, quanti apud me ſis, qui ſolus ad hæc tam leuia inducere me potueris, quæ ſemper ego rectiſsimè contempſi: tametſi neque meam ipſe, neque aliorum hominum doctiſsimorum patientiam laudare poſsim. Nam quis poſſet non interdum grauiùs commoueri, tanta hominum inſolentia prouocatus? quis enim illos in nos concitauit? unde priùs controuerſiæ huiuſmodi cœperunt? quis uſque ad hodiernum diem illos, aut linguam illorum inſe-

ctatus eſt? Annos iam ducentos quinquaginta amplius, homines qui ſe Latinam linguam uitio temporum non rectiſsimè adeptos, aut conſequuturos conſiderent meliorem, noua iſtac lingua ſcribere cœperunt; multíque poſtea ſunt inſequuti, quos nemo de noſtris unquam re, aut uerbo uiolauit: de ipſis autem hac ætate plurimi, & ſcriptis libris, & fœda impuritate ſermonis, effutire audent, nos & ſuperuacuum Latinæ linguę ſtudium, cauſſam eſſe, cur homines, doctiſsimi euadere non poſsint. qua in re confutanda haud equidem diu immorabor. vtrum enim obſit hæc lingua ſtudijs, poſtea reſpondebo: utrum auferri debeat, uel poſsit, facillimè cognoſces. Nam, ſi commodè fieret, ut Romanam linguam homines relinquerent, illam externæ gentes nunquàm recepiſſent. Neque uelim te illas hìc gentes intelligere, quæ cum imperio illam acceperunt, & magnam partem latinè adhuc loquũtur: ſed, quæ nunquam uulgò illam uſurpârunt, nec Romanis diu paruêre. Dicant enim, cur Britanni, Cantabri, Celtiberi, Germani, Cimbri, Heluetij, Sarmatæ, Pannones, multæque nationes aliæ noua iſta lingua carere poſſunt, non poſſunt autem Latina: & poſtquam ſe in libertatem vindicârunt, illam ultrò acceperunt, quamquam uulgò illis vſurpanda non foret? Cur illam acceſiuêre, quam fortaſſe pleræque illarum antea ſimul cum imperio reliquiſſent? cur illam tenent, quamquam in ea verbum nullum ſit, quo in ſermone uulgari utantur? cur relinquere nec uellent, nec

poſſent?

poſſent? Si rectè conſideremus, quàm graues cauſſæ tot exteras nationes impulerint ad illam recipiendam, quum eſſet aliena; intelligemus profectò etiã, quid nos cogat illam retinere, quum ſit noſtra. Illis enim maximarum rerum incommodis neceſſe eſt afficiamur, ſermonis Latini uſum relinquentes, quibus hæ nationes, antequam illam recepiſſent. Illa uerò maxima fuiſſe incommoda omnes intelligunt, nec ualde opus eſt hoc loco ea omnia numerare. Iſtos autem ſi interroges, nouáne ipſorum, an Latina lingua, minore cum damno relinqui poßit: non tanti apud eos erunt diſciplinæ omnes, aut ſacra, aut humanæ; diuinæque leges, aut plurimi illuſtres auctores, aut omnium populorum conſenſus, aut linguæ in cuncta Europa cum omnibus gentibus communio; quanti unius Buccaccij fabellæ, & amatorij cantus, & ſermo uulgaris, qui & his omnibus caret, & uix tam exiguis Italiæ finibus continetur. Commercia igitur, & omnium ſocietates hominum inter ſe, & ſtudia ſapientiæ, & diſciplinarum tractatio, & literatorum cœtus, ac ſodalitates, & gymnaſia in ciuitatibus, non ampliùs inter omnes gentes communia erunt? Profectò enim, qui linguam Latinam eſſe nobis relinquendam cenſent, ij uidentur nolle cum alijs nationibus de ulla doctrina communicare: quos audire ſi uolumus, hanc linguam à prouincijs etiam omnibus, in quibus tenetur, & toto orbe terrarum expellemus. Nam, ſi Galli, Hiſpani, Dalmatæ, Germani, aut cæteræ nationes illam eijcerent; ſaltem

apud eos, quorum propria eſt, maneret. nos uerò ipſi noſtram linguã repudiãtes, nónne apertè ſuademus, ut illam mortales omnes contemnant, & exagitét? Quî enim à reliquis gentibus, ac populis eam uelimus retineri; ſi nobis relinquendam eſſe contendimus? quum præſertim illæ rationes, & argumenta, quibus probare conantur eijci debere, ſi uera eſſent, apud externas gentes, magis, quàm apud nos ualerent? Ergo, quum delere ex omnium hominum memoria, atque ex omnibus terris latinitatem uelint; quæ inde, & quàm intolerabilia mala, & incommoda ſequantur, uides. Non enim ampliùs à nobis exteræ nationes, neque uiciſſim nos ab illis aliquid diſcemus, neque ſe mutuò ullæ gentes in literis adiuuabunt; neque in Italiam ex omni Europa, neque ex Italia ad alias terras, neque alijs ad alios populos, capeſcendarum artiũ gratia, tranſire poterunt: quod maximum eſſe malum iſti non ſentiunt, hominum, & ſtudiorum, quæ in tãta diuerſitate linguarum, à ſingulis dumtaxat, in una uerò lingua ſimul ab uniuerſis gentibus coli, & illuſtrari poſſunt. quanta ſtupiditas eſt, hæc non intelligere, pertinacia non confiteri, peruerſitas aliter ſuadere, ſocordia non curare? Ego quidem certè, quoties Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Italiæ, aliarúmque nationum clariſſimas urbes, in quibus omnium ingenuarum artium ſtudia tenentur, & tantam in literis, doctriníſque omnibus communionem recordor; in ea cogitatione ſum, ut putem beneficio Latinæ linguæ,

& ma-

& maiorum diligentia, tanquam ex omnibus terris unam factam eſſe ciuitatem: qua communione ſublata, infinita quædam uis tenebrarum in rebus humanis cōſequatur. Quamobrē gratias habendas cēſeo ſemper Dijs immortalibus, qui ex tot maximis operibus huius urbis, Rep. & imperio orbis terrarū linguā Romanam ſaltē ſupereſſe, & quotidie magis florere uoluerunt. Nam, ſi una lingua nō ſit, quā omnes gentes intelligant, nulla non modò ſtudiorum, ſed ne religionis quidem in tā multis nationibus certa ratio teneri poſſet. quotidie enim undique, ac de ultimis terris Romam ad hunc Pontificem Max. ac Senatum de illa referunt; quotidie ultro citróque legationes mittuntur: ſæpe conuentus, & omniū terrarum concilia conuocanda ſunt, in quibus de imperij, religionis, & rerum omnium ſumma agendum ſit. iſtorúmne lingua inter diuerſarum regionum homines, longeq́ue terris diſiunctos, tractari hęc poſſunt? ſemper hoc forum externis gentibus refertum uidemus: quotidie hîc ſenatus de ſacris, de Deo, ac rebus diuinis, de cultu religionis, de ritibus, de ſacerdotijs, de iure Pontificio, reſponſa dat omnibus mortalibus gentium remotiſſimarum. Sępe grauiſſimis in rebus leges componit, quæ ad omnium terrarum homines pertinent, à quibus hæc religio colitur. An fortaſſe ne hæc quidē curari amplius debent; atque, ut iſtis nouæ linguæ auctoribus gratum fiat, generis quoque humani ſocietas deſerenda eſt? An huic etiam ſenatui, & Pont. Max. orbis terræ, & religionis

gionis imperium diuinitùs illi traditum, & leges, ac iudicia, tantarúmque rerum adminiſtrationem auferendam putamus? Minimè uerò, inquiunt. At ſi hæc lingua tollatur, omnium rerum, quas dixi, euerſio, atque interitus conſequatur, neceſſe eſt. Ergo, ſi ſtudia conſeruanda ſunt, ſi diuinas, humanáſque leges diſſolui nolumus, ſi hæc religio tenenda eſt, ſi ad eam omnes gentes inſtitui, ac retineri debent, ſi hunc ſtatum rerum, & ſacrorum, Chriſto auctore inſtitutum, nefas deteſtandum, ac ſempiternum malum eſſet aliqua ex parte conuelli: aut hæc una tenẽda eſt, aut omnes omnium gentium linguæ omnibus perdiſcendæ. Nunc uerò utram credunt ſine altera non poſſe conſiſtere. hoc enim prætermittendum nõ fuit. Nam, ſi res eo loco foret, ut alterutra auferri poſſet, temereque hîc fieret aliquid; periculum eſſet ne utraque auferatur. Res tamen aperta eſt, neque argumentis, aut longiore diſputatione indiget. Quum etenim iſtorum noua barbaries à Latina lingua nata ſit, qui eam uolet intelligere, neceſſe eſt nunquam diſcedat à Latina. tametſi hoc effeminatos iſtos, & rudes homines pudeat confiteri: ea tamen lingua abſque noſtra, neque intelligi, neque ullo modo tractari, neque retineri poteſt, quin breui extinguatur. Si enim rectè inſpiciant, & ſingula uerba enumerẽt totius linguæ ſuæ; inuenient, quod ſæpe olim pueri ſumus experti, uix centeſimum quodque uerbũ non eſſe Latinum, aut à Latina lingua natum, aut indidem aliquo modo ultima origine deprauatum.

Quomo-

Quomodo ergò poterunt Latina uerba ſine Latina lingua intelligere? Si enim eam quoque linguam non ignorarent, quam ineptiſsimè, ſtultiſsimè que à nemine adhuc læſam defendunt; ſcirent profectò non poſſe unquam in ea barbarie aliquem rectè ſcribere, aut loqui, aut uerba interpretari, niſi idem ſit linguam Latinam rectiſsimè conſequutus. An uerò illi auctores, quos ipſi tantopere admirantur, Latinæ linguæ rudes fuerunt? An poſſunt aliquem oſtendere ignarum latinitatis, cuius in ea barbarie ſcripta ipſi laudare queant? Hoc ſi non poſſunt, quam eſſe cauſſam arbitrantur? nempe, quia ſermo ille, qui Latinis ferè omnibus conſtet uerbis, prætermiſſo Latino, tractari ullo modo non poteſt. Nam, ſi in Romana lingua nemo unquam ſcribendo præſtitit, niſi Græcas etiā literas tenuerit, quia nos aliqua à Græcis accepimus: quid, per fidem, iſti in ſua, quæ Latinis uerbis, & literis tantùm nititur, efficere queunt, ſi latinitatem ignorent? Quid hîc, mi Crotta, dicimus? nobis qui Latinè ſcribimus, neceſſaria eſt omnino Græca lingua, paucorum cauſſa, quæ inde tranſtulimus: iſti autem propter tam multa, ne dicam omnia, ita ſibi neceſſariam eſſe noſtram non uident, ut ea neglecta, ſuam intelligere non poſsint? Nam, ſi Græcis auctoribus in Latinam conuerſis, id conſequi non potuimus unquam, ne Græcis literis egeremus; quid iſtis illę ſordes, quid noſtri auctores in ſuam linguā tranſlati afferunt, ut carere noſtra lingua recte poſſint? An non potiùs ut iuuentutem, & ſtolidam Ita-

liæ multitudinem à cunctis bonis artibus retrahāt; & ,quod in ipſis eſt, linguam utramque auferant? Quocirca iam te arbitror intelligere, Crotta, quorſum hæc eſſent euaſura; & quid efficerent, ſi iſtorum hominum ſententiæ audiantur. Itaque illis anguſtijs etiam (ut ſuperioribus ad te literis dicebam) docto res iſti tenentur, quòd quum uerba interpretari nolint ad rationem latinitatis, quam etiam tolli debere aiunt: linguam ſuam non modò obſcuram tenent, & inexplicatam; uerùm etiam temerè, neque aduertentes, cum Latina auferre conantur. Denique, ſi duas tenere linguas, malum eſſe dicunt, intelligere debebant à quibus illę teneantur, neque ſuam in alios culpam transferre. Sed, quia erant ſex propoſita, quæ dementes homines à Latinis literis inſectandis deterrere debuiſſent; & dictum ferè de primis: etiam ſequitur, ut de reliquis tribus dicendum eſſe uideatur. Illa uerò ſunt hæc, ſpectandum eſſe utra lingua ſit expreſsior, utra antiquior, utra multis cum gentibus communior. Ac de primo ſatis arbitror eſſe dictum ſuperioribus literis: alterum uerò habet nihil, quod in dubium reuocari poſsit; niſi ſi antiquitatem ipſam nihil conferre ad linguæ amplitudinem, ſtupidi homines arbitrentur. Ego uerò, ut taceam ueteres linguas uincere cunctarum infinita rerum copia, maioréque hominum, & ſeculorum penè omniū conſenſu, quæ linguarum certiſsima lex, minimeque dubia æternitas habetur; dico noſtra lingua, præſertim diſciplinas, iura, myſteria, totamque religionem tenente,

tenente, fieri etiam, ut noua hæc nullis unquam ſecu lis, linguæ numero haberi poſsit. Verùm hac de re plura non dicam; redeoq́ue ad id, quod poſtremo loco poſui, ea potiùs lingua ſcribi oportere, ea ſemper doctiſsimos, ac ſapientiſsimos omnium uel nationum, uel temporum iure optimo eſſe delectatos, quæ præter illum ſplendorem, & multa illa commoda, quæ dixi, maiore etiam in parte orbis terrarum ſcribendi, & legendi publica, & priuata conſuetudine teneatur. Quòd ſi Germani, Cimbri, Pannones, uniuerſęq́ue nationes à Britannia ad Tanaim, ſeptentrionisq́ue terminos, ac denique omnis Europa noſtra eſt, & gentes quæcunque religionem Chriſti colunt, ſocietate Latinę linguæ nobis coniunctę ſunt; quas iſti indoctorum, ſtultorúmque hominum opinio nes, quæ amatorum carmina, quos mulierum cœtus, quæ lupanaria tanta, cum Romana lingua conferre audebunt? Vtrum igitur hæc non pateat latiſsimè linguarum omnium; an hoc potiſsimùm non ſpectari in linguis debet, ut ijs utamur potiùs, quæ ſunt multis cum gentibus communes? Ac uide, obſecro te, mi Crotta, uideant criminatores iſti, quantum inter ſuã, ac doctorum omnium opinionem interſit. Qui genus aliquod doctrinæ attigerunt, omnes relicto ſermone patrio, cõmuniore lingua ſcribere maluerunt, quanuis ea eſſet peregrina: iſti uerò eam ſequi nos uolũt, quæ profectò barbara eſt, & uix intra ſuos fines intelligitur; quæ uerò noſtra eſt, & ampliùs iam duobus millibus annorum à tam multis clariſsimisq́ue

natio-

nationibus tenetur, prorſus clamitant eſſe relinquendam. Non hoc ſenſerunt de ultimis terris quàm plurimi, neque hoc fecerunt, qui mirabili ſapientia, doctrinæ & ſcriptorum fama, illuſtres fuerunt. Confer enim ſimul uniuerſos, qui Grçcè magna cum laude hanc ipſam rationem ſequuti ſcripſêre: neceſſe eſt, mihi confiteare, iſtorum barbariem nullis unquã ſeculis, tot uel mulierum, uel amorum, uel Thraſonũ cantores habituram eſſe ſuos, quot habuit philoſophos, poetas, oratores, & quarumcunque literarum ſtudioſos, ex omnibus terris Græca lingua peregrinos. Nam quid Anacharſim, quid Ageſiam, quid Aratum, quid Carneadem, quid Arceſilam, quid Clytomachum, quid Apollonium commemorem? Quid Ariſtarchum, Antipatrum, Callimachum, Ariſtipum, Daretē, Ariſtobulum, Chryſippum? ſuæ ne gentis linguam ſequuti ſunt, Beroſus, Epictetus, Diodorus, Aeſopus, Dioſcorides, Lucianus, Porphyrius, Eraclitus, Hermodorus, Hipparchus? Alios adhuc poſſem referre quàm plurimos, quorum ſententia nobis latinè ſcribendum eſt; tametſi Latina lingua, ne antea quidem noſtra fuiſſet unquam. Cur enim hi, quos dixi, & multa adhuc millia doctiſsimorum, ſapientiſsimorúmque hominum hoc non fecerunt, ut alius Chaldæorum, alius Carthaginenſium, alios Aſſiriorum, alius Cyrenenſium, aut Alexandrinorum, aut Phrigum, aut Scytharum; id eſt ſuam quiſque in ſtudijs linguam, ac literas teneret? Credo hîc te intelligere, mi Crotta, quanta ſit

res

res mota; quanta ſint, quæ hoc loco dici poſſunt. Verùm ego non perſequar, ut ſingulis de hominibus dicam. ipſas enim urbes poſſum, totáque regna nominare. Neque tamen aut ciuitates dicam Italiæ Græcas, & oram magnæ Græciȩ uſque Rhegium ac Siciliã; & in Campania uel Cumas, uel Nea polim; extráque Italię fines, Maßiliam, totámque uel Aetoliam, uel Aſiam, uel Ioniam; uel ſi quibus alijs in terris, aut colonias Græci habuerunt, aut no uas vrbes condiderunt: ſed longè diſsitas regiones, ad quas lingua Græca, non à Græcis importata eſt; ſed ab ipſis gentibus, quæ illam ſibi neceſſariam cognouiſſent, accerſita. Etenim ante Latinam linguam apud quoſdam Hiſpaniæ populos, & Heduos, & ma gna in parte Galliarum Græcȩ literæ fuerunt. Præter Thraſimachum, pluresque alios, Annibalem, et Hannonem Carthaginenſium duces, inuenio Græcè libros, illum de re militari, hunc de Africæ ambitu, conſcripſiſſe. nullam ergo dicemus Carthagine Græcam linguam fuiſſe? Non ergo mihi utendũ eſt ampliùs argumento Cappadociæ, Siriæ, Antiochię, Bithyniæ, Pergami, Tarſenſium, & Damaſcenorũ hominum. Habeo enim Alexandrię quoque, & Cyrenes, & Aegypti, & Hieroſolymorum uetus, clariſsimúmque exemplum. Poßúntne iſti amici tui numerare eos, qui ex his terris omnibus, Grȩcorum doctrina, ac literis, clariſsimi fuerunt? Poſſunt, illa ſua mente, & illo iudicio, æſtimare unum illud argumentum, quod tibi ſȩpius dicebam, de bibliothe-

ca Alexandrina, de ęmulatione Ptolemæi Phila-delphi cũ Pergami Regibus, de ſeptuaginta ijs Hieroſolymitanis hominibus, qui Regis Ptolemæi rogatu ueteris Theologiæ libros in Græcum uerterunt? Non hæc intelligunt arrogantes, atque indocti homines. quare mihi ſatis erit, à te ſi rectiſsimè ęſtimentur, qui cum ſunt à me ſæpe communicata. cupio enim tibi ſatisfacere, nec uideri ſine grauiſsima cauſſa tandiu repugnauiſſe opinioni tuę. Nunc uides, quanta manus doctorum hominum, quantæ in orbe terrarum ſcholę, ac ſedes, domiciliáque publica ſermonis Græci, quantum illius ſtudium apud remotiſſimas gentes, quãta ſcriptio quondã fuerit. non quia, ut iſti ratiocinantur, ſermone quo loquimur, ſcribendum ſit; ſed quia nulla putari debent ea ſcripta: nulla prorſus ea lingua eſt, quæ tantùm à ſuis, aut ne à ſuis quidem, rectiſsimè intelligitur. Quare hac ipſa ratione mea Diogenes etiam, Antiochus, Heraclides, Theodorus Gadareus, Philo, Menodorus, Philagrius, Hermogenes, innumerabiléſque uiri illuſtres, adducti ſunt; non ut ſuam, quæ ipſis tantùm eſſet cognita, ſed Gręcam linguam anteponerent, quam ſcirent multis cum gentibus eſſe communem. Ergo, mi Crotta, ſi extra Europam cunctis mortalibus omnium temporum, qui ſe ad literas dederant, aliena lingua diſcenda fuit, qua ad ſummos doctrinarũ gradus peruenerunt; nobis Græcè etiã ſcire neceſſe eſt; neque omnibus Iudæorum, Chaldęorum, uel Arabũ lingua prorſus omittenda eſt; & ſcientias omnes

pro

pro ſermonis Latini modo, hominibus, ipsíſque ſeculis, uel mediocri, uel ſupremo, uel minimo, uel nullo, uel ſordido, uel illuſtri, nouimus multorum exem plo, & hominum, & ſeculorũ, ſupremas, mediocres, minimas, nullas, ſordidas, aut illuſtres contigiſſe; intelligis, quanta ſit eorum inſania, qui in nos, noſtrãq; linguam, nullis noſtrorum hominum iniurijs laceſſiti, debacchantur. Illud etiam non dubito, quin intelligas, quibúſnam rebus linguæ cernantur, utrum multitudinis, ac uulgi; an plurimarum nationum, ac clariſſimarum gentium conſuetudine, quod unius eſt proprium Latinæ linguæ. Ad illam preterea cogitationem adducere te uolui, quod rerum omnium maximè refert, uidere, utrum carere Latina lingua diuinæ, humanęque res poſſent; & utra lingua ſublata, alteram ſit neceſſe interire. Vale. Romæ.

Ioanni Angelo Crottæ, Peruſiam. XVII.

QVAE ſuperioribus ad te binis egeram literis, ut uera eſſe omnia fateare; ſcribis non poſſe tamen cuiuſquam argumentis fieri, ut longiſſimi temporis iactura, ſermonis Latini perdiſcendi, tibi nõ uideatur eſſe grauiſſima. Sed parum ne tibi, Crotta, uideor hac de re etiam reſpondiſſe, quum dicerem, toto ex orbe terrarum doctis hominibus diuturniore ſtudio, atque opera, linguam Græcam fuiſſe diſcẽdam. Mihi quidem ſatis eſt, ſi doceo, contra quàm delicati ſentiunt iſti amici tui, Latinam linguam, ita eſſe ad ſtudia, ad religionem, ad humanas, diui-

náſque res, neceſſariam; ut omnia hæc ſine illa conſtare non poßint. Qui igitur poſſe hanc linguam, niſi cum ſole, atque mundo, auferri putant; ut profectò multi putant, idque ſperant, contendúntque oportere, et quò faciliùs fiat, opem accommodāt ſcriptorum ſuorum; hi ne quid grauiùs dicam, tota de re imprudentiſſimè ratiocinantur. Equidem ſic reſpondere iſtis potuiſſem, ut nobis duas eſſe linguas, et Latinam eſſe eo loci, quo olim Græca, & in terris omnibus uulgò teneri deſitam, & rectè pronuntiari, uel diſci multorum annorum ſtudio, uel prodeſſe ad doctrinas conſequendas non poſſe, immo etiā nocere quàm plurimùm, & nouæ ipſorum linguæ copiam, ſplendorem, & omnia eſſe denique meliora, quàm Latinæ, & tantum incommodi, quantum ipſi dicunt, confiterer; adiuuare tamen hæc illos minimè poſſent, quum Romanam linguam neceſſe ſit cum rebus humanis, ac diuinis omnibus in ſempiternum tempus eſſe coniunctam: quid ſi, ut ſæpiùs iam dixi, tum falſa ſunt omnino, tum inutilia ad efficiendum, quod uolunt? Quòd ſi hac lingua diſcenda, tantum detraheretur à cæteris diſciplinis, quantum iſti cupiunt uideri: ſtatímne religio etiam tollenda eſt, ut integrum pueritiæ tempus omnemque potiùs ætatē, canticis amatorum demus? Aut quid aliud eſt hāc linguam tollere, quàm ſublata rerum communicatione, cum cæteris gentibus ſilentium, obliuionéque religioni, diſciplinis, & ſacris omnibus inducere? Quare non modò, quia doctrinis omnibus lumen af-

fert, Latina lingua ſeruari debet: ſed, quamquã his magna ex parte noceret, nullis tamen ſeculis, nulla in poſteritate hominum poterit conuelli. Itaque patiantur docti ac ſtudioſi homines iſtam, quã dicunt, æquo animo iacturam; ſciántque ſibi non modò latinitatem, ſed uitia quoque illius, inuitis eſſe perferenda. Sed ò me doctum hominem, qui de re tam graui, & dubia, tam multis diſputem. Redeo igitur, ut illa proferam occultiora, nouum ſcilicet, atque à ſtudijs alienum minimè uideri, in Latina uel Græca lingua diu etiam laborare, in qua nati non ſimus; ſed uſitatum, uetus, neceſſarium. Si enim quibus aliena lingua diſcenda eſt, ij nec diſcere illam rectè, nec maturè ad diſciplinas poſſunt accedere; iam neq; Ennius neque Pacuuius, neque multi de antiquißimis poetarum ſatis Latini, uel docti, iſtorum ſententia fuerunt. Verùm ego de his omittam dicere. uideo enim ad quam iſti latebrãm, tergiuerſationemq́ue fugient. Quid tamen de illis reſpondebunt, qui minimè bonis temporibus Romanæ linguę, extra Italiam nati, linguæ tamen, & ſcientiarum facultate omnium præſtiterunt? Quot enim Africa (ut Apuleios non dicam) Septimios, Arnobios, Cyprianos, Aurelióſque miſit Romam, ad Italiam, ad Europã ſanctißimos homines, tanquam cœlo demiſſos, ad religionem Chriſti, doctrina, & eloquentia tuendam? Verùm ego, mi Crotta, iniquè abs te, ad huiuſmodi etiam argumenta, totámque hanc epiſtolã ſum adductus. Quos enim ſuperioribus literis dicebã, Scy-

thas quoque, Phrygios, Iudæos, Aegyptios, totóque ex orbe clariſſimos uiros, Gręcis literis Philoſophiā cęteráſque diſciplinas tractauiſſe; ijdem ſatis iſtorū hominum ſtultitiam exemplo ſuo damnare potuerunt. Illos nominaui contra id, quod ſua cuique lingua ſcribendum eſſe iactabatur: prodeſſe tamen apud te mihi in eo quoque debuerunt, quòd ſtudio nō ſuæ, ſed Græcæ linguæ adiuti ſunt, ad perfectè, ac celeriter omnia conſequenda. Sed quid noſtræ memoriæ doctos homines taceo? utrum non à præceptoribus illam, quæ temporibus optimis Reip. fuit, Latinam linguam, & ſummam rerum omnium ſcientiam, acceperunt? Illi uerò & aliam à pueritia linguam tenuerunt, & Romanam didicêre, non antè cognitā; & literis, doctrina, facultate orationis, multis etiam de ueteribus uiris ampliſſimis præſtiterūt. Quamobrem expectet iſta natio ueſtra ſuos, ut aiunt, in ea lingua Platones, Ariſtoteles, Theophraſtos: ipſi interim in Romana Flamminijs, Perionijs, Sadoletis, Victorijs, Manutijs, Bonamicis, Romulis, atque huiuſmodi hominibus contenti ſimus. Quòd ſi Latina lingua noſtra ampliùs non eſſet, quæ profectò uel ſola religionis cauſſa magis noſtra hodie eſt, quàm olim Romanorum; tamen ſummorum hominum exemplo, clariſſimarum ciuitatum toto penè ex orbe terrarum, ut ſuperioribus ad te literis dicebam; inſtituto ualde etiam neceſſario facere uideremur, ut ea lingua ſcribamus, quæ apud nationes plurimas teneretur. Nec de colonijs, aut ciuitatibus

bus Græcorum dico, aut ijs gentibus Aſiaticis, quæ ſunt ad maritimam oram Thracij Boſphori, et Helleſponti, Lampſacenis, Clazomenijs, Epheſiis, ac cæteris longiſsimo tractu uſque ad Gnidum, Cyprúmque, & Tharſum, & plurimas Ciliciæ, Pãphiliæq; ciuitates. Paulus enim, & Ioannes, collegæque cæteri, primi religionis magiſtri, Iudæi homines, et qui buſcunque ultimis in terris, niſi apud eos, ubi literæ cultæ nullę ſunt, uel quorum omnis memoria extincta eſt, omnes Græcè ſcripſerunt. Recordare etiam Maſsiliæ, Antiochiæ, Pergami, Hieroſolymis, Alexandriæ, in Gallijs, Sicilia, Africa, Aegypto, & cunctis in gentibus, quæ non quemadmodum nos legum, uel religionis cauſa cogebantur; quantum linguæ Grçcæ ſtudium, quanta manus doctiſsimorum hominum fuerit. Sed quid externis de gentibus loquor? ipſi mehercule Romani ciues, an ſtatim ut fari, ingredíque pueri cœpiſſent, quia, ut aiunt, ſine ſtudio Latina lingua diſcebatur, illos ad præcepta Rhetorum, ad Philoſophiam, aut ius ciuile tradebant? Nónne ijs quoque, præterquam Grammatici Latini eſſent audiendi; lingua etiam Grçca diſcenda erat, antequã ullis ex diſciplinis aliquid attigiſsẽt? Dicant enim uel ex ijs unum, qui ſine Grçcis literis, ad genus aliquod acceſſerit doctrinæ, & literatorum in numero habeatur; per me quidẽ uicerint, cedam, neque his ampliùs repugnabo. Vides igitur, mi Crotta, qui nouum eſſe dicunt, aliquod in linguis diſcendis tempus conſumere, quanto errore teneantur.

tur. Quare ſæpiùs mihi cogitãti de opinionibus iſtorum hominum, quæ Italiam his triginta annis peruaſerunt, atque à ſtultis tenentur, nulla à ratione, & recta ſententia, ſed errore, & nouarum cupiditate rerum, contra diſciplinas, & religionem profectę; ſolet in mentem illud uenire, ut uerear, ne ſint hæ in nos ab iratis Dijs immortalibus immiſſæ. Etenim, quæ impiè fiunt à nobis, aut nefariè cogitantur, illa ut metuam puniri à Deo hoc genere ſupplicij, & diuiſione linguarũ, admoneor uetere exemplo: quum ij, qui in Babilone turrim ædificarent, quæ cœlum attingeret, non alias, quàm mutatæ plura in genera linguæ, pœnas dederunt. Nemo præterea illud ignorare poteſt, quod uiri ſanctiſsimi, diuinóque ſpiritu afflati, diris execrationibus, ſuis hoſtibus, ac nefarijs hominibus imprecati ſunt; ut confuſa inter eos lingua, cœpti eorum conatus, & conſilia frangerentur. Eſt ergo genus hoc ſupplicij, quum uetus, tum graue: nec iam mirari quiſquam poteſt, quòd ſentiam, per nos ipſos diuino quodam, ac ſecreto inſtinctu nos in huiuſmodi pœnas conijcere, quibus tanta hominum, ac totius generis humani temeritas olim uindicata eſt. Auertat hoc tamen Deus, & hanc linguam totiúſque Europæ in bonis artibus, & religione ſocietatem, ſempiternam eſſe uelit.

Ne uetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeat, Teucróſque uocari,
Aut uocem mutare uiros, aut uertere ueſtes.

Ita enim hæc lingua ſummis cum rebus, & ſumma

ma cum religione coniuncta eſt; ut, qui eam auferre ſtudent, ipſum mehercule ſolem de mundo tollere uideantur. Sed, quàm hoc ſtultè cupiant, quàm furioſè præcipiant, arbitror tibi ſatis iam his, & ſuperioribus literis eſſe demõſtratum; ſic ut, ſi fateri uelis, multis partibus eſſe non meliùs tantùm, uerùm etiã faciliùs, Latinam linguam introducere etiã ad pueros, ad mulieres, communémque ad uulgarem totius Italię conſuetudinem loquendi; quàm illi ſtatũ, in quo nunc eſt, uel mediocriter labefactare. Vale.

Q. MARII CORRADI
EPISTOLARVM
LIBER II.

Ioanni Metello Sequano, Romam.

XVIII.

NEC ſępe eſt, cui ex his locis dem ad te literas; nec ſcire poteram, an Romę adhuc eſſes. tuos enim magno deſiderio tui omnes teneri audiebam ex te quotidie; nec minùs tamen ego, poſtquã me recepi domum, deſideraui literas tuas. Quòd ſi antè reddita ſit hęc tibi epiſtola, quàm in Galliam ſis profectus; rogo te de rebus tuis omnibus, fac me certiorem, in primíſque quod ad tempus Romam te putes eſſe rediturum. denique tamen, ubicunque futurus ſis, omnino tuis literis carere nolim. Nam, quanti ego te faciam, quanta uiciſſim tua in me beneuolentia ſit; nos ipſi inter nos teſtes ſumus. meus quidem in te amor is eſt, ut neque ex literis, aut ſermonibus, neque magnitudine inter nos officiorum, aut denique ulla ex re illum ſpectari uelim. ſit igitur caritas hęc utrique noſtrûm ſempiterna. Cum Iordano quid actum ſit, ſcire cupio. Aſcanius mihi Baſſus omnę ſtudium, atque operam in ea re pollicitus

tus eſt,ut librum, & lucubrationes noſtras ab illo recipiamus: quod eum non deſpero facturum. Inſcriptionem Caietæ,in æde Saturni; quam & occupatus,& noctu vidi; mandaui amico, atq; hoſpiti meo Caietano, ut deſcriptam diligenter,ad nos mitteret. Sperabam me Puteolis,ac Baijs multa inuẽturum; ſed,quum terreſtre iter à latronibus obſeſſum teneri diceretur, nauigio à Caieta Neapolim. Ibi ſex diebus ναυπηγήσας, recognoſcere nõ potui, quæ ſæpiùs ante vidiſſem. Apud nos uerò ſi quid eſt, meminero: quanquam omnis memoria uetuſtatis hîc penè deleta eſt. De meo reditu, ac toto animi mei conſilio, ab Stella,& Aſcanio cognoſces. Spero me fore in urbe, antequam tu à Sequanis reuertâre. Fac, ne diu Romæ te expectem. Vale. Vriæ.

Franciſco Strateio Medico, Manduriam. XIX.

QVòd rediens ab urbe, non ſtatim ad te dederim literas;nolim te obliuioni amicitię noſtrę, ſed nouitati rerum,et moleſtijs tribuere, quibus nũquam antea uideor mihi pertuliſſe grauiores. Nam de meo in te amore,& obſeruãtia,ſcio me nõ oportere pluribus tecum agere. recordor etiam officia; & conſtantiſsimam beneuolentiam in me tuam, cuius amaui ſemper ingenium, bonas artes, religionem, integritatem, ac fidem. ipſe quoque non dubito,quin eodẽ in nos animo ſis,quo ſemper antea fuiſti: quãquam ſæpiùs antehac etiam à me commiſſum ſit, ut

meam

meam in ſcribendo negligentiam accuſare poßis: quod ſi non reprehendas, acceptum refero facilitati, ac manſuetudini tuæ. Scribam ergo pluribus ad te; et crebrioribus literis, quum per otium licebit, moleſtiæque refrixerint. Vale. Vriæ.

Franciſco Strateio Medico, Manduriam. XX.

R*EDDITAE mihi ſunt à te literę, ex quibus intellexi, quod minimè dubitabā, te mei amantiſſimum ſemper fuiſſe. Quod ſuades, ut quàm ſæpiſſimè ad te ſcribam, id quod te quoque ſignificas libentiſſimè facturum; ſcire te uelim, tuis mihi literis nihil fore iucundius; & à me, quoties poteſtas erit, hanc officij partem minimè prætermiſſum iri. De improbitate uerò & ſcelere tuorum inimicorum, quid dicam? exagitârunt nefarij homines uirum totius ciuitatis religioſiſſimum, & (quod maximè confitemur) à ſuis moribus, ac uita alieniſſimum. Itaque carere ſacris, & conſpectu ciuium, ſine ſceleratiſſimorum hominum ſummo dedecore, et ſumma tua gloria, equidem non uideo, quî potueris. Nam tu quidem, eo ſaltē nomine, illam pœnā æquiore animo ferre potuiſti; quòd eodem tempore à nequiſſimis, ac perditiſſimis, homo innocentiſſimus, & iuſtiſſimus abeſſes. quid enim turpe, aut graue cuiquam eſſe poteſt, quòd ab ijs in exilium ſit eiectus, quorum ex uita, & moribus liceat cognoſcere, iam nunc à Deo, fructu eos Chriſtianæ religionis, & cęli re-*

li regionibus interdictum eſſe? Hęc tibi non mediocrem afferre poſſent conſolationem, niſi quód arbitror te hominem ſingulari pietate, ea quoque ex re capere dolorem, quòd aduerſarijs, atque inimicis tuis nolles grauiùs aliquid diuinitùs accidere. Sed, quum has literas dabam, præſtò mihi fuit Ioannes Vincentius noſter, qui mihi de ſtatu utriuſque ueſtrûm interroganti, rectè omnia reſpondit. Cauſſam tamen ego non probaui, cur à te abeſſet. Dolui illã quoque moleſtiam acceßiſſe dolori tuo. Vale. Vriæ.

Franciſco Strateio Medico, Manduriam. XXI.

EGI, ut mandarâs cum Ioanne Vincentio multa; ſed leniùs fortaſſe, quàm tua uoluntas poſtulabat. ipſe enim de te manſuetè & piè. Denique eò deduxi adoleſcentem, ut cuperet ad te redire; quanquam à principio te queſtus eſſet, nimis durum eſſe patrem; nec poſſe fieri, ut nimia ſeueritas nunquam offendatur. Quid quæris? Menedemum quendam, aut Demeam narrabat: &, quum fortaſſe de Poeta nihil cogitaret, ex illo tamẽ ſępiùs dicere uidebatur;

Pudore, & liberalitate liberos
Retinere ſatius eſſe, quàm metu.

Longiùs omnia eouſque perſequutus eſt, ut extremum quoque illud expreſſerit;

Hoc pater ac dominus intereſt.

Non diu tamen ea in ſententia perſtitit, & nobis facilè minimeque inuitus acquieuit; neque durum

rum

rum eſſe ſapientiſſimum patrem, qui ad ſuos mores filium inſtituere conetur; neque, ſi durus credatur, repugnari paternis monitis, uoluntatíque oportere. Tum παῤῥησία illius, quum à me reprehenderetur, ſe reſpondit, nihil tamen petulanter dicere, aut facere, neque cogitare; uel certè non eo animo facere, ut offendat animũ patris, idq; religioſiſſimè cauere. Conſuetudines uerò cum ijs, quorum in periculo eſt uita propter capitales inimicitias, non grauatè uelle diſſoluere; uehementer tamen cupere, ut ſe aliquo in ſtudio occupares. Dolebat, quòd à te diuturna expectatione Dialecticæ luſus eſſet. Siqua uerò diſciplina ſe inſtituere incipias, fore ait, ut rarò cum alijs, rarò à tuo latere diſcedere, aut domo exire uideatur. Me obſecrauit his de rebus, ut ad te ſcriberem; rogaremque maiorem in modum, ut ignoſcas adoleſcentiæ, & in ſe erudiendo, laborem ſuſcipias: quod ut facias, te uehemẽter etiam atque etiam rogo. Fac, intelligat, eum eſſe in me amorem tuum, ut liberos quoque patri commendare potuerim. Vale. Vriæ.

Iacobo Moroneſſæ, Lupias. XXII.

F*RATREM tuum adhuc non uidi, quanquã ad nos fuerit, et à me diu expectaretur. Ego poſtea uenire ad te non potui, quum tam propè acceſſerim; & ruſticatio hęc, & ſolitudo minùs odioſa mihi fuerit, quòd uicina nobis eſſet. Veniam ante Id. Mart. quod ſi non fiet, ſcio nos excuſationẽ à me non*

expe-

expectare. Audio enim à multis, quòd ipſe dixeras, te ad Cal. Aprilis iſtinc uelle diſcedere. De Contareni philoſophia, quòd ais, neminem inueniri potuiſſe, qui illam deſcriberet; iam tibi credis ipſi, adhibitã eſſe à me quoque diligentiam. nam dedi operam, & fruſtra multos, neque idoneos rogaui. Si quem tu poſtea librarium nactus eris, codicem manu pueri mei, cum Sadoleti, ac Flãminij ſcriptis uel ad me, uel ad fratrem meum remittes. Redeo ad ſuperiores literas meas. uides, quàm familiariter in ijs, & liberè tecum? Itaque rogo, omnia uni tibi putes eſſe credita, & eam, ut epiſtolam conſcindas. Quis enim me ferat, niſi tu, homo omnium mihi amiciſsimus, atque humaniſsimus; ſi ego nec illum ferre potui, quem cæteri omnes admirantur? Neque tamen illum contẽpſi unquam, & ſuſpicio penè plus, quàm cæteri: ſed uos noſtrorum hominum commoditati, & exiſtimationi Italiæ, atque omnis Europæ, uelim conſulere. Itaque non illi detrahere, ſed literatorum ignauiam excitare cupiebam. Nulla eſt, inquis, & nihil deeſt alicui generi literarum. Iſtuc ego non diſputo; ſed M. Tullij, & Sadoleti conſilium, ut philpſophiæ, ita cuiuſque diſciplinæ, latinis literis illuſtrandæ, mihi ualde probatur. Quantos ego hîc auctores habeam, uides. Sed te arbitror in eadem epiſtola non murices tantùm faſtidiſſe meos, & purpuras, & multa conchiliorum genera; ſed pectines, & oſtrea, & uniones etiam riſiſſe. Nónne hæc in tophis, lapidicinis, altiſsimo in ſaxo, ipſa quoque λελιθωμένα cernimus

mus

mus quotidie? adde calceos equorum, ferramenta, ſecures, oſſa hominum. Non caput humanum affero ex capitolio, non illud ex Africa:

Effodêre loco ſignum, quod Regia Iuno
Monſtrârat, caput acris equi.

Ego enim ipſe uidi, non ut hæc portenti loco, ſed omnibus uulgò ſpectata brachiorum oſſa, & tibiarum, in latomijs in ſaxum durata. Nuper autem in agro Mandurino homo repertus eſt integer, cui ſolidus undique lapis concreuiſſet. Si animalia hæc non ſunt, quid eſſe dicas aliud? unde tot, atque ita expreſſæ rerum ſimilitudines? ſin eadem, quæ uidentur; ipſo etiam de mundo quàm plurima dubites, ne ceſſe eſt. Tu ridebis fortaſſe, utrum dicatur. Quid enim Peripatetico homini cum oſtreis, præſertim, ut dixi, λελιθωμένοις? *Vale. Hydrunte.*

Theophilo Zimaræ M. Antonij. F. Lupias. XXIII.

A*DHIBITAE ſunt omnes ad morbum curationes tuæ. Sudorem matutinis etiam temporibus elicere adhuc non potui. Nihil ante potiones afferunt, uigiliæ, ignis, fomenta, cubiculum, ueſtes. Hoc ſi ualde refert ad ualetudinem recipiendam, uide, amabo te, quid faciendum putes. Cæterùm ſic habeto, me ſemper natura* δυσίδορκον, *ac miror ualde mihi tam denſa cute ad ueſperas aliquid effluere. Quod ſiniſtra in gena* παράλυσις *tibi ſit uiſa, equidem nunc liber ſum metu. Fluxionem pituitæ*

de

demiror tantam; nec uideo iam, quid ſperem. Ante medicinas, cũ ijs oleribus, quæ ſunt à te mihi probata, meliuſculè habebam. Quamobrem uereor, ne non tam ipſa uis morbi, quàm dulcia omnia ſint nũc moleſta, quibus nullum mihi peius uenenum dari poteſt. Hoc ego non ſolùm guſtatu ſentio, qui mihi tamen à dulcibus eſt alieniſsimus; ſed permotione ſtomachi, & febri etiam ſæpius inſequuta. Itaque, quum neceſſario hæc uitare ſim ſolitus, illud oro te, ueſtrę gentis mihi præſta, δοτέον δ' ἔτι καὶ τῷ ἔθει. *Caue enim putes, cum hac diæta me poſſe uiuere. Iam non linguæ, aut palato, ſed ualetudini dari à te peto aliquid. Animaduerti ſcriptum in ueſtris libris, aliquantò peiora, ſi magis iucũda ſint ægroto, etiam ſalubrioribus ijs, quæ ferri ab illo non queant, anteponi oportere,* ἱπποκράτους καὶ τόδε: *quò, genus hoc potionis, & cibi magis timere incipio. Hoc rectè ut cogites, à te uehementer peto. Nam hactenus, quòd aliter, quàm ſperare me uolebas, tribuam uitio naturæ, ac temperationis meæ. Vale ex Cæſareo. Id Oct.*

Theophilo Zimarę Medico, M. Antonij F. Lupias. XXIIII.

SCRIBIS *me tibi gratum eſſe facturum, ſiquid de meis uerſibus ad te mittam; quòd ij boni quidem, & caſti eſſe uideantur, ut de ſua Rep. eos Plato eijcere non poſsit. quorum alterum tibi aſſentior, me ita ſcribere, quum uolo, ut religioſas aures non offendam: alterum uereor, ut poſsim concedere, qui*

longè

longè abſim ab eo gradu,ad quem multos annos aſpirauerim . Sed tibi ago tamen gratias,qui ob magnitudinem amoris tui, meos uerſus, qui antea mihi nō placebant , ita ornaſti laudibus,& oratione tua, ut ex tuis literis mihi ſim uiſus eſſe aliquid;& illos putem auctoritate, & elegantia epiſtolę tuæ, factos eſſe meliores. Quæ uerò nunc ad te miſi epigrammata , uerebar primùm ne non digna Platonis Rep.exiſtimares; at poſtea illius exemplo me facere putaui; ut, quemadmodum is poetas exagitauit , & ciuitate eiectos uoluit, quòd eos fictis fabulis falſa de Dijs multa dicere putaret, & mores atque opiniones peruertere;ita ego literas & ingenuas diſciplinas, barbaris, & omnino malis auctoribus, ac magiſtris expurgare uelim. Ac miror equidem tantā in noſtris hominibus peruerſitatem, ut barbaro, & ineptiſſimo ſophiſtæ,uelut arcem quandam aſſignârint literarum; quos, ut uerum fatear, his uerſibus admonere uolui magis,quàm rudem,ac bardum hominem reprehendere. Ille enim more hominum facit, ut ſua amet, & quibus poteſt ſcriptis famā uulgi aucupetur: iſtis uerò prudentiſſimis uiris neſcio, quid in mentem ueniat,ut illa barbarie & fœditate ſcriptorum miſerę iuuentutis ſtudia corrumpant. Quòd ſi tibi non perſuadeo,me illa ſcribere debuiſſe, & grauiùs aliquid me uis πραγματεύεσθαι ; *demus,quæſo te,operam,ut,ſi poſſumus ,morbum depellamus . poſtea,quoties erit otium , aliquid ad te ſcribam;quo,ſi me Plato non probabit, æquo tamen*

animo

animo feram exulare cum Heſiodo, & ijs, qui minima ſaltem ob uitia, illius ciuitate caruerunt. Vale, Cæſarei, IX. Cal. Nouemb.

M. Antonio Vinciguerræ, Lupias. XXV.

SI Vales, bene eſt: ego quidem ualeo. Tu quoq. mihi, M. Antoni, ſaltem hac ipſa clauſula reſcribes; nec, ſi me amas, patiâre ampliùs eſſe ſine tuis literis. Nihil eſt, quod me oporteat ſcire. audio, ſed non huius generis à te literas expecto. Satisfeceris cupiditati, ne dicam timori meo, ſi me de tuo ſtatu certiorem feceris. Quòd ſiquid tamen erit in tuis literis, quod ego pro meo in te amore libenter audire poßim; ſcies magna me, & ueteris morbi, & fortunæ iniuria, his legendis, poſſe liberari. Vale & ſalue.

M. Antonio Vinciguerræ. XXVI.

AD xvij. Cal. Iun. quum ad te literas miſiſſem, ac uicißim tuæ mihi expectādæ eſſent, hinc abfui nō multis diebus. ego interim nihil à te accepi literarum. Quamobrem uereor, néue ſcribere non potueris, néue tuæ ad me literæ, uel ad te meæ, non ſint perlatæ. Hac de re ſtatim fac, amabo te, ut ſciam. Vale.

Donato Rullo. XXVII.

EX quo die cum Cæſare Capucemadio genero fratris tui apud nos proxima æſtate fuiſti, conſtitueram ad te, ubicūque eſſes, uenire. Hoc uerò conſi-

lium meum non aduerſa ſolùm ualetudo, ſed etiam fortuna quædam retardauit. Nam, quū ſæpius præmiſiſſem, qui uiderent, an Lequilis eſſes; accidit, ut ſemper id fecerim, quum tu abeſſes; aut tū eſſes præſens, quum ego, valetudinis cauſſa, domo exire non poſſem. In hac ero tamen uoluntate, quoad perficiā; & quùm uidebor mihi paulùm confirmatus, ad te ueniam. Hactenus epigramma nullum ad te miſiſſem, niſi quòd uenire adhuc ipſe non potui; &, quanti apud me ſis, ignorare te nolebam. Tam ſæpe enim, & tanto interuallo, hoc ſcriptionis genus intermitte re ſoleo; ut, quoties redire ad id uolo, quidlibet potiùs, quàm uerſus poßim facere. Denique inculta illa quidem, & rudia exiſtimabis; ſed tamen fidei plena, & amoris erga te mei. M. Antonium Flamminium, doctißimum, & ſanctißimum uirum, ideo in his tacere non potui, quòd (ut ex illius amantißimis ad te ſcriptis cognoui) tibi erat coniunctißimus; & mihi quoque amicus quum eſſet, & ualdè meis Latinis, & Græcis ſtudijs, tum opera, tum conſilio, profuerit; ſuauiter adhuc in illius nomine, & memoria acquieſco. Sed quis non modò Flāminium, ſed omnem illam Reginaldi Poli nobilißimi & amplißimi uiri. & amiciſsimi tui non ſemper magna cum uoluptate recordetur? Maximè tamen ego Flāminium obſeruaui ſemper, & colui: de quo ſic ſtatuo, hominem illum fuiſſe, qui doctrina & elegantia orationis cum omni antiquitate comparari poſſet. Te uerò ab illo amatū fuiſſe intelligo, quia (noui enim diu hominis ſtomachum)

chum) literis, moribus, exiſtimatione, atque omni uita, ſibi te quàm ſimillimum eſſe cognoſceret. Duos ergo homines mihi uideor uno in epigrammate coniunxiſſe, qui inter ſe magna uirtutis, conſuetudinis, & ſtudiorum coniunctione tenebantur. Ac de me quidem ut dicam, quũ illius familiaritate ita ſim uſus, ut nemini magis mea ſtudia omnia dicata eſſent; magnoperè mihi faciendum putaui, ut te in Flāminij loco haberem, amicitiamq́ue tuam plurimi facerem. Vale. Non. Ian.

Donato Rullo. XXVIII.

SEMPER ad te ſcribam, quoad tu etiam aliquid ad me dederis literarum. Id in eam partem accipi uolo, ut liberem te potiùs nonnulla cura; ſciasq́ue me non tam ſæpe ſcripturum, ſi expectari à me tuas literas arbitrabere. noui enim occupationes & infirmitatem ualetudinis tuæ. Quamobrem, quũ ad te ſcribo, nihil aliud me uelle exiſtimabis, niſi ut intelligas id, quod ſuperioribus literis oſtendi; tanti me facere auctoritatem tuam, quanti quiſquam doctiſſimi ac ſapientiſſimi uiri amplitudinem & dignitatem ſibi unquam faciendam putauit. Quòd ſi non tam occupatus tenerer, nec moleſtiam tibi afferre nollem; ſaltem quotidianis tecum literis agerem, & hac una re me oblectarer. Nunc uerò etiam illa me ratio coegit has ad te literas dare, quòd proximis lupercalibus (ſi ita me loqui permittis) quum ad te colloquendi gratia ueniſſem, neque ſatis otioſum te of-

ſendiſſem,& eſſent in equis, qui te expectarent; de meo in te amore uerbum facere nullum potui. Quapropter, ſi etiam contingat, ut poſtea uenire ipſe ad te non poßim; ſic tu exiſtimabis, me nihil habere, quod antiquius, uel honorificentius mihi eſſe ducam, amicitia tua. Quia igitur inter tuos coniunctißimos me fore confido, dabo operam, ut neceßitudine tua haud omnino indignus iudicari poßim. Noſtris epigrammatis quòd te dicis eſſe delectatum, uiderí que illa tibi eſſe ęlegantißima; accipio, quod das, ut tibi magis credam, quàm mihi. Amaui equidem ſemper hoc genus; tametſi amplecti omnino uix unquam potui. Quum etenim meis ſtudijs ſecundiorē ſemper aliquam fortunā expecto; id ipſum otij, quod dabatur, amiſi. Videro tamen, ita impedito animo, occupata opera, & iam tanta otij & ualetudinis deſperatione, poſthac ſiquid poßim. Etenim delectauit me à prima ætate hoc potißimum genus literarum, idq́ue ego non poſtpono cæteris. uetus eſt enim;

Πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν, ἀοιδοὶ
Τιμῆς ἔμμοροι εἰσὶ, καὶ αἰδοῦς.

Verùm ſunt hæc mea ſomnia, de quibus plura tecum. Paucis diebus eram uenturus ad te, niſi me inualetudo remoretur. De Flamminij libello, quē miſiſti, ago tibi gratias. Fuit enim mihi ualde gratus ita, ut niſi tibi & Marino ſcribæ tuo moleſtus eſſe nollem, mihi adhuc plura abs te ſcripta illius uiri mitti uellem. Vale.

Fran-

Franciſco Strateio, Manduriam.
XXIX.

NIMIS diu iam uideor mihi, à te literas expectare. quòd ſi nihil habes, quod ad me ſcribere neceſſe ſit, ſaltem inter nos mutuam ueterémque beneuolentiam taciti conſeruemus: ſin offenſus es proximis meis literis, quæ tecum, id eſt cum homine doctiſsimo atque amiciſsimo liberaliores fuerunt; quæſo te, cõcedas hoc naturæ ac libertati meæ, exiſtimésq; me illiberale ac turpe credere, apud eũ præſertim, qui cum mihi tanta neceſsitudo ſit, non apertè profiteri, quæ ſentiam. Quòd ſi minùs rectè me facere, aut ſentire arbitreris, aut loqui; non me pœnitebit, auctore te, mutare animi mei ſententiam, quam ego in meis literis teſtatam tibi eſſe uolui, non ut pertinaciam meam cognoſceres, ſed facilitatem potiùs; uideréſque eſsétne aliud, quod non rectè accipere me credas. Vt ſcias autẽ, quanti apud me tuæ literæ fuerunt, quamquam aſſentiri tuis auctoribus non debeam, motus tamen ſum amore ſaltem conſiliorum tuorum. Quum enim ante biennium quædã proſa oratione ſcribere cœpiſſem, quæ mihi quidem præclara uiderentur; lectis tamen tuis literis, quum illa tui ſtomachi non eſſent, ab inſtituto opere ſola me auctoritas tua reuocauit. Illud uerò, quod dixi, me periclitari uelle; aggrediar, quum per ualetudinem & occupationes licebit. Diomedes & Lucius Catiniani, ſuperioribus diebus Brũduſij quum eſſem, lon-

gas mihi,ſed à tuis minimè alienas,curationes dederunt,ſic tamen,ut ad autumnum potiones hebeni iterum minitari uiderentur. tam leui morbo tanta remedia,tàm ſæpe repetita? De ijs cauendis omnino, quibus helleborum admiſtum ſit,mirè tibi aſſentiūt: mihi in ijs mortem eſſe admiſtam. Quamobrem à te maiorem in modum peto,ſiquid tibi aliud ueniat in mentem, ne grauêre ad me ſcribere. Non enim dubito,quin ſi eſſe tecum aliquot diebus poſſem, tu omnem morbi uim, cauſſam, & curationem fores cogniturus. Vale. Vriæ.

Antonio Iacobio. XXX.

LEGI *libētiſſimè tuas literas.illas quum tuus puer attulit, aberam domo uſque ad ueſperam, ita ut poſtridie mane illas acceperim.Itaque ſuauiſſima oratione tua ualde ſum delectatus.Rogo te igitur, ut in poſterum illo modo mecum ſæpius colloquâre,omiſſa tamen prædicatione uirtutis,doctrinæ, & eloquentiæ meæ. equidem uereor,opinioni ac ſententiæ de me tuæ reſpondere ut poſſim. Nunc, quòd legendis meis literis,formam te imitari uelle ſcribis quandam orationis meæ; illud tantum gaudeo,quòd illud genus te dicendi ſuſpicor admirari, quod hac ætate per uiros doctiſſimos ad antiquā Romani ſplēdoris dignitatē uindicatur.ad illud ego, undè abſum longiſſimè,poſſum te adhortari magis, quàm inſtituere. quod facio libentiſſimè: Aſſequêris, mihi crede, ſi tantum adamaueris;et omiſſis barbarorum ea*

de re diſputationibus, & contempta noſtrorum hominum ſtultitia, te ad M. Tullij diuinam eloquentiã conformaueris. De mea in te beneuolentia quod ſcribis, amo rectiſsimarum in te ſpem literarum. Cura ualetudinem tuam. XV. Cal. Mart.

Antonio Iacobio. XXXI.

VELLEM, ut ſcribis, mihi liceret quotidie literas ad te dare. Sed audiſſe te arbitror, quanta hoc trienio ægritudine laborem. nũc uerò à Cal. Feb. ita ſum morbo confectus, ut nunquam antè peiùs habuerim. Quocirca & accipio excuſationem tuam, & uiciſsim affero meam, quam ſcio tibi fore probatiſsimam. Extremum erat in tuis literis, ut ad eloquentiam te conſilio adiuuarem; & ſpem tibi, ſiqua eſſet illius conſequendæ, oſtenderem. Ad quod utrunque breui ſic habeto; in ea parte, quæ ad eloquẽdum ſpectat, abeſſe te quidem ab ea ratione, quæ mihi eſt à doctiſsimis probata; ſed poſſe non magno labore, ſi uolueris, illam tenere. Etſi enim præclara ſit facultas hęc in oratore, magnæque exercitationis; uideas tamen ſcribere, et loqui fœdè quàm plurimos, non tã inſcitia, quàm uoluntate. Suo enim quodam iudicio delectati, uel eos imitantur, quos non oportet; uel plures, quàm neceſſe eſt; uel non ita, ut conuenit: uel neminem ſequuti, à ſe ipſis nouas quotidie barbarię formas introducunt. horum quis non uideat, iudicium deſiderari magis, quàm doctrinam? Quòd ſi mihi aliquis iſtorum ad hanc partem eloquentiæ eſſet in-

formandus, non præcepta aliqua aperirem, quæ fortaſſe illi eſſent notiora, quàm mihi; ſed hortarer, ut, quam uiam malè imitando ſequeretur, eandem rectè ad optimos dicendi artifices reuocaret. Hîc falſa eſt opinio, quæ de mea ſententia à temerarijs habetur. Aiunt enim me, præter unum M. Tullium, auctores omnes aſpernari. ſtultiſſimè ſuſpicantur. cęteros enim admiror omnes, ualdeque ab ijs in oratione ſuſtentor. At, ſi uni ſimiles eſſe uolumus, audebúntne iſti quenquam, non dico anteponere, ſed comparare Ciceroni? vtrum illum dicunt non eſſe pręſtantiſſimum, an unum hoc in genere imitari præſtantiſſimũ non oportere? Verùm de ijs plura poſthac tecũ. nunc ſatis eſt, quod te arbitror non reprehendere iudiciũ meum. Animaduertere enim potuiſti à quibuſdam noſtræ ætatis uiris eloquentiſſimis multos grauiſſimos auctores de antiquis, hac dumtaxat facultate ſplendidè, & Romanè dicendi, eſſe ſuperatos. Nec alia cauſſa eſt, ut ętas illa uinci poſſit, niſi quia illum hodie imitantur, qui ſic loquutus eſt, ut non alio ſermone ipſa natura loqui poſſe uideatur. Hunc ſi ſtatues tibi eſſe amplectendum, credo fore, ut in dicendo, & iudicando, tibi non ualde multi conferantur. Cura ualetudinem tuam.

Antonio Iacobio. XXXII.

QVAS proximè accepi ternas à te literas, fateor me nondũ ſatis intelligere. qui ſunt enim, qui, ut ais, mihi aduerſantur? cur eos dicere non uis,

qui

qui meo,id eſt amici tui nomine abutantur? Ac primùm,quod mihi neſcio qui in literis, totaque ratione latinitatis repugnent,neque miror, neque dubitaui unquam. Sic enim ſcire te uolo, me ne tibi quidem antè credidiſſe, probare te aliud genus literarum, quàm quòd iſta in fæce didiciſti. Verùm nón diſputabo tecum; tantùm ijs reſpondebo, quos mihi obtrectare dixiſti. Dat,inquiunt,operam Poëtis. Ego uerò fateor me diu,& libenter hoc feciſſe. Religioni cõtrarium eſt ijs operam dare. O patientiſſimas aures noſtras,putant ſtultiſſimi homines eſſe legẽ,quæ hoc uetet;neque intelligunt ſe nihil afferre, quod habeat uim legis. Qui enim Pontifices,aut quæ Concilia cauerunt,ne Poëtas legamus? cur in Italia,ac tota ferme Europa leguntur? cur neque Principes, neque Reſpublicæ,neque ullæ omnino ciuitates eam legem uerentur? Aut ergo lex nulla eſt,quam afferũt: aut totus penè orbis terrarum diris obſtrictus eſt. Homines qui diuinas humanasque leges ignorant, & quicquid ad literas,ad mores,ad uitam pertinet; clamãt ſanctiſſimam à nobis legem uiolari,qui in Poëtis uerſemur. Itáne mortales omnes religionẽ funditùs abiecerunt,ut nemo uel pili faciat hanc legem,pœna pręſertim,ut aiunt,propoſita omnium maxima,& ſempiterna? Non quæro,an ea lex ferri debuerat,neque etiam an lata unquam fuerit, neque utrùm Poëtæ tales ſint, quales ipſi arbitrantur; nec dico illos in eam quoque partem prodeſſe plurimùm,quòd ſuppeditent nobis exemplum ad religionem, ad ſacra, ad

myſteria

myſteria tractanda, quum ſcribendi nullum genus tam prope accedat ad diuina. Illud interrogo, an ſoli ipſi ſimulatores doctrinę, et ſanctitatis, leges norînt, & mores, & inſtituta maiorum? Soli religionem, et pietatem colunt? ſoli uitam in cœlo, & ſempiternũ æuum expetunt; idque ſe iam nunc tenere arbitrantur? nos ad Poëtarum fabulas, ad illecebras carminum, ad libidinem nati, & ad ſupplicia inferorum luenda? Vide tu, quàm de me temerè, quàm de ſe arroganter ſentiant; quàm de legibus, & moribus ciuitatum, ſtudijs, & communi uita imprudenter iudicare audent. Vide, quanta illorũ imperitia ſit, quanta impudentia, quum eam afferant contra nos legé, quam minimè intelligunt; immo legem eſſe putant id, quod neque lex eſt, neque unquam habuit uim legis. Ius enim Pontificium, niſi auctoritate publica, à Concilijs, aut Pontificibus maximis conſtitui nõ poteſt. Nam, cur Pontifices tam immane facinus permitterent, aut ipſi quoque Poëtas legerent, ſi facere contra legem à ſe latam crederent? cur in Senatorum ordinem, & ad conſilia publica Poëtas reciperent? Noui enim ego diu Paulum III. Pontificem Maximum, uirum publica, & priuata religione clariſſimum; qui non modò genus hoc honoribus, & liberalitate affecit, ſed ipſe quoque illius facultatis numeros omnes tenuit. an ipſe, aut aliquis eorum, quos honorauit, Poëticã adeptus eſt abſque lectione Poëtarum? Dicant ipſi homines ſtultiſſimi, nunquando ſciant eiectum ciuitate, interdictum ſacris, pulſum à

communione

communione hominum eſſe aliquē à bonis uiris, uel à Pontificibus, quòd Poëtas legeret? Nónne potiùs tot Principes, tot præclaræ urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & ex ijs præcipuè, quæ Pontificis Maximi imperio parent, ingenti pretio conducunt, qui Poëtas publicè interpretentur? Europa ergo omnis, & urbs Roma, & ipſi Pontifices, qui præmijs etiam ad legem diſſoluendam homines adducunt, diris obſtricti ſunt? O impudentiam iocularem, & effrenatam malè dicendi licentiam. Vbi enim ea lex eſt? Nolo hic illam recitare, aut potiùs nec ipſi quidē ullam inuenerunt legem, qua probetur Poëtas legi non oportere. Nam, quòd is auctor, quē dicunt, quędam in utramque partem colligit; non legem ſcribit, ſed priuatorum hominū ſententias proponit, de quibus tuo arbitratu iudicare poßis. Neque ille tam arrogans, aut rudis fuiſſet, ut priuatus legem ſcriberet, uel doctorum hominum opiniones pro legibus habere, aut tradere nobis uellet. Omnium ergo gentium, ac populorum, & Principum, maximorumque Pontificum iudicio ac ſententia, magno errore ac ſtultitia tenentur, qui ſentiunt aliquam ea de re legē eſſe conſtitutam. Quum uerò decreta ille, aut reſponſa maximorum Pontificum, aut Senatus, aut Conciliorum profert, non iam ipſe conſtituit leges; ſed (quod cuilibet eſt permiſſum) latas ab alijs, in unū quaſi corpus coniungit. Ac ne omnia quidem, ſiqua Pontifices priuato conſilio, ut Theologi dumtaxat literis mandauerunt, oportet numerare inter leges. nulla

enim

enim lex eſt, niſi quam Pontifex ipſe uelit eſſe legẽ. quod dicere puderet, niſi cum ſtupidis hominibus diſputarem. Illud autem, quod aiunt ſcribere Hieronymum, ſe ob minorem culpã, quòd ſcilicet legendo M. Tullio operam daret, diuinitùs in cælum eſſe ſublatum, & flagellis ad Dei pedes cæſum; neque intelligunt homines indoctiſsimi, neque alias huius uiri ſanctiſsimi epiſtolas legerunt. Hoc loco igitur nihil dicã aliud, niſi quòd Hieronymi exemplo nos à recto otio deterrentes, ad accuratiorem, ac pleniorem Hieronymi lectionẽ remitto. At hæc iam uerboſiùs, quàm putâram, quæ ſcio ad multos pertinere, ad te minimè uelim, ſed uereor, ne ad te præcipuè. Sed tu uideris, de quo ualde ut ſuſpicer, facit etiam, quòd tibi laudatum à me Perionium ſcribis nõ placere. Hac ratione te mihi quidem non probas; immo nec te, arbitror à me probari uelle. Verùm ut uoles. Ego contra me ſentientes amare poſſum; iſto autem more ſimulantes, non poſſum. Vale.

Marcello Corrado fratri. XXXIII.

IN rebus tuis nihil erat noui, ac ne in meis quidẽ. eadẽ, quæ antea, adhuc deſperatio eſt. Quod de uicino tuo ſcripſi, uereor, ne incredibile uideatur. ſed res loquetur ipſa, quum ueneris. Tu credis metuendam eſſe fortunam, aut quorundam improbitates hominum, quos tibi cognoui eſſe amiciſsimos. Ego uerò nihil inuenio tam nobis aduerſum, quàm animùm tuum, & iſtius hominis leuitatem: qui tamen

men intelligere uidetur, quanti ueſtra à me uoluntas fiat; & quàm peiore loco ſint res, quòd mihi obtemperatum non ſit. equidem maiora pertimeſcam, niſi locus incipiat eſſe conſilijs meis. ſed non ſinam fortaſſe uos errare amplius. Vides, quàm in manu mihi ſint omnia. vtar ergo poteſtate mea, ſi à uobis conſilio, aut precibus impetrare nihil poßim. Hortor te, mi frater, ita ſequâre conſilium tuum, ut pareas etiã meo. De Seruio pridie ex Luceria literæ. aiunt illum in monte Gargano latitare, vel quòd uirgini uim inferre uoluiſſe, vel quòd ∞ ∞ ∞ H-S. ſocios fraudaſſe, uel quòd utrunq. feciſſe dicatur. Parentes ideo minore in luctu, quòd antea illius uitã deſperaſſent: quanquam ſint hæc nondum ſatis explorata, & aliũ quendam affert dolorem, turpitudo. De Brunduſinis ita audio, ut ſcribis: nec ſperno conſilium tuum, quod me etiam Paganus admonet. ſcribam ad te quicquid erit. Hîc etiam frumenti ſumma caritas; neque prodeſt, quòd in modios, quaternos ſeſtertios Prætor edixit. Omnino enim frumentum nuſquam apparet; & panis gratia, uenalia omnia habentur. Literas Alberti, aiunt, per Hippolytum ad ſe remiſſas eſſe, uel tandem non eſſe domi, qua ex domo ne illius quidem literas adhuc recepi. tu hoc interpretare. ſumma, ut dixi, deſperatio. His de rebus multa proximè ad te ſcripſi. de mea tamen ualetudine, ſatis bellè: & cœlum mutaſſe, uidetur prodeſſe uehementer. Vale.

Gabrieli

Gabrieli Ruggerio, Hydruntem.
XXXIIII.

SI uales, gaudeo: ego me confirmare adhuc minimè poſſum. poſteaquam enim à uobis diſceſſi, tũ ſtudiorum, ut medici mihi perſuadere conantur; tũ doloris, ut ego interpretor, cauſſa illius, quem tu ſcis me grauißimum, & iuſtißimum accepiſſe; in morbum incidi diuturnum & grauem. Purgationibus, inedia, & tot uenenis ſum eò deductus, ut me ſanum fore, uix confidam ampliùs. Quid multa? potionibus hebeni penè me occiderunt; morbum quidem ipſum, qui antea fuerat leuior, peiorem in locũ adduxerunt. Hoc ad te ſcripſi, ne putares mihi negligentiam, aut obliuionem mihi tui, tuorumq́ue officiorum extitiſſe cauſſam intermißionis literarum. Vtinam poſtac uſuram, qua toto hoc tempore carui mus, conſuetudine reuocanda, aut literis mittendis ſarcire queam. te quoque maiorem in modum oro, quàm primùm ad me ſcribas. Sic enim tibi perſuade, nullos mihi medicos tantum curando, quantum te ſcribendo, aut conſolando ad hunc morbum leuandum poſſe efficere. Nec ignorare potes, quantus in te meus ſit amor; ſi cogites, quantus eſſe debeat. Equidem ſi grati animi, ſi memor uoluntatis tuæ eſſe uolo, cuius ſine ſcelere obliuiſci non poſſum, quoad uiuam; eo in te animo eſſe debeo, quaſi meo illo periculoſißimo tempore tu auctor fueris ſalutis meę. Etſi enim quodam numine diuino magis, quàm uoluntate,

te,uel opera hominum ab inimicorum meorum inſidijs me ſciam eſſe liberatum : ipſe tamen magnum laborem ſuſcipere, magnum periculnm adire uolebas, ut me ſeruares. Quòd niſi diuinitùs fracta eſſet eorum improbitas, & audacia, qui meam ſalutem oppugnabant ; non dubito,ſi per te ſeruatus eſſem,quin omnes eorum conatus, odia, & tela in te fuiſſent conuerſa. Quamobrem ſic te amo, ſic tibi gratias ago,ut ei,qui pro mea ſalute ſanguinem, & uitā profundere uoluiſſet.Expecto literas tuas multis de rebus. Hîc enim nihil audiebamus, niſi quòd ſubito incendio,noctu, Phalaridis taurus conflagrauit, uitulos nollem, quibus etiam συμπάσχω. *Diſperéam,niſi caſum illius moleſtiſſimè tuli, ſed non (ut Epicurus) Dij immortales otioſi exiſtimandi ſunt. Vale, & ſalue.*

Ioāni Bapt.& Vincētio Varinis fratribus.XXXV.

A *VOBIS nihil iā accipio literarū. quòd niſi alienato à me aīo eſſe cœpiſtis,nō eſt, quod diuinare poſſim aliud.Nonnullam facio coniecturam ex literis,& ſuſpicione patris ueſtri,qui ex mea epiſtola,an aliorum ſermone?putaret me à uobis iratū diſceſſiſſe.Reſpondi,id quod res erat, me intelligere nō poſſe,quid illud eſſet, quod ad me ſcriberet. denique uehementer ſum perturbatus. Oſtendite hæc matri etiam ueſtræ, quam certè de mea erga uos beneuolentia dubitare minimè uelim. Scio enim illi hanc ſuſpitionē accidiſſe moleſtiſſimā. Ipſe uerò me apud*

illam

illam falsò, maleuolentiæ, tantæ leuitatis, & inconſtantiæ crimine ſuſpectum eſſe uehementer doleo. Egóne uel minimam in uos offenſiunculam ſuſtinere poßim? an obliuiſci poteſtis, quanti ſemper uos fecerim? Quæ igitur poteſt eſſe cauſſa tam occulta, & ſubita, ut nunc amare deſinam, quos perinde ac uitã, ſemper caros habui? itaque facite, ut ſciam, quicquid hoc ſit. De ſtudijs ueſtris, quod ad eloquentiam attinet, moneo uos, neque præceptores alios, neque auctores, præter unum M. Tullium, toto hoc etiam triennio, audiatis. Neque uobis hoc nimium eſſe uideatur. tota enim uita reditus ad illum ſæpißime dari uelim. Viderimus tamẽ poſtea, quid huic ſtudio adiungi poßit. minimè uos pœnitebit, mihi obtemperauiſſe. Paulum Canatium, & Paulum Quartam ſalutate meis uerbis; ſed Franciſcum Antonium in primis patruum ueſtrum. Apud nos rectè omnia, atque ut uolumus. Vos amo ita, ut neq; beneuolentia, neq; fide aliquis maiore in uos eſſe queat, neque ſcio an parentes excipiam ueſtros. Simoni quoque Mello, et Pompeio Seio ſalutem. Valete. Brunduſii.

Antonio Iacobio. XXXVI.

EPISTOLAM tuam ipſe nõ ignoras, quàm occupatus acceperim: nec ſpero me per hos dies uacuum fore à moleſtijs. quamobrem ſerò quidem reſpondeo, ſed non potui maturiùs, neque eſt otium plura ſcribere. Breui igitur ſic habeto, non intelligere me quid uelis. Religionẽ tibi ſummæ curę eſſe ſcribis.

contumeliis

contumelia hac tu carere uoluiſti? immo uerò ne crimine quidẽ. Quare etiam confiteris id, quod ego iam ante ſuſpicabar; nemini, præter quàm uni tibi, mea ſtudia non probari. hoc tu me laborare credis? laborarem, à te ſi laudatus eſſem. hæc de ſtudiis. Religionem uerò quòd iactes, tantùm ueſte inuſitata, pilei inſolentia, contemptu aliorum hominũ, & peruerſitate opinionum potes eſſe religioſior: nam quid ais? Negabam ſuperioribus literis, uel unã de Poëtis eſſe literam in iure Pontificio, eoſque legere, non poſſe contra religionem uideri. Tibi igitur uel tacendum fuit, ſi rectè negatum eſt; uel redarguendum, ſi quid aliter uideretur. nunc ergo quid dicas, non me hercule intelligo. Nam, quòd à me allatam putas auctoritatem conſuetudinis, eamque nimis infirmam eſſe ad ſtatuendum de moribus; cõcedo eſſe infirmam: addo etiam, ſæpe moribus, & legibus contrariam. Ego tamen neque ſola conſuetudine probaui ſententiam meam: nec eſſe conſuetudinem arbitror, ciuitatum omnium gentium, ac populorum, & maximorum Pontificum conſenſum, qui nobis pro grauiſſima potiùs auctoritate religionis eſſe debet. Quare mihi ſatis eſſe putaui, negare ullam eſſe legem, quæ à lectoribus Poëtarum lædatur. Nihil enim aliud ſtolidi homines aſſerunt contra nos, niſi legem. Ita nihil pro nobis negare debui, niſi legem; quam à nemine adhuc latam, nuſquam legerunt. Ais rem non coniecturis, ſed ualentiore argumentandi genere, atque [illegible] tractandam fuiſſe. Pergis

G eſſe

eſſe cōtumelioſus. conaris enim mihi Dialecticam au ferre, tibi uendicare: ſcilicet his rebus mihi te probas ualde in Peripateticis eſſe uerſatum. At ego iſtius philoſophiæ ignarus, primò nullas attigi cōiecturas; deinde meę partes ſolæ fuerunt, negare eſſe legem; poſtremò ualentiſſimum, atque euidentiſſimū eſt, quod inficiatione illa dicimus. Senſu enim oculorum, ac re ipſa uidetur, num quæ ſit in iure Pontificio lex, quæ à nobis lædatur. Habes ergo, quam quæris ἀπόδειξιν. Quòd autem in Poëtis quędam ſint, quæ moribus aduerſentur, ideoq́ue cenſeas conſtituendam eſſe legem; mihi ſatis eſt, ſi nondum ſit conſtituta: utrum uerò conſtitui debeat, ego non quæram. Hoc uideris tu, uiderint omnes bonæ artes, uiderint innumerabiles uiri doctiſſimi, & ſanctiſſimi, qui religionem ſtabiliuerunt, quiq́ue Poëtas omnes diligentiſſimè lectitarunt. Deinde diſputas more Socratico in utranque partem. Macte, poſt Zenonem, & Archeſilam, tertius Academię inſtaurator. Sed te nullam ſcio αἵρεσιν tenere. Scribe his de rebus iſto more ſæpius. Delector enim, & ſentio, & loquor de his apud multos, uti debeo.

Ioanni Badtiſtæ Varino. XXXVII.

ACCEPI ad xiij. Cal. Quinct. à patre tuo literas Scurrani datas, quibus me, ut ad te ſcriberē, rogabat; quòd diceret eſſe quotidie publicos tabellarios, quibus dare poſſem. ego uerò ad ea loca euntem

inuenio

inuenio adhuc neminem. Quid tamen aut ille Scurrani apud militem glorioſum σκιαμαχεῖ, *aut uos domi tam longa pueritia in matris adhuc & muliercularum ſinu? Mirabar, quod Fabius Craſſus dixerat, arbitrari ſe uos cum patre militiam ſequutos eſſe. denique ueteri lege quindecim annorũ, quos mater uobis ante ſeptennium imperauerat, ſolutos ab illa credebam. At poſtea mihi narrauit rem omnẽ Marianus is, qui frequens erat nobiſcum domi noſtræ, quocum ſæpe ludebamus. Quid quæris? ex ijs, quę quotidie admonebam, & amore in uos meo incredibili, quam in partem hoc acceperim poteſtis intelligere.*

Puta hîc cernere te meos cachinnos.
Etenim ego contrà, atque mater,
Μάλα σ᾽ ὁρόω καλὸντε μέγάντε.

Ex literis patris tui accepi eſſe apud uos Matthęũ Soletanum: quod mihi magnæ uoluptati fuit. hunc ego bonum Græcæ linguæ pręceptorem cognoui; quo tamẽ diu uti ſi uelitis, fac intelligat, iſthic nullum eſſe à Britannis inimicis metum. uerùm tamen illi meo nomine ſalutem. Stephanus ueſter, ſeruus (dicam) an libertus? apud me fuit. aiebat fugiſſe ſe à domo ueſtra, nec ampliùs uelle ſeruitutem ferre. Tu uerò caue pro ſeruo habendum putes eum, cuius etiam manumiſſio plena fraudis fuerat, & iniuriæ. Tuam matrem meo nomine ſalutabis; facieſque, ut credat meã uobis beneuolentiam, fidem, atque operam nullo tempore eſſe defuturã. Vale. Brunduſii. iiij. Cal. Quinct.

Vincentio Varino. XXXVIII.

DEDERAM pridie Mariano Ticcio ad te literas. nunc uenienti ad te Fabio Craſſo non potui nihil dare. Sed me hercule, quod ſcriberem, nihil habebam: ſcripſi tamen hoc quicquid eſt, ſi quid in mentem ueniret. Vtinam eſſet quotidie, cui dare poſſem, & eſſem ego otioſus. fortaſſe enim crebriores acciperem abs te literas. Scis enim, quàm ſæpe tecum ſtomachus ea de re fuerim. poſthac uerò tanti me à te fieri putabo, quantum mittendis literis diligentiæ atque operæ poſueris. Fratrem tuum meo nomine ſalutabis. fac reſpondeat ad ea, quæ ſuperioribus diebus ad illum ſcripſi: tu etiam ad literas, quas dederam ad te pridie, ſi me amas; & diſcede ab inertia tua. Diſcite à præceptore ueſtro de literis Græcis quidem; ſed ſtirpibus etiam, quàm potestis, plurima. De Oſyri, Viburno, & Opuntia ualde probaui. De literis, quas ad Iacobium miſi, cupio ſcire quid actum ſit. Patrem tuum ſaluta: matrem confirma; & fac intelligat ad amorem erga uos meũ nihil addi poſſe. Statim lectis his literis excurres ad Franciſcum Antonium patruum tuum; eique meis uerbis Stephanum libertum tuum non eſſe nũc Brunduſii nunciabis. Libertum tamen ueſtro more illum dixi, cui neſcio, an maiore fortaſſe iniuria libertas reddita ſit, quàm erepta. Ad patruum tuum ſcribã perendie. Vale. Brunduſii. VI. Id. Quinct.

Ioanni Baptiſtæ Caßimirio. XXXIX.

ACCEPTIS tuis literis, dicere uix poßim, quanta ex ijs uoluptate, & quibus modis ſim affectus. non ſolùm enim magna moleſtia ſuſpicionis meæ ſum liberatus, quam ex tuo ſermone contraxeram: uerùm etiam recreatus, quòd intelligo meam tibi perſpectam, & mirificam eſſe tuã in me uoluntatem. Illud etiam per mihi, per inquam, iucundum fuit in epiſtola tua; quòd ſignificabas, iſtam maledicendi licentiam tibi, moribus, & religioni contrariã uideri. qua in re quis tibi, niſi qui modeſtiam, qui mores, qui pietatem, qui religionem omnem contemnit, non aſſentiatur? Equidem in ea ſentẽtia ſemper fui, in qua doctißimos quoſque præſertim eſſe conuenit, ut credam eſſe nihil tam exiguum in moribus & uita, quod non ſcientiæ cuicunque, & opinioni literarum anteponi oporteat. Nihil expetibilius eſſe homini debet; nihil antiquius religione, moribus, & uita cum honeſtate degenda: in qua tametſi labi, & quocunque modo peccare turpe ſit; illud tamen ſtatuo eſſe turpißimum, & maximè contra naturã, quum quis ex uituperatione aliorum ſibi laudem eſſe comparandam putat. Itaque apud me, qui malè de te loquatur, uideo eſſe neminem: &, quo die queſtus es fuiſſe domi meæ, qui tibi detraheret; nec ualeam Caßimiri, nec uiuam, ſi quicquam ea de re audieram, antequam ipſe ad me uenires; et aiunt multi homines tui amantißimi abfuiße me ab eo ſermo-

ne, & interea cum Ioanne Leonardo Paraſcandalo in inferiore cœnaculo domus loquutum fuiſſe. Heri, et nudius tertius uenire ad te cogitâram. Sed, quum eſſet apud me depoſita Sacerdotum Vritanorum pecunia, quam attulerant Proquęſtori; neque ignores tu, quàm malè habitem; exire domo non potui. Nũc has ad te literas exaraui, nonnulla me hercule cũ febricula; quod & meus in te amor coegit facere, & profectò turpe erat ad tuas amantiſſimas literas non reſpondere. Sed, quum uidebor paululùm releuari, ad te ueniam. interim uale, & nos ama.

Ioanni Baptiſtæ Caſsimirio. XL.

HERI mihi Lupus reddidit humaniſſimas literas tuas. Ego te amo, quod antea feci ſemper; et poſthac ne dubitâris me eſſe factùrum. Caue enim putes me tanti facere literas, aut ullam omnino ſcientiam; quanti uel modeſtiam, uel unã in oẽs homines beneuolentiam. neque illos ferre poſſum, qui omnium hominum odia atque inimicitias ſuſciperent, ut literularũ opinionẽ, et oſtentatiunculã puerilis doctrinæ tuerẽtur. Quòd ſi in alterutro mihi peccandũ eſſet, mallẽ (niſi maiore aliqua iniuria prouocatus) ignar' literarũ oĩum, quàm inanis gloriolæ cupidus, aut intẽperans uideri. Quamobrẽ te oro, hoc aĩo ſimus (ut ad nos ipſos reuertar) ut literas ac doctrinas oẽs ad cõciliãdam potiùs hominum inter ſe beneuolentiã, natas eſſe credamus. Deniq; ignoſces nunc etiam breuitati mearũ literarũ. etenim eram occupatus, & expecta

bar

*bar apud Ioannem Chriſtinam ea ipſa hora ab Aſca
nio Varino ad cœnam: qui me etiã rogauerat, ad ſuos
filios quàm plurimis de rebus ut ſcriberem. Vale.*

Ioanni Baptiſtæ Caßimirio. XLI.

NEQVE *otiũ, neque ſtudij mei ratio patieba
tur, pluribus in eam rẽ ſcribere, quã in tuis lite
ris dicebas, cõtrouerſam tibi diu eſſe uiſam. Nam, ut
taceã, quòd quũ reddita mihi eſt epiſtola tua, minimè
uacuus eram à moleſtijs, ab interuentoribus, à literis
uſq; ad multã noctem ſcribendis, ita ut ne reſpirandi
quidem ſpatiũ daretur: illa tamen, quę à certorũ ho-
minũ inuidia mihi inferũtur, domo aßignata in me-
dio ſtrepitu, cõcurſatione militũ, & frequentia opifi
cũ, maximè ſunt intoleranda; & meũ aĩum à ſtudijs,
& à literarũ cogitatione auellunt. Quòd ſi tibi nota
eſſent omnia, quæ ex ea re mihi eueniũt incommoda,
non dubito, ſi me amas, quin ex quorundam tuorũ ci
uiũ culpa grauiùs commouerêre, & admirabilis tibi
mea patiẽtia uideretur. Mirabar, quòd heri etiam ni
hil à te literarũ. mihi tamẽ recõciliata iam inter nos
beneuolentia, ꝑinde eſt, ac ſi quotidie ſcriberes. Amo
enim te, neque mihi aliud mea ſtudia excellentiùs
præſtiterunt, ac ne præſtare quidẽ potuiſſent, quàm
quòd ijs ad humanitatẽ, et ad colendos hoĩes ſum in-
ſtitutus. Verùm, etſi cõfido hæc tibi eſſe perſpecta, co
gnoſces tñ illuſtriùs ex ijs, quę ad nrm ſermonẽ reſer
uo, et ipſo ex euẽtu rerũ. Plura nũc me ſcribere occu
pationes, et moleſtiæ nõ ꝑmittũt. Vale. V. Cal. Sext.*

Ioanni Baptiſtæ Caſsimirio. XLII.

EGO uerò nõ ingenium, & eruditionem, ut ais, tuam reprehendo: ſed nouos iſtos auctores timeo. Illos enim ſequi ſi uolumus, quùm fermè quadrante maiorem pedem uelint eſſe, quàm is, qui eſt in marmoribus antiquis; neceſſe erit, incertam pedis menſuram fuiſſe apud maiores. Dabis hoc igitur mihi, ut ſtatuere de eo pro illorum ſententia nolim, repugnante iis antiquitate. Quòd ſi nihil inueniri amplius poteſt, tu quoque iſtam pedis uarietatem mirêre neceſſe eſt. Illum tamen ego minimè uarium, ſed unum ac certiſsimum credo, quem in monumentis ueterũ dixi mihi ſæpius uiſum, ac dimenſum fuiſſe. Doleo, quòd toties querela iniquiſsima de fide mea, ſuſpectum mihi facias amorem tuum: Ego non modò reconciliata noſtra amicitia, ſed etiam toto eo tempore, quùm tuis me illis modis laceſſeres, æquiore in te animo eſſe non potui. Vale.

Ioanni Baptiſtæ Caſsimirio. XLIII.

DE Lunæ ueneficiis, & tuis odioſis quotidianisque προβλήμασι uíderis tu, uiderit iam ipſa Luna; neque ego his de rebus laboro amplius: Quid enim ad me, ſi Carmina uel cœlo poſſint deducere Lunam? Quid ad mea ſtudia, ac ne ad tua quidem, an queant Magi, uel quibus artibus queant; Siſtere aquam fluuiis, & uertere ſidera retrò? Illud potiùs doleo, quòd iſtis iureconſultis meã

epiſtolam

epiſtolam dederis legendam. Scribis enim eos de Antonij Auguſtini libello nihil habuiſſe, quod reſponderent. Rides igitur cum ijs in epiſtola tua, quòd libros, qui nuſquam extent, ſomniauerim. O tecum ſermones meos communicatos præclarè. Ac primùm, quid tibi cum iureconſultis, illis præſertim iureconſultis; ea de re, quam uir doctiſſimus non ad illorum uel quæſtum, uel opinionem, ſed ad ſtudioſorum hominũ commoditates, & antiquitatem patefaciendam cõſcripſit? Deinde, quid in mentem uenit, ut Brunduſii quæreres ea, quæ mandare te uelle dixiſti, ut Venetijs quærerẽtur? Tum, continuóne ego ſum mentitus, neque eum librum uidi Romæ, aut inueniri amplius non poteſt, ſi iureconſulti illum tui nõ uiderũt? Poſtremò, quid mirum, ſi uel nemo alius illum uidit, quem ne ego quidem confirmaui adhuc eſſe editum; & per Strateium apud doctos homines, eos præſertim, qui Romæ uerſati ſunt, quærere te uolebam? Quamobrem te oro, poſtac ſincerius mecum. nam epiſtola tua, quam proximè dediſti, irriſionum reſperſa erat notis; & actum à te de mea ſententia cũ quibus minime oportuit, neque ego noluiſſem. Cauendũ autem erat in primis, ne leguleos iſtos in me concitares. intelligis enim illis mecum minimè conuenire, qui ſentiam ius ciuile Romanum à prudentiſſimis uiris olim conſtitutum, per iureconſultos, ac ſtultos quoſdam principes fuiſſe euerſum: & eos libros quæram, quibus aliqua ex parte tam immane facinus corrigatur. Ad hæc ſcribenda me incitauit, quòd ne-

que

que ſermonibus neque epiſtolis ſæpe mittēdis uideor adhuc tam diſertus fuiſſe, ut planè tibi mei animi ſententiam ac uoluntatem aperire potuerim. Nam de mea quoque in te beneuolentia ut aliquando dubitares, effectum eſt meis fortaſſe literis, non tam accuratè ac diligenter, quàm candidè, & amanter ſcriptis. Ego enim, ut nudius tertius ad te ſcripſeram, tibi ſemper amiciſsimus fui; quamquam aliquibus non crederem id, quod nunquam antè credidiſſem. De menſuris etiam antiquis, utrum ego tibi, an tu mihi non aſſentiris? Errat uehementer, Caßimiri, qui putat debere quenquam de recta ac uetere ſententia, amicitiæ cauſſa diſcedere. tu uidêris aliter adhuc eſſe ratiocinatus; nec rectè proximis in tuis literis meum in te animnm interpretari. Itaque ſcribā poſthac plenius atque accuratiùs, ut (niſi errorem ſimules) dubitare de me, ac mea uoluntate non poßis. Libros autem, quos dixi Venetijs eſſe quærēdos, neſcio, quanti tu facias: equidem ijs carere nolim. Eos enim partim ſcio, quanti fieri conueniat; partim ex ipſis auctoribus facio coniecturam. 3. Cal. Sep.

Ioanni Baptiſtæ Caßimirio. XLIIII.

EGO tamen ſperabam, quemadmodum ſępius ad te ſcripſi, perſpectum tibi meum in te animū fore, quem quotidie officijs, comitate, & me hercule patientia declararem. Nunc uerò quid ſperē amplius, quídue cogitem non habeo. Sed mihi denique concedes, opinor; ut ſi mutuam eſſe oportet beneuolētiam, non pluris ego faciam μεμψιμοιρίαν *tuam; quàm tu*

amorem, officia, & patientiam meã. Ac primùm non te reprehendere proximis aut ſuperiorum dierum literis uolui; ſed intelligere, quod mirum mihi uidebatur: quumque errorem à meis literis emanaſſe aliquem arbitrarer, cur ſis offenſus, potiùs, quàm à uoluntate; ne id quidem permittis me confiteri. Adducis me igitur, ut non intelligam genus hoc amicitiæ tuæ, aut officiorum, aut ſermonum, aut epiſtolarum, quibus ad te mihi utendum ſit. Nam legi à iureconſultis nolebam epiſtolas meas, neque mihi tamen obtemperare uoluiſti: & grauiſſimè læſum te putas, quòd ea te rogauerim, quæ etiam ioco acceptũ iri à te arbitrabar; & uni tibi (ut mihi perſuaſerã) homini amiciſſimo nota eſſe cupiebã. Q d ſi aliter eueniſſet, id quoq; cũ riſu ego accepiſſẽ. Hîc à tuis obtrectatoribus audiſſe me aliquid ſuſpicaris. Ego ne Caſimiri non uideo, quid tanta ſuſpicionum ſimulatione ſpectes? hoc ſi ita credis me non intelligere (ne quid in te dicã aliud, aſtutiarũ quoq; nondũ ſatis didiciſſe te putẽ. Nã quid ego, à tuis obtrectatorib⁹ audire potui, quos nec ſcio quidẽ eſſe ullos? Verũ μὴ κλέπτε νόῳ. De libris uerò, quos Venetijs per Franciſcum Strateium quæri uolebamus, quod ferri æquo animo non poſſe ſcribis; quid hîc, oro te, ferri non poteſt? mihi quidẽ nullũ hîc uideẽ eſſe conuitiũ, nullã cogitaui iniuriã, aut cõtumeliã; nec ĩtelligo, quã in partẽ aliã illud queat accipi, niſi quam ego uolui, et corã loquuti eram⁹. Q uos aũt ſcribis auctores, ecqñ negaui abs te nõ eſſe ĩtellectos? ĩmo ego tibi affirmare poſſũ, neq; amicitiã, neq, tuã in literis exiſtimationẽ antehac

à me

à me eſſe uiolatam. Vt enim ſæpius ad te ſcripſi, in eam partem ambitioſus uideri malo ſemper, ut humanitatis uidear eſſe ſtudioſior, quàm ſcientiæ, uel doctrinæ. Reliqua in tuis literis duriſſima, recipio me non ampliùs eſſe lecturum, aut uelle recordari; etſi non ſpero iam meam tibi facilitatem, manſuetudinem, & in te uoluntatem, ac ſtudium ampliùs cognitum iri. Etſi enim ſint hęc ipſa luce clariora: ipſe tamen, quum ſimultas à te uiſa eſt eſſe depoſita, non tam amicum habere tunc uoluiſti; quàm eum, de quo tibi apud infirmam multitudinem, iſtis modis triumphare, & literatuli hominis opinionem aſſequi uiderêre. Ignoſces mihi, ſi te dicam μέγα φρονεῖν. Nunc ergo expectarem à te literas, ſi te ſcirem amicè ac ſuauiter eſſe ſcripturum. Vale.

Ioanni Baptiſtæ Caſſimirio. XLV.

VEREOR, *ne quid ſtatuat ciuitas contra noſtram utriuſque uoluntatem. Quamobrem uide tu, cuia magis intereſt, quàm mea; ecquod nouũ decretum fiat, ecqua hominum uoluntas, ecquæ factiones aliæ oriantur. Vigila, nequid horum, conſilia noſtra anteuertat. Siquid enim extet eiuſmodi, ſcis me non modò ciuitati, ſed ne priuatis quidem hominibus poſſe repugnare. Eſt enim apud me decretum à Decurionibus factum anno ſuperiore, quod nulla de re magis, quàm de triennio uidetur eſſe conſtitutum. Itaque ciuitatis eſt, me illa perſcriptione ſoluere; tuum, ut hoc modis omnibus prouideas; meum,*

ut tua

ut tua commoda meis anteponam. Sed tamen, ut ſcripſeram ad te, et coràm ſignificaui; niſi ad Cal. Sept. nulla, neque commodi, neque honeſtatis ratio patitur, me nunc his de rebus aliquid cogitare. fortaſſe etiam me à Decurionibus iniuriam accepiſſe putem, ſiquid aliter eueniat. Danda igitur eſt opera, non ſolùm ut illud fiat, quod me, ego tibi ſum pollicitus, æquo aío eſſe laturū; ſed ne aliter fiat, quàm & uoluntas mea, & exiſtimationis ratio uideatur poſtulare. Equidē faueo tuis rebus: nō tamē præſentis tēporis, in quo nullū ferè, aut minimū facis damnū; ſed bienniį inſequentis arbitror mihi habendam eſſe rationē. Vellem hoc negotium tibi ſtatim conficere, & magno meo cum damno pœnas dare alienæ temeritatis, & maleuolentiæ in te leuiſsimorum hominum: ſed hoc quidem tempore neque ciuitas poteſt hoc facere ſine mea iniuria; neque ego ſine inconſtantiæ nota id, quod tu uis, poſſem ab illa petere. Tu, quid me uelis facere aliud, etiam atque etiam cogita. excepta enim iactura dignitatis, nihil eſt, quod nolim tua cauſſa. Scriberem in hanc rem plura, niſi te ſcirem ita eſſe tua ſponte incitatum, ut credas te deteſtandum facinus admittere; ſi committas, ut mea, id eſt hominis amiciſsimi facilitate, & beneuolentia abutâre. Nihil eſt enim, quod ego poſsim aliud, quàm ut mea cōſilia, & rationes oēs tua cauſſa euertā. Denique igitur uide, ne quid noui decernatur, cui reſiſtere ego nō poſsim; imprimisq; ut decretū tollat: quod niſi fiat, non uideo, quid pro te conari poſsim. Vale.

Ioanni

Ioanni Baptiſtæ Caſsimirio. XLVI.

EX tuis literis cognoui id, quod ſæpius coràm di xiſti: et ego antè magno cum dolore cogitauerã, quantis difficultatibus, & tu, & familia tua preme retur. Dij maleſaciant improbiſsimis, & maleuolen tiſsimis hominibus, qui odio tui, me quoque tantas in moleſtias ac ſolicitudines coniecerunt. Quòd ſi res ad Septembrem reijci poſſet, uiderer mea ſponte omnia, quæ inde ſequerentur mala, deuorare uoluiſſe. Nunc uerò, ſi te ſeruare cogitem, ut non dicã cætera, omnium hominum linguas, probra & maledicta in me concitabo, ita ut mihi grauis conſtantisq́ue hominis opinio ſit amittenda. Qua maiore pœna ſtultum aliquem, flagitioſum, tibiq́ue inimicum afficiendum eſſe iudicares? Quòd ſi illud ſaltẽ conſilium placeat, ut per te ipſum omnia, aut aliquẽ de amicis tuis, ad Decuriones palàm referantur; ijq́; intelligant, inter nos ita hęc bonorũ uirorum more eſſe conſtituta, tollantq́ue de me triennij decretum; uidebor mihi omnem infamiam deuitaſſe. Nihil ueniebat in mentem aliud, quod honeſtè ſequi poſſemus Tu etiam cogita, quid fieri uelis; númquæ ſe ratio offerat commodior. mihi quidem, quod dixi, mea etiã cauſſa non ualde diſplicebat. Nam cur ego, ut tu uideris uelle, & exiſtimationem prodam, & tam malè audiam, ex ea re præſertim, quæ etſi mihi non mediocre damnum, laudem tamen, etiam utrique noſtrûm, ſi rectè fiat, uideatur allatura? fateor me tamen

men

men in hoc non tam cupiditate laudis, quàm metu turpitudinis moueri. Vide igitur, an conſilium hoc ſequi debeas; & equidem libentiſſimè amplectar tua cauſſa, quicquid, te referente, ea de re, cum dignitate utriuſque noſtrûm, ciuitas conſtituet. Vtinã hoc animo in te fuiſſent, aut aliquando eſſe incipiant; qui, quum te iuuare debuiſſent, res tuas omnes, et me hercule etiam meas, euerterunt. Vale.

Ioanni Baptiſtæ Caſſimirio. XLVII.

LEGI tuas literas, in quibus dubitaui, quo animo quædam à te ſcripta eſſent, & quid de mea in te uoluntate atque fide ſentires. Equidem te amaui ſemper, & me arbitror non mediocre aut obſcurum meæ in te beneuolentiæ ſignum tibi oſtendiſſe: neque aliquid aut dixi, aut feci, in quo non tuum et commodum ſequerer, & uoluntatem. In meis autem literis nihil omnino in te ipſum, ſed in tuos potiùs atque meos aduerſarios uideor eſſe ſtomachatus. Quòd ſcribis me auctore, his de rebus actum eſſe publicè à Decurionibus, neſcio undè potueris hoc ſuſpicari. Credas mihi hoc uelim nihil his de rebus à me ullo cũ homine communicatum fuiſſe: ſi qui ſunt, qui aliter loquantur, illos ad me adduci uelim. Tuo conſilio, ut ais, non parui: quia iudicabam (id quod res erat) me committere non debere, ut tantæ leuitatis condemnari poſſim. ne ſi tu quidem hoc pro me feciſſes, laudarem: tametſi ſcio eo conſilio, quod mihi ſuadebas pro tuis commodis, temetipſum minimè fuiſſe uſurum,

Præterea

Præterea enim, ſi alterutrum ferre mihi neceſſe ſit, malim iniuria affici à multis; quàm ego multos, quãuis re minima, prouocare. Nam, quòd ad me attinet, etiam plus, quàm triennio toto in ſententia permanſiſſem. quum uerò tu incommoda & uoluntatem mihi tuam explicaſſes; cogitaui, ſi ſaluis rebus, & dignitate mea, proſpicere nollet tibi ciuitas; inconſtantiæ meæ culpam, cum ſcelere, ſordibus, & perfidia nonnullorum hominum, non eſſe coniungendam. Illud uerò, quod in tuis literis erat; SI TACVISES: non uideo, quid non tacuerim. Sed in me ſemper habere te ſimulas, quod criminêre: ac ne nunc quidem tibi ſatisfacio, quum tua cauſſa me ipſum roges contra non rationes modò, ſed exiſtimationem quoque meam pugnare. Itáne Caßimiri, amicitiam tibi eſſe uoluiſti mecum, quia aliter cõſtantiæ, grauitatis, induſtriæ, & literarum à me opinionem tollere nõ poſſes? Verùm ſic habeto, me rationem poſthac maiorẽ eſſe habiturum fortunæ; quàm familiaritatis, morũ, & ingenij tui. Vale.

M. Antonio Vinciguerræ. XLVIII.

TANTA *iamdiu intermißione literarũ credi poſſet amicitiam quoque noſtram refrixiſſe. quare, ſi nos mutuò amamus, ignoſcere nobis mutuò non poſſumus. Aliud, quod ad te ſcriberem, nihil erat, niſi tuas à me uehementer expectari literas. Siquid ad me ſcripſeris, epiſtolæ ad te erunt meæ pleniores. Vale. Brunduſij.*

Marcello Corrado fratri, Vriam.
XLIX.

AESTVS nunc ualde magni cogitationũ mearum. Caue frater, mihi ampliùs blandiâre, aut errare me credas. θεὸς γάρ ἐν ἡμῖν, *nec meorum genus illud augurioruum, quod narrabam, falli poteſt. Non igitur id dabis operam; ut, quod ſcio, & uideo, nolim credere; uel ne ignis accendatur: ſed, ſi id fieri poteſt, quod iam deſperaui, ut extinguatur: ſin id non fiat, quanta meorum* ἰλιὰς κακῶν *ſequatur, uides. Vale.*

Eodem, quo biduo antè, exemplo ſcribere uolui, quòd ſuſpicabar perlatam hanc ad te epiſtolam non fuiſſe. Scire item cupio, an eas literas acceperis, quas ad te. VI. Id. Sept. dederam. Brunduſii.

Marcello Corrado fratri,
Vriam. L.

QVOD mihi (ut ad te ſcripſi) uideor eſſe relegatus, ut à te diſceſſi, quale hoc ſit, non dubito, quin intelligas. Cura, obſecro te, mi frater, ut uidear aliquando mihi, non uobis, non ciuitati, ſed mihimet eſſe reſtitutus. Quid ego uelim, quid fieri oporteat, quanto ſim in dolore ac metu, ipſe noſti. Verùm ſunt multa nudius tertius à me tecum uſque ad ineptias deplorata. nunc tua fide, diligentia, opera, ac ſtudio ut opus ſit, probè intelligis; neque ego deſpero te mea cauſſa, quicquid res poſtulet eſſe facturum. Mediano fratri poſtea ſatisfaciam. nunc mihi, uel nummus nõ

erat in promptu. Mandabis ei meo nomine, hortos quàm diligentiſsimè curet. Moros ipſe curabo, reliquas arbores tu conquires. De oleo, ut uidebitur. Mala medica ad te miſi, nō illa quidem optima, ſed quibus hîc nō eſſent hoc tempore meliora. Expecto, quid omnibus de rebus actū ſit. Violanthæ Oggianę, quam ego ſecundū matrem diligo, caſiam, odoresq; cæteros curaui, quàm electiſsimos potui: illi, et filiæ, et ſorori et Thomaſinæ Belpratę ſalutē. Verùm tamē caue, putes me uel obliuiſci poſſe metus, et doloris mei; uel minora hæc nolle diligentiſsimè curari. Ad amicum noſtrū ſcribā, ſi me collegero. interim ſciat nō ignorare nos ludibrio haberi. Brūduſii. XVI. Cal. Decē. Vale.

Marcello Corrado fratri, Vriam. LI.

CAVE *putes frater, me aliquid celari potuiſſe de ſtatu rerum mearū. ſcio enim iam eſſe perditas. Quamobrem te oro, ex ijs reſtitue, ſi quid potes; & primo quoq; tēpore ad me literas mitte, quales nunc quidē uix audeo ſperare. fieri nō poteſt, ut ęquo animo ijs caream, niſi tempus aliquod expectes, quò minùs acerbas dare poſsis. ac denique ſatis eſt intelligere te, quid in re tanta expectari à fratre conueniat. Orationem, & literas meas utrum ad Hieronymū Rufum, Varinosq́ue miſeris, certior fieri uolo. ſi qua enim ea in re culpa à te commiſſa eſt; nō dicam cætera. Nā recordor, quàm ſoleas tractare negligenter, ſi quid mādaui. Tametſi nunc tua ſponte, ac potiùs mihi inuito mea ſcripta eripuiſti, quæ te ad eos*

uelle

uelle mittere confirmares:rogo te,ſtatim effice,quod recepiſti.De hortis uero,doleo eo te eſſe animo,ut neceſſe ſit,eos tibi ſæpius cōmendare:hæc tamen leuiora ſunt. Nam quid de ea uoluntate dicā,quæ tibi tā altè inſedit in eos,quos nihil aliud, quàm amari abs te uel eorum cū aliquo damno uelim? Crede mihi frater, ex tanta mutatione morū & uoluntatis tuæ nihil eſt,quod mihi moleſtiam afferat maiorem; quàm quòd uidéris tibi magnas habere cauſſas, quamobrē odiſſe debeas homines coniunctiſsimos et amantiſsimos tui. Non odi,inquis,et amo potiùs de me nō optimè meritos. Audio frater,et iſta diu mecū, atq; altiùs repetita cogitaui;nec ignoro animū tuū:et nego te in eos ita animatum eſſe oportere;quamuis (quod negaui ſemper) iniuriā tibi factam ab ijs eſſe concederem. Affirmo enim tibi,nihil omnino tanti eſſe debere,quòd ab illorū nos beneuolentia abducat. Cogitare debes etiā breui nobis eſſe moriendū; & ei,qui ſuperſtes fuerit,perpetuo in luctu uiuendū eſſe,quòd uiuis etiā propinquis,ac neceſſarijs caruerit. Verùm ad illa minus triſtia. A Mario,& M. Antonio crebrę ad me literę. Tua promiſſa flagitāt.me appellāt. ego te illis ualde bonū eſſe nomē prædico. Tu contrà queſtus es,quòd liberaliùs de te,tuoq; ingenio,ac literis ſpōdere ſoleā. Ego uerò neq; ultrò ſpopōdi,neq; ignoro in eo genere,quid poſsis. Meis in rebus ſi quid erit noui,pręſertim eiuſmodi,qđ me ſolicitudine tāta ex parte aliqua leuare poſsit;curabis,ut ſciā;dabiſq; operā, ut rectiſsimè agantur oīa, et ueriſsimè ad nos

 perſe-

perferantur: nec mendacijs arbitrêre leniendum eſſe meum dolorem. In tua enim fide, amore, prudentia, ac ſedulitate ſpem omnem fixam, & locatam habeo. Poſtremò ad illud redeo, ut ſuperiora, quæ dixi, in eã partem accipias, quam ego uolo. Brunduſii. x. Cal. Decemb. Vale.

Marcello Corrado fratri,
Vriam. LII.

PLVRA habeo, quæ ad te uelim ſcribere, ſed ea ſunt eiuſmodi, ut non audeam committere literis. uide tamen ſiquid, me tacente, poſsis intelligere. Aueo igitur ſcire, quæ mihi diſsimulauiſſe uiſus es in epiſtola tua, de ea, quam obſcurè deſignaſti, hominis leuiſsimi, & inſaniſsimi fuga. Nam & hinc, obſcuros tamen, rumuſculos audio; & ſiquid meis ſuperioribus in literis diuinaui, cupio doceri; ſiquid turbatum eſt in rebus tuis, quid fieri neceſſe ſit; & denique conſiliorum tuorum omnium particeps eſſe uelim. Res omnino ea agitur, niſi fallor, ut permagni interſit illam mihi eſſe cognitam. Quòd ſi fiam à te certior, & ſiquid μυστικώτερον eſt, intelligam; cognoſces id, quod ſæpe antea dixi, & debetur fraternæ pietati, neque fideliorem in tuis rebus eſſe quenquã, neque amantiorem tui. Quæ autem ſuperioribus literis ad te ſcripſi, non dubito, quin des operam, ut illa, & meam ſalutem omnem tibi, id eſt amantiſsimo fratri, cognoſcam eſſe commendatam. De ouibus, ego mea pecunia Carolo Maximiano creditori ſatisfacere

re

re conſtitui ad Id. Ian. Quòd de meis rationibus cum Mediano ad me ſcribis, non deero ueſtræ utriuſque uoluntati. Sed in ijs, quæ ſuperioribus diebus rectiſsimè ſubducta nobis uidebātur, illam pecuniam recordor non fuiſſe numeratam, qua ſcis meo nomine oues reliquas emptas eſſe per Gioſum procuratorem meū. Ages his de rebus, ut cum fratre noſti me uelle; & reſcribes ad omnia diligenter. Vale.

Marcello Corrado fratri, Vriam. LIII.

SVPERIORES literas quum obſignarem, præſto mihi à te fuit tabellarius cum literis, quas ego multis diebus expectâram. In ijs tamen erat nihil, in quo poſſem acquieſcere, niſi quòd te ſine ſolicitudine eſſe cognoui. fuit hoc mihi uehementer gratū. Sed in tuis rebus licet nunc otium eſſe dicas; cupio tamen ſcire, quid acciderit, quamobrem de ijs tanta in deſperatione te eſſe ad me ſcriberes: tametſi ex ipſa oratione tua, ut ſcripſi ad te antea; quæ τραγικὰ non multum uidebatur, ſimulatum aliquid eſſe intelligebam. noui enim animum, noui querelas tuas. De ijs, quæ ad te ſcripſi, remitte iam tandem aliquando, per Deos te oro frater, meam quam toties efflagitaui orationem. Mitte græcos libellos, quibus carere ampliùs non debeo; & ſcis me ex ijs Diomedi Catiniano quædam uelle reſpondere. Itáne ego tua mandata, & quicquid uel minimum tua credam referre, contemno, aut contempſi unquam; ac non potiùs obliui-

ſcor mei, quum recordor tui? Quam ad rem ea oratio mihi neceſſaria eſſet, quibus deſim, quorum expectationes quatuor iam menſes tua cauſſa fefellerim; noſti. De me nihil eſt, quod poſſim dicere. nam, quo animo ſim, temet ipſum interroga; quo me eſſe oporteat, ex iis, quæ à te quotidie expecto. Amicus noſter, ut ſcribis, uincere conſtituit; &, ut opinor, iam uicit. quis enim illum flectat, qui non conſilio, aut ratione aliqua ſe tuetur; ſed ſola obſtinatione uoluntatis? Famæ ac ſalutis rationem eſſe habendam ſcribit. O ſtultum illum atque inſanum. nam quid ego aliud quæro? quid ipſe aliud conatur euertere, quàm id, quod maximè curare ſe arbitratur. Ille tamē ſcio aliud cogitat, et uideri uult eſſe in metu ad occultanda ea conſilia, quæ noſti: qui, ſi inſtiterit, patefactæ ſunt (mihi crede) illius cogitationes. ſcribam tamen ad illum pluribus. Tu de hortis quid fiat, uidebis. De Mariano Argentario, et uxore, et Violātha, de malomedicis, de caſia, atque odoribus, de ſponſione pro te mea, ac rebus cæteris, de quibus certior fieri uolebam, nihil erat in tuis literis. De iis omnibus, & quando me uenire oporteat, ſcire à uobis peruelim. Vale Brunduſii.

Marcello Corrado fratri, Vriam. LIIII.

ET potes, obſecro te frater, proximis meis literis, neque ad ſcribendum, neque ad ea peragenda, quæ cupiebam, commoueri? Si tanti apud te uoluntas eſt, & res meæ; uide etiam atque

etiam,

etiam, quid me uelis exiſtimare. Ego tamen aut literas te meas non accepiſſe, aut noua perturbatione aliqua potiùs teneri puto; utinamque non maiore malo; quàm ego interpretor. Efferor cupiditate audiendi, ſi quid huiuſmodi acciderit, cui ego mederi poßim.

Marcello Corrado fratri, Vriam. LV.

SCRIPSERAM hodie ante lucem, nunc etiam Gregorio Palmaricio dedi hoc ad te literarum. Tu uerò frater, itáne ullis occupationibus potes diſtineri, ut his duobus menſibus unas tantùm ad me literas dederis? Equidem hæc quum ad te ſcriberem ad horam ſextam, cupiebam eſſe ad nonam, atque ad ueſperam per quos ad te ſæpius aliquid poſſem. Verùm, ò te noſtri oblitum, & tuis tantùm cogitationibus obrutum. Sed quid, ego nihílne cogito? nulláne mihi ſunt mala, & æſtus animi mei? nulli cruciatus, nulli metus? in his tamen multorum annorum fluctibus, meos omnes amo, & in illis acquieſco. Apud te uerò quid tanti eſt, quò nos amantißimos tui poßis negligere? Ego quidem certè (quod te uelim imitari) quoties reſpirare à moleſtijs uolo, & miſerijs, in quibus tandiu uerſor; ad ſtudia, ad literas, ad ſpem, cogitationemque ueſtri confugio. Sed, quum hæc pluribus ad te perſequi uellem; ecce diuertit ad me Iulius noſter; is, quem ego uehementer antè dilexeram. Is

quoque multorum in ſe odia atque inimicitias narrabat. qumq́ue mihi illius omnia ſint magis nota, quàm uellem; ita breuiter ſermonem illius interpellaui, ut confirmarem, ex ijs rebus atque ineptijs, hominis innocentiſsimi, & illius amantiſsimi dedecus & mortem eſſe conſequuturam, niſi modeſtia ſeruetur. Ille neque culpam confiteri, neque melius aliquid promittere, & iraſci, & duriſsimè omnia accipere. Ego iratum, & ineptè omnibus minitabundum ſic dimiſi, ut fatum hoc illi eſſe prædicarem. Qum redierit, illum conuenies, et commonefacies meis uerbis, ut ad futuros euentus proſpiciat; illiq́ue perſuadebis, mihi illius res omnes, & hanc de qua loquor uoluntatem, & ſi minùs rectam, eſſe tamen antiquiſsimam. Vale. Brunduſii, xv, Cal. Ian.

Ioanni Baptiſtæ, & Vincentio Varinis fratribus. LVI.

SEX iam menſibus nihil ad me ſcribitis. mihi uerò intermiſsionis cauſſa literarum, non uoluntas mea fuit; ſed, quòd mihi potiùs à uobis literæ expectandæ eſſent. Sed quid literas dico? uos ipſos etiam uenturos credebam. Ita enim à patre ueſtro audieram, qui etiam affirmauit, ſe equos uelle mittere, quibus iſtuc uenirem, & uobiſcum aliquot diebus forê, ac deinde uos quoque Brunduſium ad me eſſe uenturos. qumq́ue diu hęc expectauiſſem, rumor interea de ueſtris nuptijs. at cur potiùs rumor, quàm ueſtræ literæ? Sperabam ijs me interfuturum, id quod offi-

cium

cium meum, & mutua inter nos beneuolentia poſtulabat: ſed, quum ijs de rebus expectaré à uobis fieri certior, & ex ſilentio ueſtro falſas putarem; ex multorum ſermonibus cognoui, quod factum eſſet. Quapropter, doleam, neceſſe eſt, quòd ſciam in ijs nuptijs multos fuiſſe, uel ſplendore, uel propinquitate coniunctiores, quàm ego uobis eſſem; at fideliorē, & amantiorem ueſtri fortaſſe neminem. Patiar tamen æquo animo, quicquid uultis, ſemperq́ue meam in uos beneuolentiam cnnſeruabo. Etſi enim indicia quædā mihi perſpexiſſe uideor minimè dubia mutatæ ueſtræ in me uoluntatis: nō deſpero tamen meum uobis animum aliquando cognitum fore. Miſi uobis orationem, quam patri ueſtro promiſeram. eam ante Sextilem eſſe ad uos miſſam arbitrabar. Quū enim Marcellus frater ſe ad Palatinos eſſe uenturum crederet, neque poſtea uenire illi neceſſe fuerit poſt quatuor menſes; ne recordabatur quidem ſe à me illam accepiſſe. Itaque miſi exempla literarum, quas ad illum ſcripſi; ut intelligeretis, quàm ſæpe eum hac de re monuerim. Patrem ueſtrum, & matrem ſalutate meis uerbis. Valete. Brunduſii. iij. Id. Ian.

Vincentio Varino. LVII.

REDDITAE mihi ſunt tuæ, & patris tui literæ. Sed is, qui illas attulit ad me non fuit: quamobrem nec reſpondere ſtatim potui. Scripſi poſtea, quid mihi faciendum uideretur, & de uoluntate, & conſilio meo, & quādo uenire ad uos poſ-

ſem.

ſem. Confido Hieronymum Rufum dediſſe operam, ut meæ ad uos literæ perſerrentur. Siquid eſt autem, quod tua ualde interſit, me ſtatim uenire; non deero ne uoluntati quidem tuæ: ſin res eiuſmodi eſt, ut differri commodè in alios dies queat, ne ſic quidẽ longum tempus expectandum erit; & ſiſtam me ad Id. Febr. Epiſtolam tuam Græcè ſcriptam legi libentiſsimè. ſcire à me pater tuus uoluit, quid de illa mihi uideretur. ego uerò nihil inueni, in quo tibi opus eſſet adulatione mea. aut enim elegãtiſsima eſt: aut ego græcè nihil ſcio. Sed, quod in ea de meo in uos animo, & intermiſsione literarum queſtus es; næ tu mihi uideris uoluiſſe reprehenſionem anteuertere; quòd ſcires diu à me deſideratum eſſe officium tuum, & accuſationem timeres. Ego uerò, etſi tuas deberem expectare literas; ſcripſeram tamen ad uos omnes, antequam de me queſtus eſſes: quanquam fortaſſe, quum ſcriberes, meæ literæ nondum eſſent perlatæ. Probat hoc dies utriuſque noſtrûm literarum: probant literæ ad fratrem meum ſcriptæ, quarum uobis exempla miſeram. Quamobrem caue aliquid de mea in uos beneuolentia atq; officio ſuſpicêre: aut me falſa accuſatione deterrendum putes à iuſtiſsima expostulatione mea, qua in te uti poſſem. quanquam ipſe, & ignoſco tibi, quòd te mihi de amore, & diligentia tua ſuſpectum eſſe metueres; & illa te & tuos omnes caritate proſequor, qua antea ſemper ſum amplexatus. Vale. Brunduſii.

M. Antonio

M. Antonio Vinciguerræ. LVIII.

VELLEM ad te plura ſcribere, ut ego pollicebar me eſſe facturum, & ipſe à me petis. Sed nunc in eo ſtatu ſum, ut ne doloris quidem mei, quo impedior, aut cauſſas uelim, aut magnitudinem ulla ex parte queā dicere. Itaq; te amo, ut ſemper antea feci, quāquā ad te ſcribere nō poſsim. Si reſpirare unquam ex his malis cœpero, non deſiderabis meas literas. Vereor tamen, ut tanto ex luctu poſsim emergere. maius enim in terris aliquid ego quidem amittere non potui. Vale.

M. Antonio Vinciguerræ. LIX.

DEDERAM ad te literas. IX. Cal. Aprilis: quibus in literis excuſabam, quòd dolore quodam impeditus, literis mittendis, ut cōſueueramus, uacare non poſſem. quo nuncio uiſus es mihi, pro mutua inter nos beneuolentia, commoueri. Illud etiam tibi accidit moleſtius in meis literis, quòd tibi ne genus quidem aut cauſſam doloris mei, quem adhuc acerbiſsimum capio, ſignificare potui. quapropter nihil etiam tibi poterat uenire in mentem, undè conſolationē afferres. Vulnus tamen eſt eiuſmodi, ut ne nunc quidem, aut unquā poſthac diu refricare uelim: maximéque aptū ſit rationibus meis, dolorē illius à me uno deuorari. Suſpitionē uerò eius quandā ijs græcis uerſibus attigi, quos nūc ad te miſi: quibus et cauſsam doloris mei, intermiſsionisq́ue literarum, & meam in te beneuolentiam, opinionemq́ue tuæ in me fidelitatis teſtarer. Vale.

Marcello

Marcello Corrado fratri,
Vriam. LX.

DIV careo tuis literis, & ignoro quid agas. Scire cupio, quid de te hoc anno ſtatueris. Quòd ſi res tibi adhuc integra eſt, cogitabis rectè, ut ſolùm id ſuſcipias, quod te confidas cum laude eſſe perfecturum; neque diſcedas à conſilio meo. Si enim ea es uoluntate, qua ſuperiore triennio fuiſti; miror, quid tibi in mentem ueniat, ut poſſe te domo abeſſe uel unum diem exiſtimes. quare totius cōſilij tui rationem mihi perſcribes. De mea ualetudine, pridie quàm hæc ſcribebam, pituitæ purgationibus uti cœperam. ſperabam mihi fore melius. Decimo ſexto abhinc die etiam caſu abaci pene crus fregerā; ac neſcio, an os aliquod fractum, ſciſſúmue ſit. Dolorem, quidem adhuc medicamentis leuare nulla ex parte poſſum; immo uerò is quotidie magis creſcit. Vulnus autem nullum apparet, et putabam aliquod latêre ſub cute. Veniſſem ad diuinam Argentarij χειρουργίαν, ſed noſti genus exilij mei. illum meo nomine ſalutabis. De Mediano, illiusque rationibus cupio doceri. Vale. Brunduſii.

Marcello Corrado fratri,
Vriam. LXI.

SI tua ſponte ad me non ſcriberes, tecum iuſtiſſimè expoſtularem; quanquā haberes nihil, quod tua ſcribere, uel mea intereſſet ſcire. quid, quòd ne pro-

ne prouocatus quidem; & erat nõnihil,quod ex tuis literis doceri uolebam? quid,quòd proximis meis literis me oſtenderam ægrotare; nec deerat, cui dare poſſes? equidem de te quid dicam,neſcio. Si talis es, frater,ut tam ſępe huiuſmodi offenſionibus,quæ mihi accidunt grauiſsimæ, & mea querela delectêre; uide,quo animo in te eſſe debeam.nam cur, poſtquã nihil tandiu ſcripſiſſes, Federico ſaltem Oggiano, quem ad me uenturum eſſe ſciebas, nihil dediſti literarum? Ille quidem quum me ſalutans excuſaret, quòd ſua cauſſa tu non ueniſſes, mirabatur primò (ignoſces frater) ſuum mihi gratiorem aduentum fuiſſe,quam tuum. Quid igitur, aio, ecquem ab illo affers aut nũcium,aut literas.ille ſtatim neſcio quid excuſare. Ego uerò frater,non illius in te,ſed tua in me officia requiro: quod iam præ dolore ampliùs queri non poſſum. Vale. Brunduſii.

Marcello Corrado fratri,
Vriam. LXII.

TANDEM redditę mihi ſunt à te literæ, quum ego illas minimè ampliùs expectarem. Ais nihil habuiſſe te,quod ſcriberes.obſecro, nihílne erat,quod reſponderes? uidêris enim ſubaccuſare, quòd nullas ego,aut uacuas ad te literas, neque tuo dignas reſponſo dederim. Sed non querar de te ampliùs (nam ne hoc quidem pateris) & (quando tu ita uis)nihil eſt,quod iure de te queri poſsim. Nãque illud etiam non amor in te meus, neque ſiquid

à te

à te ſcire cupiebam, neque tot meæ epiſtolæ, nec diu fruſtra expectatæ literæ tuæ; ſed mea ſtultitia fecerat, ut iam de tua uita inciperem ſuſpicari, neque ijs poſſem credere, qui rectè aliquid de te nunciarent. Vale.

Ioanni Baptiſtæ Varino. LXIII.

EXPECTABAM uehementer à patre tuo literas, quæ me ualde magna moleſtia liberarent. nunc autem, quum Inginia ueſter nihil attuliſſet, deſij ſperare ampliùs: tametſi facere non poſſum, quin adhuc expectem. Scis enim, quanta de re mihi deliberandum ſit, & impedior illius expectatione literarum. Noſti ipſe, quid is me ſpondere uoluerit, ſibi & matri tuæ, quum apud uos fui lupercalibus tertijs. Iterum uerò, quum iſtuc ueniſſem, perſpexi omnino, quàm refrixerat. ſed, quia uideri tamen uolebat eodem eſſe animo, ut de meis rationibus donec ad me ſcriberet, integrum ſibi reſeruarem; nihil magis, quàm eius literas expecto. fortaſſe etiam ad mea negotia minùs temporis datur mihi, quàm putâram. Quare ſalutabis illum meo nomine; &, ut quàm primùm ea de re literas ad me ſcribat, rogabis. Quòd niſi me ſtatim doceat, quid ſtatuerit; ſciat me neque promiſſo, neque ulla eius rei fide ampliùs teneri. Vincentio fratri tuo ſalutem ex me nunciabis. miſi ad eum illius epiſtolæ exemplum, quam ſuperioribus diebus reſpondit ſibi redditam non fuiſſe. Vale.

Auguſtino

Auguſtino Griſio Sulmonenſi, Lupias. LXIIII.

SI uales, gaudeo. Mihi poſt diſceſſum tuum ſatis bellè omnia atque hilariter. nuper enim recreatus etiam uideor ſuauiſsimo ſermone tuo. Quid quæris? graues moleſtias, quas longo tempore contraxeram, tridui conſuetudine, ambulationibusque noſtris mihi uideor magna ex parte abieciſſe. Quãobrem te uidere & frui noſtra neceſsitudine uehementer cupio. Quòd ſi nos iterum hac æſtate reuiſas (quod te ſperamus eſſe facturum) nihil eſt, quod mihi poſsit accidere gratius. coniunctionis enim noſtræ fructum ex congreſſu ſuperiorum dierum ualde magnum cœpi, & me hercule humaniſsima oratione magnopere ſum delectatus. De tui ſtudij ratione ſic habeto breuiter, te in his quæ ad ſermonem pertinent, hoc quidem tempore uno M. Tullio contentum eſſe oportere. cæteros enim, ſi me audies, nõ tu quidem aſpernabere, ſed in tempus aliud reſeruabis. Nam pauciſsimi ſcriptores, etiam de antiquis & doctis hominibus, ueræ latinitatis nitorem ſunt aſſequuti; & ex perfectis quid in oratione ſequendum fugiendúmue ſit, nouo imitatori difficillimum eſt iudicare. Quapropter ego M. Tullium ſtatuo eum eſſe, quem & pueri tutò ſequi poſsint; et nunquam à ſe dimittere etiam ſenes debeant. Qui noſtra ætate aliam uiam ſunt ingreſsi, ut multa non dicam, illud certè poſsum affirmare, ex

re, ex his neminem Romanè loquendi, aut ſentiendi partem aliquam intelligere potuiſſe. Neque ignoro multos, & quidem doctos, & eruditos homines in hac ſententia à me reprehendi: ſed dabunt mihi hāc ueniam boni uiri, ſi in alijs requiro ea, quæ nec mihi quidem arrogo, nec ſcriptoribus antiquis, prȩter pauciſſimos, poſſum concedere. Nulla igitur aut mea arrogantia, aut illorum culpa eſt, ſi in Italia nunc, & omni hominum memoria per quàm raros, & in his locis ac ciuitatibus prædicem id, quod res eſt, neminem eſſe, qui latinè ſcribat, neque tamen eam laudē mihi audeam uendicare. Itaque mihi nihil aſſumo aliud, præter iudicium et uolūtatem illam, ut quàm pauciſſima pro latinis accipiam; & primis ſaltem in ſtudijs nihil cum Cicerone conferre uelim. Sed, quoniam (ut præſens tecum egi) hac de re ſæpiùs ad te ſcribam; quæ de toto hoc genere dici poſſint, dicā aliâs pluribus, ſi te huic meo conſilio nunc obtemperauiſſe cognouero. De gemmis feciſti mihi gratiſſimum, & tibi ago gratias: nec eſt, quod de illarum pretio ſollicitêre, ſi hæ tantoperè, atque à tam multis probantur, & dignæ tibi uidentur etiam moroſitate mea. hoc ſpectato in primis. Nam cæteris de rebus ita cōſtitues, ut ſi res tua agatur. habebo ratum, quicquid egeris. Nos te quotidie expectamus. Vale. Vriæ Cal. Sext.

Auguſtino

Auguſtino Griſio, Lupias. LXV.

DE gemmis & auro (id enim præcipuum erat in tuis literis) curatum eſt à te diligenter; ita ut intelligam me neque amantiori cuiquam, neque eius rei magis gnaro negotium dare potuiſſe. Ago igitur tibi gratias; & meam quoque operam, & officia cre das velim tibi, ac tuis omnibus eſſe paratiſſima. Pecuniam Innocentio, ut ſcripſiſti, numeraui ſtatim le ctis tuis literis, quam arbitror iam ad te eſſe perlatam. Ego me hercule tua diligentia, fide, induſtria, magnoperè ſum delectatus; daboque operam, ut me non ingratum hominem poſsis iudicare. De latinitate paranda minimè neceſſe eſt plura dicere. habes enim ex ijs literis, quas proximè ad te dedi, meam ea de re ſententiam, ut nullo tempore à M. Tullio diſcedas. quod ſi perſuaderi cunctis hominibus poſſet, tota Italia, & ubicunque tenentur noſtræ literæ; nõ dubium, quin multò plures futuri eſſent, qui latiniſsi mè nunc loquerentur, quàm ipſius Ciceronis ætate floruerunt. Tamen conſtitues apud te, ſiquid eſt, in quo poßim tuo ſtudio, re aut conſilijs prodeſſe. nihil enim mihi aliud nunc ueniebat in mentem, & eram ſanè occupatus. Præceptorem tuum, de quo ad me ſcripſiſti, ualde doctum iuuenem ſalutabis meo nomine. Vale. Vriæ. IIII. Cal. Sept.

Fabio Latomo. LXVI.

EPISTOLAM tuam Cuccius noſter inuito mihi de manibus ereptam, ait ſibi de ſinu exci-diſſe. Ergo, quid in ea eſſet, ad quod reſponderi uelles, non poteram ſanè recordari. uidebis igitur, facieſque, ut ſciam, ſiquid me ſcribere oporteat. Vellē hoc anno apud nos eſſe potuiſſes. equidem uideor tecum exulare; & cogito, quantam in ſtudijs facias iacturam. Neque tamen arbitror te iſtinc exolui poſſē, tametſi fides publica impetretur. teneri enim ea facillimè poterat, ſi aut pater tuus, aut Demetrius Capucemadius maiore ſtudio ad eam rem contendiſſet. Vale.

Franciſco Antonio Strateio, Brunduſium.
LXVII.

DE Saturnij libro quod meum iudicium exquiris, id eſt eiuſmodi, ut pluribus uerbis explicare neceſſe ſit. Quamobrem uacationes aliquæ, aut feſti dies expectādi ſunt, quibus mihi per otium liceat morem gerere uoluntati non ſolum tuæ, ſed me hercule etiam meæ. Mandatum enim ea in re tuum ſcito me libentiſsimè curaturum: ſed nunc magnoperè diſtinebar. Quum dies à moleſtijs acciderit uacuus, reſpondebo ad omnia, quæ requiris. Hęc ad te nunc eò ſcripſi, ut intelligas, me flagitationis tuę minimè oblitum eſſe, quamquam norîs occupationes meas. Vale. Aſtunci, pridie Non. Nouemb.

Franciſco Antonio Strateio, Brunduſium.
LXVIII.

QVAM fuerim occupatus iam inde ab eo ipſo die, quo unà fuimus, credo te ſine meis literis intelligere. utinā uerò non in grauiſsimas & longiſsimi temporis moleſtias incidiſſem. Itaque mihi nul-

lum eſt otium, aut legendi Saturnij tui, (ut coram mecum egiſti) aut aliquid de eo cogitandi. Sed, quantum capita quædam guſtare potui, uidetur hic mihi omnem ſermonis Latini candorem funditùs tollere uoluiſſe. Quare illud unum te, & omnes, qui latinè, & purè dicendi laudem aucupantur, monere uelim; quando inter omnes conuenit totum hoc genus conſuetudine ſpectandũ eſſe, & tu meam ea de re ſententiam exquiris; cõſuetudinem imprimis ſequi oportere. Qui hanc rectè explicatam, & perfectè cognitam ſunt amplexati; ij omnem imitandi rationem, & rectiſsimam Romanè loquendi formã præſtiterunt. Adhuc mihi neminem habere uideor, qui meæ huic ſententiæ repugnet: conſuetudinem enim omnes & ſequuntur ipſi, & exigunt à nobis: quam tamen ea uim habeat, & quibus finibus cõtineri debeat, pauciſsimi uiderunt; & Saturnius omnino imprimis ignorauit. Ergo, ſi ad definiendum conſuetudo loquendi proponatur; illa meo quidem indicio nõ aliud ſit, neceſſe eſt, quàm germanæ latinitatis crebrior uſus; & illuſtrium auctorum in unam loquendi rationẽ firmata iam uetuſtate cõſenſio. Nulla igitur latinitas cuiuſquam eſſe poteſt, qui non Romanam elegantiam propoſitam, & cognitam habeat; ſed temerè ſuo ingenio ac libidine incertus feratur. Nulla eius, qui in ſermone ea habeat antiquiſsima, quæ à doctiſsimis uiris tantùm ſemel, aut iterũ ſunt uſurpata. Nulla eorum, qui nõ adhibito iudicio, aut ullo delectu, omnia ex quibuſcunque auctoribus imitantur.

tantur. Nulla denique illorum omnium, qui non ueterem illum, & purgatum loquendi morem ſequuntur, optimis temporibus natum, à ueteribus ſapientiſsimis uiris traditum, tot ſæculis receptum, à doctiſſimis, & pauciſsimis noſtræ ætatis hominibus probatum. Quid enim, obſecro te, ſperandum ab ijs, qui auctores quoſdam proponunt ſibi ad imitandum, non indoctos quidem illos & ineruditos; ſed peſtẽ ac perniciem latinitati, pręceptis, conſilijs & ipſo genere dicendi afferentes? quid ab iis, qui tam hebeti iudicio ſunt, ut de antiquis etiam, uel optima non diſcernant; uel ijs peſſima anteponant, eaque illis meliora uideantur? Ac ſcio tamen equidem eſſe multos, qui latiùs patere conſuetudinem uelint, quàm eſt à me, & à doctis uiris conſtituta: quòd ea dicenda ſit eorum omnium, quę ſunt in pluribus conſueta; ita ut à nullo auctorum genere, aut ueterum, aut nouorum conſuetudo loquendi peti non debeat. Iis uelim ſatis cognita eſſet uera ſapientiſsimorum hominum, de cõſuetudine ſententia. Nam, ſi ea ſit tantùm non diſcedere à conſuetis, quę tandem non in ſermone ſolùm, ac ſtudijs omnibus, ſed in omni uita à plurium conſuetudine recepta non ſunt, quæ uir ſapiens probare poſsit, ac non turpiſsimum ſit nominare? Quibus in diſciplinis aut literis non peſsima omnia ſunt conſuetiora? quæ fœditas aut uerborum, aut orationis; quæ barbaries totam Italiam atque Europam non peruagata eſt? Tantáne ullo in homine imperitia, tanta fatuitas, ut exiſtimet hæc imitãda eſſe? Quã-

obrem illud ſit perſuaſum, à doctis, antiquis, claris, & paucis auctoribus conſuetudinem peti oportere: hos tantùm imitari neceſſe eſt ei, qui non longè abeſſe uelit à conſuetudine loquendi. Quamcunque aliā uiam ingrediamur, non iam Latini, ſed nouæ latinitatis auctori; Saturnio iſti ſimiles nominabimur ab eruditis. Quot enim auctores hic nobis proponit, quorum exemplo nos loqui præcipit; qui tantùm abeſt, ut Latinè loquantur, ut latinitati nihil poſſit eſſe magis contrarium? Quoties damnat temeritatis Grammaticos, qui uſum linguæ probent conſuetiorem: ipſe uerò communem loquendi legem eſſe uelit, quod eſt rariſſimum: ita ut de bonis auctoribus fæcem, ac ſordes tantùm colligere uideatur? Hæccine ſunt præcepta latinitatis, quæ nos pudeat eijcere, explodere, exterminare? Ego uerò ita cenſeo, nullam maiorem peſtem poſſe recipi in latinitatem; nihil etiam, quod literis, & moribus iuuenum plus queat officere. ea enim contumelia, ijs conuicijs, & maledictis afficit ſuperiores, tam petulanter in eos ſtomachatur, tanta indignatione, tot etiam execrationibus, tanta inſania debacchatur in multos, ac ſi damno ipſe, & iniuria ab illis eſſet affectus; ut ne, ſi rectiſſimè quidem ſentiret, furoris tanta exempla pueris uelim eſſe cognita. Errauerint ſanè illi, quos reprehendit; inuenerit ipſe meliora; fecerit tantos progreſſus in literis, quantos uult uideri; ſit tantus is, quantum ſeſe miratur: certè minimè oportuit eum, qui omnes homines, qui ante ſe fuerunt, ſcientia &

literis uiciſſet, modeſtiæ & humanitatis eſſe expertem. Illam ergo immanitatem, illud tortuoſum ingenium, illam hominis indoctiſsimi ſingularem impudentiam, nemini eorum præſertim, qui ad literas, et humanitatem inſtitui debeat, arbitror eſſe cognoſcendam. Facilè enim prima ætas, quæ orationis, opinionum, doctrinæ, & uitæ elegantia, ac ſuauitate quadam imbui debet, illam barbariem & maledicendi licentiam amplexata, ad mores etiam & animum traducit; atque ita educati iuuenes, & inſanis contentionibus aſſuefacti, nihil aliud eſſe in literis arbitrantur, nihil præclarius, aut tam ſalutare expectãdum à ſtudijs, quàm ut alios oppugnando, inanes rumuſculos uulgi aucupentur. Quamobrem, ignoſces mihi Sratei, quando talem eſſe iſtum Saturnium intellexeras, qualem ego poſtea cognoui; dubitare minimè debuiſti, quid de illo tibi faciendum, aut mihi ſentiendum eſſet. Quid, quod homo ridiculus, qui Grammaticam tractare, loquendi præcepta tradere, Latinam linguam facere nobis illuſtriorem uoluiſſet, inquinatiſsimum ipſe genus loquendi tenuit; & uix literam Græcam, aut ne uix quidẽ nouit ullam? Mihi quidem certè nondum contigerat uidere ex ueteribus aliquem, uel nouis, qui non Lana cum Græcis coniungeret; uel rudis Græcarum literarum, Latinas tradere auderet. Vtinam aliquando tandẽ, in mentem ueniat alicui è doctiſsimis aliter, ac Saturnius fecit, Grãmaticam Latinis literis, illuſtrare. Mallem inquies fortaſſe, Philoſophiam,

uel ius pontificium, uel ſacra omnia, uel quæ maiora ſunt, & minùs culta oratione; quàm grammatica, & quę præcepta loquendi adhuc multi ſcripſerunt. Ego uerò, ſic exiſtimo magnam afferre cauſam tantæ barbariæ, quod illam in ſcholis à Grammaticorum ſermone, libris, & inſtitutis diſcimus pro mũdicie orationis. Quî enim poſſet magis barbaries honorari, vt eam omnes libentiſſimè amplectamur; quàm quod ab ipſis Grammaticorum libris, et à præceptoribus, iis etiam, quos decies centenis millibus æris conducunt ſæpe quædam ciuitates, illam diſcimus? Ego uerò grammaticam, qua de nunc agimus, tantùm à doctis, eloquentibus, politiſſimis, & omnium bonarum artium laude cumulatis auctoribus, tractari uellem. Et, ne multa nimis hæc uideantur, cogit me etiam Saturnius, ut Gręcam eruditionem; ut ſani, ut modeſti, ut literati, ut prudentis & boni uiri officium, à grammaticæ ſcriptoribus requirã. Quis enim hac inſolentia temporum patiatur, quod illius docendæ, & tractandæ officium ſibi arrogant ij potiſſimùm, quibus ad alias diſciplinas aditus nõ fuit; quamobrem ne primoribus quibuſdam labris, exiſtimandi ſunt illam attigiſſe? Ego uerò iam oſtẽdi, qualem eſſe conueniat eum, qui ſe profiteatur ea de re eſſe ſcripturum: ſed illud etiam addendum puto, ut illi omnia, quæ ſunt in Latina lingua, & iis auctoribus, quos neceſſe ſit imitari, ſint lecta, uerſata, notata, cognita, & percepta; & nihil omnino aliud ſtatuat, quàm quæ apud illos maximè uſitata, cognouerit.

gnouerit. Nihil enim tam propoſitũ, nihil tam meditatum Grammatico eſſe debet, quàm ad perfectam illam, quam dixi latinitatis rationem inſtituere. Quamobrem cogitare omnes debent, non ita loqui oportere, ut eſt poſitũ in pręceptis Grammaticorũ: ſed ita potiùs inſtituere præcepta, quemadmodum ſæpius ueteres illi uiri doctiſsimi, & politiſsimi ſunt loquuti. quod nõ Saturnius modò, aut alius ex iſta fæce, qui noſtra, aut auorum memoria fuerunt: ſed ne alius quidem è doctis, hinc iam mille annos amplius eſt conſequutus. Inclinare enim Romanum imperiũ ubi cœpit, latinitas etiam, & reliquæ bonæ artes omnes penitus refrixerunt. Sed ex his tamen, qui deinde fuerunt poſt M. Varronem, & C. Cęſarem, nõ indocti homines; Sex. Pompeium, Non. Marcellum, & Aelium Donatum, arbitror ſi ſcribere de omnibus uoluiſſent, aut eorum libri omnes extarent, cumulatè huic rei omnia præſtare potuiſſe. Qui uerò poſtea ſunt inſequuti, ij uel imperitia rerum omniũ, uel ambitione, uel ſtultitia, uel fame etiam compulſi, ad ſcribendum acceſſerunt. Itaque tenes meã de Grammaticis ſententiam, ut ſcias me de Saturnio nõ poſſe, ac ne debere quidem aliter iudicare; quo neminem ſcio equidem hactenus indoctiorem, nequiorẽ, aut à Latinis literis alieniorem fuiſſe unquam. Nos tamen hunc legimus, & uſque à Venetijs, & bibliothecis Germaniæ petimus, ab eóque ad Latinũ ſermonẽ inſtitui uolumus. O Salentinos olim doctos ac ſapientes uiros. O Italię oram illam, quæ magna

quondam

quondam Græcia dicebatur, quæ Pythagoram præceptorem habuit, Architam ſibi peperit, Platonem ad ſe attraxit, Q. Ennium, & M. Pacuuium uobis Brunduſinis ciuem tulit. quin barbaros iſtos omnes expellimus? quouſque tandem non illa tantùm amplectemur, non illos imitabimur, à quibus ſolis id; quod petimus, liceat accipere? Mihi quidem ego aliud nihil arrogare audeo, niſi hanc uoluntatem, ut nullum de Grammaticis, qui hactenus fuerũt, ab eo, cui Latina lingua diſcenda eſt, legi uelim; nullũ ex ijs, niſi in prima ætate legerim, quando aut noſtrorũ hominum errore, aut puerili inſtitutione cogebatr. Poſtea verò quàm Romuli Amaſæi diſciplina, & conſilio, M. Antonij Flamminij auctoritate, Bembi, & Sadoleti exemplo, me ad M. Tullij, & pauciſſimorum imitationem retuli; ita Grammaticos repudiaui omnes, ut, (credas mihi uelim) iam ex ijs nihil omnino ampliùs queam recordari. Quantum ea res me iuuerit dumtaxat ad nitorem ſermonis, aliorum eſto iudicium. ſiquid tamen ſumus (quando tu quidem ita uidéris eredere) ſcito nos hanc Romani ſermonis umbrã, et illos quos iam dixi clariſſimos, præter admirabilem eloquentiam illam, ſplendorem quoque orationis, & perfectæ latinitatis candorem non à Grammaticorum libris, ſed à M. Tullij imitatione eſſe conſequutos. Quare idem tibi cenſeo faciẽdum Stratei; &, quoniam iuuenibus erudiendis neceſſaria Grammatica eſt, quam ego præſtantiſſimã & maximè neceſſariam diſciplinarum omnium ſem

per

per indicaui;ipſi tibi cui neque ingenium, neque eruditio deeſt, à M.Tullio potiſsimùm breuiſsima et elegantiſsima quædam Grammatica,& latinè ſcribendi præcepta colligenda, quibus tuo iure inſtituendis iuuenibus utâre.Illos uerò quum ad prima latinitatis elementa exercere uoles,me quidem auctore, nō alia uia,quàm Ciceronis; non oratione tantùm, & ſtilo,ſed uerbis etiam ſingulis, & tota conſuetudine loquendi, ad id faciendum ingrediêre : neque hinc declinandum putabis unquam, niſi eo ſtudio iam cōſumato; aut potius omni reliqua ętate ad eam imitationem quàm ſæpiſsimè reditus eſſe dandos. Nihil enim in literis ita magni,accurati,ac diuturni laboris indiget,ut Latinè,& purè loquendi facultas:quā etſi ab alijs quoque petendam, ipſe etiam confitear; diu tamen unius M.Tullij lectione nutrienda quodā modo oratio eſt ; deinde confirmato iam ſtilo , ita ad alios accedendum,ut ex paucißimis illis atque perfectis, illa tantùm imitemur , quæ ſint non multùm à Cicerone diſsidentia; uel quæ in ſcriptis illius eſſe nō poterant:& denique omnia ad morem Tullianè ſcribendi,quoad eius fieri poteſt,commutanda. Qua ex re facilè cognoſci poteſt,quantum illos probem , qui neminem imitantes,temerè quęcunque primùm occurrunt,pro Latinis amplexantur.Hi ſcribendo,aut loquendo, à diuerſis & malis auctoribus colligunt, quę cohęrere nūquam poſſunt :uel ſuo ingenio,ac ſtultitia potiùs delectati,noua aliqua uerborum,& ſermonis portenta conquirunt; & tùm ſe optimè loqui arbitran-

arbitrantur, quum longiſsimè à naturali, & communi loquendi more diſceſſerint. Ignorant enim, unã eſſe ueram atque perfectam eius rei formam, quæ maximè naturam attingere uideatur; atque eam ab alijs quidem, ut dixi, ſed à M. Tullio potiſsimum ita eſſe expreſſam, ut ſi natura ipſa, aut in cælo Dij Romanè loquerentur, nõ aliter, quàm Ciceronis more, loqui poſſent. Quarè ingenio, non ad multas colligendas, uel creandas barbariæ formas; ſed potiùs ad imitanda, quæ ſunt optima, utendum erit. Habes de Saturnio, & latinè ſcribendi ratione, quid ſentiam. quã in re, quoniã tibi homini doctiſsimo, & mei amãtiſsimo probatum eſſe confido iudicium meum, nihil eſt, quod ampliùs requiram. Spero enim, & opto, fore aliquando, ut per te, atque alios doctos homines, tot Salentinæ urbes nobiliſsimæ exploſa barbarie, ac peregrinitate, quæ ante mille, & quingentos annos has regiones peruaſit, ad antiquã, & uerã latinitatis formã reducãtur. Vale. Aſtunei. xiij. Cal. Decẽb.

M. Antonio Vinciguerræ. LXIX.

AMICITIA noſtra penè ab adoleſcẽtia inter nos conciliata, literarũ ſtudijs ſuauiſsimè educta, multis annis & perpetua conſuetudine cõfirmata, ad eũ cumulum peruenit, ut ſperem te has literas, & quãcunque meam de illa prædicationem minimè neceſſariam, putare. malui tamen his literis mittendis ineptus uideri, quàm te uel minima de officij mei parte dubitare. Itaque miſi ad te exemplum epi-

ſtolæ illius,quam ad Franciſcũ Antoniũ Strateium ſuperioribus diebus dederam. Quum enim is Vriæ me conueniſſet,homo ſanè doctus,et ſtudioſus noſtri; intelligere à me uoluit, quid de Saturnij Grãmatici cuiuſdam libro ſentirem.Illum uerò, quum ualde occupato animo legiſſem,ſcripſi id,quod iudicârã,nihil tam furioſè,tam ineruditè,tã contra ueteris et puræ latinitatis elegantiam, ab ullo homine hactenus eſſe cogitatum.Eam epiſtolam fateor nõ inuitè à me ſcriptã fuiſſe,quòd nunquã antea fœdiorem hominẽ cognouiſſem,& Strateio rectè cõſulere,& ſtudia iuuẽtutis per auctores peſsimos labefactata,à barbarorũ tanta fœditate liberare uellem. Sed illud ſcilicet nũc uereor,quod librum illum à te laudatum eſſe aliquãdo,ad nos multi detulerunt. Nam mea quidem ſentẽtia nihil tãti facere aliquis debet,ne literas quidem ipſas,aut ullam ſcientiã; quanti illud,ne in cuiuſquã amici hominis,aut boni uiri offenſionẽ,incurrat.Ego igitur,qui te ſic amo,ut quũ à fratre diſceſſerim,tibi neminem conferre poſsim; qua fide eſſe debeo, ut ſit amicitia noſtra conſtans & ſempiterna? Quare, niſi falſum eſt,quod de tua ſententia accepi,eam epiſtolam, etſi à tuo iudicio fortaſſe alienam: tamen quaſi ab homine tui amantiſsimo ſcriptam arbitrábere. Audi enim M. Antonij, quid facere aliud mihi neceſſe erat, quum præſertim adhuc nihil de tua ſententia audiuiſſem? Primùm, ea de re Strateius ad me retulit: ſine mea culpa ille hoc fecit. Deinde,id ego reſpondi,quod mihi uerиſsimum uideretur:

neno

nemo aliter facere debuiſſet. Magna enim improbitas eſt alteri conſilium dare, quo minimè tibi utendum putes. Sin lapſus errore falſa pro ueris accepi; hoc ego de his, quicunque apud Salentinos in literis uerſantur, ſi uis, uni tibi poſſem concedere, prӕterea nemini. Intelligo tamen ex tuis ſcriptis, & puro illo tuo genere dicendi te uirum doctiſſimũ, & mei amãtiſſimum, illa probaturum, aut ſemper antea probauiſſe, quӕ nobis grauiſſimi huius ӕtatis auctores de antiqua, & uera latinitatis forma, tradiderunt. Quòd ſi aliter eueniat; facilè ego pro mutua beneuolentia, poſſum uel cedere ſentẽtiӕ, & uoluntati tuӕ, uel in diuerſa opinione, amorem, & obſeruantiam in te meam conſeruare. Denique meas ad Strateium literas malui ego ipſe mittere, quàm alios ad te deferre. Hoc ſi tu pro uetere noſtra coniunctione ſuper uacaneum putabis; ſcito me nihil tam optare, quàm (ut dixi) hanc epiſtolam & excuſationem meam tibi putidam uideri. Et hercule, mihi quӕrendum erat etiam aliquid, quod ad te ſcriberem; & animum à moleſtijs, & dolore illo, quem ſuperioribus literis oſtendi, abducerem. Ad te enim ſcripſi, ad iij. Id. Sept. & grӕco epigrammate meas tibi homini amiciſſimo, & fideliſſimo miſerias declaraui. ſed, quum poſtea nullas à te literas acceperim, ſuſpicor meas tibi non eſſe redditas. verùm omnino tuam ſcribendi diligẽtiam requiro. Fac igitur, ſi me amas, aut quia profectò me amas, ne diu tuis literis caream. Vale.

Marcello

Marcello Corrado fratri, Vriam. LXX.

VIDEBIS, ne quid præter Fontanæ commodum & uoluntatem agatur. intellexi tamen ex tuis literis te quoque ita uelle. Verùm ego ne precibus quidem, uel ſignificatione animi, aut neceſſitatis ualde moleſtus illi eſſe uelim; niſi minimè inuitus adducatur, ut quemadmodum ad te ſcripſeram, CIↃCCCXX H-S nunc accipiat. nam paucis diebus reliqua ſumma numerabitur. Sed, quoniam tu (ut petieram) eſſe mecum non potes, & negas illum uenire poſſe aut debere; equidem illud omne meum cõſilium mutaui. ſed laboro de pecunia, per quos mittẽdam putem. De haſta quod ſcribis, uide tu, quod fiat. Solet enim emptor ne apud reliquos quidem ciues carere inuidia; & ij, quorum bona uenduntur, ſe emptoris bonitate aliquando uſuros credere, & ſemper de redemptione cogitare. magis tamen inuidiam pertimeſco. Quòd ſi uobis id uitij res uidebitur non habere, ratum habebo quicquid ſtatueritis: quamquam memineris etiam, quid tibi, & noſtris omnibus, antequam à uobis diſcederem, mandaui. Spero mihi ad VIII. Cal. Aprilis ∞ ∞ ∞ ∞ H-S quæ noſti minimè defutura. Paucis ante diebus de matrimonio Petrutię audierã. illius nuptias urge tu, ſiqd potes. certè is, qui poteſt ea in re plurimùm, noſter patruelis Franciſcus Corradus eius auunculus, ualde conſiliũ tuum ſequetur: ſed meo etiam nomine illum admonebis nequaquam id negligi oportere. Villico ſatisfaciam.

faciam. Medianum ipſe confirma. Nam, quod te ſuſpicari ſcribis, lue hoc anno etiam oues interire; iube his æquo animo ferre, neque in malis ponere, etiam ſi grex tantulus, omnino extinguatur. Mihi quidẽ adſunt iam illi dies, quum in luctu eſſe debeo, anniuerſario dicam, an aſsiduo potiùs, ac ſempiterno? Itaque non uacat mihi hoc tempore iſta aut aliud quidlibet dolere. Sed redeo ad proximas tuas literas. illas attulit Argentarius noſter, quum has ad te ſcribere cœpiſſem; in quibus tamen erat nihil ad quod reſpondẽdum eſſet. Nam de negotio Fontanæ quod iterũ ſcribis, omnino ſequar uoluntatem tuam. De olịueto, oro te, cõſidera quid fieri debeat; & prorſus fieri aliquid uellem. Attuli Sebaſtiano excuſationem tuam, qua uſus es, quamobrem ad nos uenire non poſſes. Ad Carolum Maximianum ſcripſi de uxoris nomine; unde uobis reddi mandaui, ſiquid diſſoluatur. crede tamẽ me non acquieturum, niſi uobis plenè & maturè ſatisfaciam. Vale. xij. Cal. Decemb.

Marcello Corrado fratri, Vriam. LXXI.

ACCESSERAT ad dolorem meum, rei domeſticæ iactura, conqueſtio & deſperatio ex literis tuis. Etſi enim ad meas lacrymas nihil addi poſſit, ratio tamen habenda tibi fuerat aſtus, & cogitationum mearum. Nõ tu memineras appropinquare iam mihi illum diem, qui ante vij. Calendas Decẽbris fuit? an illud uerebare (quod ſæpe etiam præſens feciſti) ne non ſatis animo dolerem? Nam, quod

ea

ea ſcribere nihil oporteret, oſtendiſti proximis tuis literis. Significabas enim, pecori, frugibus, uillæ rectè omnia euenire, & cœlum denique ipſum ad ſalubritatem eſſe conuerſum. Ego tamen hoc tempore in eo ſtatu ſum, ut neutris ex literis tuis, aut uoluptate, aut dolore ſaltem affici potuerim: ſed tuum erat potiùs cauere, ne triſtius aliquid agere, uel ſcribere uiderêre. ueruntamen de his hactenus. Argentarius ita hinc diſceßit, ut omnia fecerit, ne uideri à me poſſet. Quod ſi graue aliquid non fuit, quamobrem de ſubita illa fuga me celauerit; is profectò (ignoſcet religio ſacramenti) neſcio, quid dementius facere potuiſſet. Sum hercule conturbatior, quòd & ille rem fecit indignam coniunctione noſtra; & ijs, quæ multa cum illo communicaueram: & te certò ſcio eſſe cōmotum, quòd per illum neque mandata, neque literas ad te ullas dederim; quū eſſet nemo, cui rectiùs poſſem committere. ſed, quàm me feſellerit, & quàm præter uoluntatem meam, omnia acciderint, ex hoc potes exiſtimare, quòd Thomaſinum & Craſſum, iuuenes mihi coniunctiſſimos, cum his literis, mandatis, & pecunia, quam Fontanæ, & reliquis creditoribus, meo nomine reddas, coactus ſum ad te mittere. Accepti & expenſi rationes ad me, ut præſens tecum egi, & tu ipſe ſcripſiſti, in aduerſarijs confectas mittito. Martiæ, ſi adhuc ſoluendo non ſit, moleſtus eſſe nolim, & ſalutabis illam meis uerbis. Vale.

K Franciſco

Franciſco Antonio Strateio, Brunduſium.
LXXII.

EPISTOLAE tuę, quam proximè accepi, quũ erit aliquid otij, reſpondebo. Nunc te amo, & bonis literis, te delectari uehemẽter gaudeo. Magnam quoque ſpem habeo fore, ut quæ legẽdi & ſcribẽdi inſtituta ſequi te uelle dixiſti, quàm plurimi te auctore amplectantur. Non enim dubito, quin ſordido iſto more diſciplinæ, quem indocti homines admirantur, nullam nos latinitatem habituri unquam ſimus. Quamobrem labora, & effice, quantum potes, ut in Salentinis per te Latinę literæ agnoſcãtur. potes quidem certè, qui in iſta urbe multorum ſtudijs ipſe moderère. Vale.

Franciſco Antonio Strateio, Brunduſimm.
LXXIII.

NOLI (ut ſcribis) putare me ſuperbia feciſſe, ut aliter ad te ſcriberem, atque tu expectabas. immo hercule rectiùs, illud ſi timiditati tribuere uoluiſſes; quamquam ego tum feſtinationi & negotijs, tùm libertati potiùs mallem, & ignorationi tuæ uoluntatis. Itaque peto à te, qualeſcunque erunt poſthac meę literæ, in tantis prę ſertim occupationibus, & imbecillitate ualetudinis, nihil de mea in te uoluntate ac ſtudio ſuſpicère. Quod autẽ in literis me ſequi auctorem conſtitueris; equidem in eo tibi ſum auctor, ut in ſplendore, & cultu lati-

nitatis

nitatis, & oratione facienda, hoc biennio toto, et omnino quoad proficias, nullos auctores, ne de ueteribus quidem, præter unum M. Tullium ſequâre. A me uerò illud ſolum imitaberis, ut te ſtatuas nunquam ab imitatione illius diſcedere oportere. Hoc ſi facias, quod profectò (quātum intelligo ex literis tuis) iam nonnulla etiam cum laude facis; nihil eſt, quod aliud à me conſilium requiras. Itaque hanc ingredere uiā, quam tenes; nec latum unguem ab illa deflectas unquam. Fateor tamen prodeſſe aliquid, illos etiam legere, qui magno ſtudio Ciceronem imitati ſunt: non quòd eos tibi auctores eſſe uelim; ſed quòd ex ijs rationem quandam imitationis liceat cognoſcere. Me tamen hoc in numero non pones, qui fortaſſe nec fundamenta quidem eius rei adhuc iecerim. De Grammaticis uerò, ad noſtram uſque memoriam, nullus eſt, qui latinitatem cognouerit: quamquam ne ſi pfecti quidem forent, ad id, quod uolumus, aliquid prodeſſent. Illos tamen legere neceſſe eſt: non ut ad ſcribendum, aut loquendum; ſed ut ad uerborū declinationes, rationesque uarias & linguā modo quodam intelligendam, adiumentum afferant. Nam ne ipſi quidem ueteres Grammatici tanta amentia fuerūt, ut uel ad minimā loqutionis partem docendā, ſua ſcripta ſatis eſſe arbitrarentur. Nouis aūt neq; eruditio fuit ulla, neque certum conſilium ſequuti ſunt, ut ſcirent ſaltem, qua in re literis prodeſſe uellent. Quamobrem intelligis, quanti iſtos faciam, quibus multorum hominum fatuitas eſt pro literis &

perfecta latinè ornatéque dicendi diſciplina. homines ineruditos, qui quum ignorent, quid à Grammaticorum libris petendum ſit, & ex ijs peßimos quoſque legendo conſeneſcant, poſt conſumptos etiam ſexaginta annos in ſtudijs nullam prorſus literam proprietate quadam Romana adumbratam, conſequuntur. Ego Stratei, non puto me dißimulare aliquid debere, apud te præſertim, qui non ignores ſententiam meam; neminem eſſe in Salentinis, ac ne tota quidẽ Apulia, ex ijs dumtaxat qui alios docent, à quo ſermonis Latini uel informatam aliquam ac puerilem doctrinam perceptam eſſe, poßis iudicare. Itaque illum, quem dixi, M. Tullium ſequêre; & amplexábere; illum non uorabis modò totum, ſed etiam concoques; illi te trades, illo te nutries. quod quum feceris, certò ſcio fore, ut gaudeas, te aliquando meis conſilijs paruiſſe. De nomine familiæ ueſtræ, facies arbitratu tuo. ego illud tibi poſſum affirmare, hactenus præter morem latinitatis eſſe uſurpatum. Vale. Aſtunei.

Ioanni Franciſco Rubeo Iuriſconſulto.
LXXIIII.

MISI ad te quaſcunque de monumentis antiquis inſcriptiones colligere potui, non multas illas quidem; ſed eiuſmodi, ut putem tibi homini doctißimo, & antiquitatis amantißimo, non ingratas fore. Aſtunei uerò, quam in fornice illo, qui ad forũ eſt, te cupere dixiſti: ea, & noua eſt, & quum alto et

celebri loco poſita ſit, à nemine adhuc legi potuit. De ciuibus autem ipſis nemo eſt, qui ſe domi illam, aut aliquid eius generis habere dicat; ſed dari poſſe operam, ut ea inſcriptio legatur. itaque uidebo, quid fiat, et perſcribam ad te. Cocceiæ, ut dixi, epitaphiũ, Vrię antiquo in lapide ſic habet.

D. M.
COCCEIA M. F. PRIMA
V. A. XX. H. S. E.
M. COCCEIVS LVCIFER
FILIAE PIENTISSIMAE.

De Geographia tua, aut Apuliæ τοποθεσίᾳ, expecto, qd egeris. Rudias maximè uelim, ut extrices, de quibus meam ſententiam ſi non probes, cogites tamẽ accuratiùs. Equidem certis auctoribus inter Egnatiam, & portum Saſinam collocarem; etiam ſi conſtare poſſet, ex ijs Villanouam non eſſe factam. Vria noſtra, quod tute ſcis, antiquiſſima ciuitas eſt uſque à Minoë Cretenſium Rege: eam penè ab obliuione hominum, tuis ſcriptis uindicari uelim. De Vaſta quam dixiſti, nihil poſſum explicare. Iapigiæ urbes omnes tibi commẽdo. Corrados neceſſarios tuos, quos tibi eſſe dixiſti Luceriæ, et ubi præterea? amo uehementer, tùm quòd tibi affinitate ſunt coniuncti; tùm quòd ſpero, & opto nobis etiã gentiles repertum iri. Quare à te peto maiorem in modum, & de illius gẽtis origine, ſiquid habes certi, me doceas; et inſigniũ, ſi quod meminiſti exemplum, ad me, primis ſaltem

lineis inchoatum,et rude mittas.Sin ea,quæ ſint, nõ recordêre; mihi facies gratiſſimum, ſi per literas à Corradis ipſis Luceria petas,mihi poteſtatem faciãt eius rei cognoſcendæ.Hoc ita te rogo, ut nulla de re maiore ſtudio poſſim. Expecto à te literas. Vale. Aſtunei.

M. Antonio Vinciguerræ. LXXV.

NON dubito,quin proximis meis literis omnino tibi non ſatisfecerim.Nam,quòd tu Strateium neſcires,& me ab illo de ratione ſcribẽdi rogatum non crederes; nihil habui, quò tibi rem probare poſſem.Poſtea uerò,quum te de mea uoluntate ſuſpicari minimè uellem, ne illius quidem ad me epiſtolas omnes inuenire potui,quas ad te mitterem. Tres tamen,quarum ille,unam ad me, duas ad Thomaſinum dederat,ſi rectè, & pro æquitate tua ratiocinábere,unde illarum argumẽta proficiſci neceſſe fuerit; ſatis indicabunt ſermones aliquos, his de rebus ab illo mecum habitos fuiſſe. Paucis enim poſt diebus, quàm Venetijs eſt reuerſus, ſororis cauſa Vriã uenit: ubi,uel quia aliquid mihi tribueret in ſtudijs, uel quia me ſciret uerſatum eſſe cum doctiſſimis uiris,mecum de his rebus communicare uoluit.Itaque poſt multum ſermonem de literis,et uia quam ſe ad formandam orationem ſequi diceret; reſpondi bene ab eo omnia eſſe inſtituta,imitatione excepta: cuius tanta uis eſt,ut ea ſola penè dixerim,habenda ſit pro ijs omnibus,quæ de oratione Rhetores omnes præceperunt.

perunt. Quares uides, inquam, quanti interſit, eam rectè, aut ſecus adhibere, aut nullo loco ponere. Quòd quum dicerem, illud etiam oſtendi, homines præſertim in literis, quoquomodo, diu tamen uerſatos, & doctos à nullo Grammaticorum, ſermonis præcepta debere quærere: quòd illi etſi non multùm abeſſent à perfecto, & à Latinis literis; ad ſolam tamen puerilem inſtitutionem accommodatos, iudicarem. Quòd ſi ſplendorem latinitatis, & antiquum Romanè ſcribendi morem cuperet ex parte aliqua adumbrare; monui illum biennio toto, & donec ſtilum firmaſſet, ſolum M. Tullum ita legeret, ut aliorum, qui poſt illius ætatem fuerunt, eruditionem quidem ipſam amplecteretur, ſed formam ſcribendi vitaret. Qui enim auctores poſt illum ſunt inſequuti, alius hiſtoriæ, alius temporum licentia, infuſa præſertim deinde in urbem peregrinitate, non illos quidem reijciendos putabam; ſed eſſe in ijs multa, quæ in ſermone, à doctiſsimis non probentur. Ea, mihi ſi non eſſet cognita, illorum tamen prudentiſsimorum hominum auctoritate, ac ſententia ſuſtentare me poſſem. Verùm ego poſt Ciceronis ætatem, excepto de poëtis Horatio, Virgilio, Tibullo, & quibuſdam Iureconſultis, non inuenio quem ullo in genere tutò poſsimus imitari; niſi magno adhibito iudicio, poſtquam multa exercitatione, à perfectis purè & latinè dicendi imaginem conſequuti ſumus. Hæc me de ſententia animi mei cum Strateio loquutum eſſe, coniecturam facies ex illius ad me, & Sebaſtianum literis.

De Saturnio uerò, quem adhuc non uideram, me obſecrauit, ut eius librum, quãquam occupato animo, legerem; nec diſsimularem, quicquid mihi de illo videretur. Tametſi non longè abeundum eſt; ipſe teſtis eſſe poteſt omnium, quæ ſunt inter nos eo die diſputata, acta, conſtituta ſine ulla commemoratione ſententię, uel ſtudiorum tuorum: quid tamen ego potuiſſẽ dicere, ſi nec de Saturnio adhuc, nec de tua opinione cognoueram? Ego tamen de te honorificè, & loquor, & ſentio; & mihi crede, tua literarum, ſciẽtiæ, & uitæ ornamenta ſolere à me in omni ſermone, uerè et cũ uoluptate uſurpari. Confirmo enim tibi, mirũ in modũ delectari me elegãtia ſcribẽdi tua: contrà illius, nihil uidiſſe, quod mihi ſtomachum nõ feciſſet. Hoc ſi non uitio illius fieri, ſed me κακοστόμαχον putes; ego profectò in alteram illam partem errare non poſſum, qua te uirum doctiſsimum, & mei amantiſſimum, & omnium beneuolentia maximè dignum ſemper iudicaui. Nam rabioſulas tuas ad me literas (ita enim ſcribis) nunquam putaui; ſed plenas grauitatis, & mutuo amore noſtro digniſsimas. Vale.

Sebaſtiano Thomaſino, Brunduſium. LXXVI.

TVAE literæ mihi gratiſsimę fuerunt. intellexeras enim de Maricino, quantopere illas expectarem. Quod aũt ſuſpicaris, immutatam eſſe meã in te uoluntatem; tam falſum eſt, ſiquid ea de re audiſti, quàm omnia, quæ ad me à tuis obtrectatoribus defe-

deferebantur. Quamobrem hæc nos, obliuione perpetua obruamus. Ego, quum te offenſiorem eſſe in me arbitrarer, illud ſemper habui in ore, debuiſſe te, mea non dicam opera, aut officijs, ſed beneuolētia in te ipſum prope ſingulari, eſſe contētum. Nam, ſiqua in me reſideret memoria iniuriarum, quas à tuis ciuibus accepiſſem; ea te commoueri minimè oportuiſſe: quando caritate, & amore coniunctiſſimi, & amantiſſimi hominis tibi ipſi officia præſtitiſſē. Nūc uerò tuis ex literis intellexi, quàm eſſēt inania, quæ uario de te ſermone ferebantur. Itaque uellem te ad ſtudia referres; neque præſentiam ingenij tui, & naturæ bonum excellentiſſimum negligeres. Fratrē meum, de quo ſcribis, Strateij, et Caſſimirij, alterius amiciſſimi, alterius iniquiſſimi hominis, in ſe animos cōcitare iſtic nolim. Non exitum rei, aut illa timeo, quæ ego ſum expertus, tametſi poſſent euenire: ſed offenſiones huiuſmodi non ignoras tu, quantam mihi moleſtiam attulerint. Caue igitur, ſi me amas, auctor ſis illius apud uos retinendi; &, quum de ſuis rebus tranſegerit, ſtatim reuertatur. Vale.

Marcello Corrado fratri, Lupias. LXXVII.

TANTVM *ex agro, & digreſſu tuo, cōmunibúſque lacrymis nudius tertius redierā; quū ſubitò mihi Aſtuneo literæ ſunt allatæ, quibus certior ſum factus, me eò reuerti ampliùs non oportere. Itaque attulit hic annus mihi, quod diu antea cupiebam, finem peregrinationum mearum; &, qđ*

minimè

minimè credidiſſem, principium maximi doloris. Doleo iſto etiam dolore tuo, cuius utinam eſſet ratio leniendi, & uia confirmandi tui, quum ipſe me conſolari non poſſim. Nam mihi noctes & dies, ante oculos uerſatur ſuauiſſimus frater: &, quoquò me uerto, uidere uideor illum aut morbo, deſiderioq́ue noſtri morientem; aut ea ſpecie, qua ſtatim adueniẽs, defunctum amplexatus ſum, & oſculatus pridie, quàm efferretur; aut uultu illo & ſermone familiari, in quo uno acquieſcebam. Itaque, ut ſomnia taceam, & nocturnos motus animi; interdiu etiam tota domo, illum non cogitatione ſolùm complector, ſed oculis cerno, alloquor, audio, & in complexũ eius accurro. Credo te intelligere frater, & in te ipſo potiùs re experiri, quæ ſuſpiria, qui gemitus, quæ lacrymæ, & uoces poſtea inſequantur. Vtinam uerò ad acerbiſſimum fratris obitum, non exilium quoque tuum acceſſiſſet; aut ſceleratiſſimi homines inimici tui, ſaltem alio triduo te eſſe mecum permiſiſſent, ut tali utriuſque tempore, alter alterius lacrymas videre potuiſſet. Veruntamen te oro, frater, et obteſtor, eius mortem ſic lugeamus, ut meminerimus etiam, ei nihil accidiſſe, quod maiorem in modum, & præter communem moriendi neceſſitatem, dolendum eſſe uideatur. Hoc ego quum recordor (recordor autem in tanta adhuc uulneris acerbitate, rariùs, quàm oporteat) modo quodã mitigatur ſumma illa uis doloris mei: ita, ut magnas agam Dijs immortalibus gratias, quòd licebit mihi ſemper de fra-

tris

tris uita,moribus,integritate,fortuna, uxore , liberis,religione,morte denique ipſa apud omnes homines gloriari..Ac mihi quidem ſic uidetur; homini uitam expetendam non eſſe longiorem, quàm ut curſu uiuendi,quantus ille cunque ſit,ad ſanctißimè, pulcherriméque moriendum ſe ſe comparare poßit. Quamobrem,quòd Medianus frater,id ætatis deceſſerit,annos (ut arbitror) natus triginta ſex , & me natu maiorem anteuerterit; ſatis diu tamen uixit, quum honeſtißimè egerit ætatem: ita,ut iunior mihi ſua morte,exprobrare ſit uiſus , quód magis eſſet ipſe idoneus,ad immortalem uitam,hoc tempore conſequendam . Hæc igitur cogitatio me afflictum recreat; & in maximis animi cruciatibus, quorũ imaginem uides in animo tuo,raro quidem,ſed non minimùm conſolatur.Taceo illa,quæ etſi nunc quidem uideantur ad conſolandum leuiora; ipſa die tamen multùm afferunt ad leuationem doloris.Recordare enim octauum abhinc annum, Romæ,quanto in luctu fuerim , quum de matris morte mihi eſſet allatum. non dubito,quin intelligas nunc cum illa, & me hercule etiam uobiſcum actum eſſe pręclarè; quòd eo tempore diſceſſerit è uita,quo nondum ea mala, quæ ipſi uidimus, eſſent inſequuta. Nam qualem illius animũ, uitam & mortem fuiſſe credimus futuram ; ſi aut ea,quę taceo,aut pericula mea uidiſſet : quum mihi perditißimi homines,locatis undique inſidijs , obſeſſiſque uijs omnibus, mortem , & dedecus pararent? Num, ſiquis Deus illam retinuiſſet in uita , ut tum uoluiſſe-

uoluiſſemus, quum de illius morte ſuſpenſi timebamus; & denique ad hunc diem uixiſſet, quo tandem cariſsimum quoque filium extinctũ uideret; non miſerrimã nunc fœminarum omnium aduerſo quodã fato ueluti ad extrema ſupplicia crederemus eſſe reſeruatam? Hęc eò pertinent, ut intelligas, quum uita mortaliũ, omnibus uel fortunę iniurijs, uel inimicorũ & proditorũ maleficijs ita ſit expoſita, ut ſæpe etiã innocentiſsimi homines & fortiſsimi, & ſanctiſsimi uiri, uitam pulcherrimè actam, calamitoſo, & turpi exitu finiant; minùs eſſe dolendum, ſi quis ſalua exiſtimatione, fortunis, liberis, propinquis, dignitate, & rebus omnibus extinguatur. Equidem frater, vtinam ſæpius poſſem cogitare id, quod in tanto dolore rarò mihi uenit in mentem, neque diu queo recordari; non potuiſſe ſcilicet Deos immortales, quum erigere modis omnibus noſtros animos uellent ad cœlum, & meliorem illam, & ſempiternam uitam, cõmodiore uia id facere, quàm ſi (quod ab illis factum eſt) in terris uitam incerti & breuiſsimi temporis, & periculorum, omniúmque miſeriam nobis plenã dediſsent. Quis enim in calamitate non Deorum reminiſcitur? non diuinam opem quærit? non humana omnia contemnit? non credit ſe pietatis, religionis, & ſanctitatis præmia (ſi Dij iuſti ſunt) in cœlo ſaltem recepturum, ope hominum deſperata? Tu igitur frater, utere iſto bono, quo ego (ut dixi) non ſępius quidem, ſed interdum vtor: et neque fratri mortuo, neque nobis aduerſa putaueris accidiſſe, quæ ſalutaria

ria

ria cunctis mortalibus ſapientiſſimi homines rectiſ-
ſimè crediderunt. Ille enim, qua pietate ſemper fuit, ad cœlum eſt ingreſſus: nos uerò illius obitu, ſi rectè exiſtimemus, ad cœlum ſumus inuitati. Quapropter recuſemus, quæſo te frater, expergiſcamur aliquando ad pietatem, non in Deos tantùm, ſed ad illã, quoque, ad quam te ſemper ſum adhortatus, quæque ab illa priore ſciungi non poteſt, in fratres, & concordiã atque animorum coniunctionem cum propinquis om nibus: neque committamus, ut uiuis quoque illis carẽdum ſit. Certò enim ſcio te memoria tenere, quàm ſæpe, & quantò antè, dolorem iſtum alicui ex nobis denunciauerim: nunc te oro, demus operam, ut ſiquando tale quiddam eueniet, quod profectò neceſſe eſt euenire, ne minimæ quidem in alterum offenſiunculæ nobis conſcij, et tranquilliore animo eſſe poſ ſimus. Meminerimus etiam id, quod ſua morte Medianus in memoriam nobis reuocauit, breui tempore nos quoque eſſe morituros: qui ſi piè, ut dixi, quod re liquum eſt uitæ egerimus, non dubium, quin æuo ſem piterno cum fratre, parentibus, cúmque ijs omnibus, quorum uita nobis iucunda erat, & CHRISTO Deo redemptore, beatiſſimi futuri ſimus. Nobis qui dem certè nihil tam longum debet uideri, quàm ut non modò eos, qui iam defuncti ſunt, ſed eos etiã qui nunc uiuunt, cariſſimíque ſunt nobis, uideamus illã immortalitatem in cœlo conſequutos. Sed mihi hanc epiſtolam fecit longiorem, quòd hoc quidem tempore, hac una in cogitatione poſſum acquieſcere; & in

te

te conſolando uideor ſpē certiſsima immortalitatis, ad quam ſcio receptum eſſe fratrem, quum hæc ſcribo, reſpirare. Tu quoque mi frater, quem intelligo ſummum ex morte fratris capere dolorem, ſcito te neque illi gratias poſſe facere, neque tibi ſapientius conſulere; quàm ſi te ſæpius huiuſmodi cogitatione, ſpe, & his, quas dixi, rebus conſolábere. Vale. Vriæ. iij. Id. Decembr.

Marcello Corrado fratri Lupias. LXXVIII.

LIBROS Ariſtotelicos expecto. De Hieronymo Vbertino tuli equidem per moleſtè. amo enim boni uiri diligētiam & fidem. Illum igitur meo nomine ſalutabis, & conſolábere; id eſt, facies, ut intelligat me ſuo caſu commoueri. Alijs de rebus curatum eſt abs te probè; nec eſt, quod uel à me, uel à Scipione ſuſpiceris aliquid de tua fide eſſe detractum: ſed ſcilicet meæ literæ te in eam opinionem adduxerunt, ut exiſtimares tuam ijs in negotijs operam nobis fuiſſe ſuſpectam. ſed noli quærere. longum enim eſſet nunc dicere, quare ita ſcribendum fuit. Quamobrem, quod rogas, ne quid tibi poſthac mandem huiuſmodi; nos tamen uni tibi moleſti eſſe uolumus. Pecuniam igitur pro ijs rebus ad te miſi, quantam ſcribis inter uos eſſe conſtitutam. Amamus etiam te, quòd diligenter, paruoque illa omnia curaſti; ita ut Vbertinum quoque intelligamus ualde liberalem fuiſſe. Corradus noſter te rogat, & ego illius rogatu maiorem in modum à te peto, his de rebus co-

gites, quas Romę confici neceſſe eſt. Deſperata enim pecunia, quæ ſibi à collegio ſuo debebatur, uehementer cupit ſua conſilia omnia explicare, & tota de re quàm primùm trāſigere. Ego, quum ſæpe de illius negotio ſcripſiſſem ad eos, qui poterant, & debebant mea cauſa, meísque officijs prouocati illum adiuuare, nihil perfeci. Quod ſcribis Prætorem abeſſe nunc, & iſtic nullum agi forum; ego puto me ius meum nolle perſequi: quod tibi etiam placere intelligo ex literis tuis. Non enim ignoras tu, quantum natura abhorream à litibus; et cauendos eſſe mihi, iratos, maleuolentiſſimos, & agreſtes homines. Alia uia contendam, id eſt patientia, & lenitate, ſiquid poſſim exprimere nummulorum. Auariſſimis etiã hominibus credo eſſe propoſitum, me in fortunarũ, et famæ periculum uocare, ſi illos de pecunia poſtulem. Sequar ergo cōſilium tuum, quod tamen ſcis etiã eſſe meum. Pars agelli, quam dixi, nō pluris eſt, quàm ∞ H-S, noſtræ uillæ coniuncta, ſi à Velię genero, quod interpoſitum eſt agri, emere uelimus. Hic nos rogat: ille autem Brunduſii emere cogitat, antequã hic uendat. Tu hæc uidebis. certè quidem, ſi ratiocinêre tecum, nullos adhuc agros habemus. minoris autem, uel commodius nihil erit, quod unquam poſſis emere. Sumptum in domo tua reſtituenda non ego ſcripſi me feciſſe ullum. expecto tamen, ſiquid poſſim. Pileum accepi cum tuis literis. Fabioli ualetudinem cura. Egi cum illius matre, quæ reſpondit, ſe omnia, de quibus ad me ſcripſiſti, eſſe facturam. Ego doleo,

leo,quòd nullis ex tuis literis cognoui, aliquam tibi meam epiſtolam à Craſſo redditam fuiſſe. Scribe igitur ad omnia, & de Franciſci negotio confice; aut uide, quid ſperare poßimus. De Cęſare Morello nihil reſpondes: uerùm hac de re, & meis ad te literis, facis more tuo, ut potiùs à me ſcribendi officium requiras. De Spina tuo, quod rogas, hortulum is uenditat etiam minoris, quàm tu petere auderes. de iure tamen continuationis explicare non poſſum. Tacet enim is, qui tibi negotium facturus putatur: què eò magis timere debes, quòd oleas habet in eo ipſo, quanquam alieno, agro; ut etiam præiudicatæ poſſeßionis & antiquę ius quodam modo petiturus eſſe uideatur. quamobrem ne dimidij quidem, aut partis fortaſſe aliquod ad te ius pertinere debeat; tametſi tua poſſeßio illud prædiolum contingat. Hæc tamen uideris tu, uiderint periti iuris & finium. Scribe igitur, quid facere nos uelis. mihi quidem uidetur, uel cum periculo, emptio eſſe facienda. Nam, ſi is quem dixi, taceat; habebis, quo pomariolum amplifices: ſin repetat, aut in ius uocet; aliud quid ſcrutabimur, uel denique quoquo modo tranſigemus. tu ſcribes tamē, & facies nos de tua uoluntate certiores. Argentarios ſimul ac me luctu ac moleſtijs relaxâro, & domo egredi cœpero, tuo nomine ſalutabo. Martellum obſerua, & Hieronymum Rufum ſaluta meis uerbis. Vale. Vriæ.

L. Sancto

L. Sancto Fouetano, Tarentum. LXXVIIX.

VERSVS, quos in hũc eundem faſciculum cõieci, ſi, ut maleuoli homines credi uolũt, à te factos credidiſſem; multum tibi, & doctrinæ tuæ, & probitatis, quam in te cognoui maximam, detractũ eſſe arbitrarer. Quocirca ad me quũ allati eſſent, riſi me hercule, quãtum mihi ridere licuit per fortunam, & hæc tempora, quibus me non recordor expertum eſſe acerbiora. Illos enim moribus, & eruditione tua indignos iudicaui; & in me nihil eſſe dictum perſpexi, quod ad iniuriam fortunæ, & maximum amiſſi fratris dolorẽ addere poſſe aliquid exiſtimarem. Quam enim in me uim habent illa ineptiſſimè conficta: miſſus à Ioue Mercurius, qui de meis ſtudijs atque audacia cognoſceret: barbaries à me reprehendi ſolita: & omnia quæ pudet ſingula memorare, plena leuiſſimæ futilitatis, & inſaniæ tã inſulsè ac barbarè conſcripta? Verùm ego iſta ridere potiùs, quàm reprehendere conſueui: & nunc eò dicere hæc uolui, quòd antehac eo in errore uerſabar, ut lenitate, officijs, moribus, atque omni uita me conſequutum arbitrabar, ut obtrectationibus, atque inuidia apud omnes homines carerem. Nunc uerò tanta eſt in plerisque hominibus lædendæ aliorum famæ cupiditas, ut, quẽadmodum uides, quum apertè non audeant, neque ſperent ſua ſeſe maledicta apud me poſſe defendere, ſe ipſos latẽre cupiant; ſuisque illis turpiſſimis ineptijs, quas in me iactant,

tuum nomen aſcribant, tuaq; auctoritate abutãtur. Antonius enim Seuerus iſte, qui ea de re ad Delphinum meum literas miſit, nunquam mihi notus fuit; quãquam ſe mei, ac mearum laudum ſtudioſum eſſe prædicet: & ſuſpicor etiam eſſe neminem Tarenti; aut Martinæ, qui Antonius Seuerus nominetur; aut ſi eſt quiſquam, illius nomine quæſitam eſſe latebrã ab eo, qui in me inuectus eſt, ne cognitũ, ἀμοίβεσθαι *atque ulciſci aliquo modo poſsim. Nam, quod ad animi tui coniecturam attinet, equidem adhuc habeo nihil, quo illa quæ dixi, à te ſcripta queam ſuſpicari; quod ſi uel cogitauiſſem, me contumelioſum in te & innocentiam tuam, & nullius iudicij in literis iudicare poſſes. Quòd ſiquando mihi liceat odorari, undè hæc profecta ſint; efficiam, ut leues & indocti homines intelligant, quanti referat uirum certè nõ malum, & flagrantem ſtudio literarum omniũ, & cupidum ſuę exiſtimationis, de exiſtimatione & literis prouocare. Sed, ut ad te reuertar, ſi in ratione quadam ſtudiorum tuorum à me fortaſſe diſſentias: nunquam tamen tu pro æquitate tua, animorũ quoque diſſenſionem inter nos eſſe uoluiſſes. Mihi quidem ſæpe contigit diſſentire à multis, quorum opinionibus ita repugnare conſueui, ut ex ijs nemo unquam à me ſenſerit amicitiam eſſe uiolatam. Quare mihi perſuaſi te quoque doctum hominem, & uirum grauem, et urbanum, ab eo officio minimè fuiſſe diſceſſurũ. Habes iam Luci, quid ego de te ſentiã: nunc reliquum eſt, ut tuis me literis doceas, quid ſen-*

tire

tire me uelis; quod ut facias maiorem in modum te rogo, & obteſtor. Cupio enim ſententiam de te meã, tuis quoque literis apud me eſſe teſtatã Vale. Vriç.

Paulo Manutio Aldi Filio, Venetias.
LXXX.

CONSILIVM meum ſæpius ad te ſcribendi, nolim putes uoluntate aut negligẽtia intermiſſum; ſed quod antea ſcire cupiebam, an redditę tibi ſint ſuperiores literę meę, quas Aſtunco ad te ſcripſeram. Nũc uerò de ijs, quum diu iam nihil poſſem intelligere, atque eas non eſſe perlatas inciperem ſuſpicari; Scipioni Granaphcio, mihi in primis caro, & nobili adoleſcenti has ad te dare uolui, quibus (redditæ ſi eſſent ſuperiores) mę & memorem promiſſi atque inſtituti mei, & tui cupidiſſimum, ac uirtutis tuæ ſtudioſiſſimum eſſe cognoſceres. Nam, quod totum ad hoc tempus attinet, quo nihil ad te dedi literarum, illud etiam acceſſit, quod (ut antè oſtendi) me Vriam, id eſt ad uacuam negotiatoribus urbem, & à maritimis longè remotam recepi; & quòd dolore ex immatura morte Mediani Corradi optimi, et iucundiſſimi fratris, nihil aliud, quàm de meo luctu poteram cogitare. Illo enim amiſſo, in quo ſpes omnes otij, rei domeſticæ, familiariſque, & ſuauitatum omnium locatas habebam, ipſa etiam ſtudia literarum fugiebam: ut ægroti quidam minùs patienter aduerſam ferentes ualetudinem, medicinas maximè ſalutares aſpernantur. Nunc uerò ſimul atque me

aliquantulùm collegi, & in mœrore adhuc & deſpe ratione rerum omnium, quarum ex illo fructus capiebam, cum literis in gratiam redij; Scipionem ipſum Patauium iuris ciuilis & literarum gratia proficiſcentem rogaui ad te uenire: ut, quemadmodum anno ſuperiore Marcellum fratrem meum miſi, qui te meo nomine ſalutaret; ita nunc mihi coniunctiſſimum, & ornatiſſimum adoleſcentem cum literis ad te, mandatiſque mitterem. At, quoniam fore etiam uidebatur, ut fortaſſe nondum literas meas acceperis, quum is ad te ueniret; mandaui ut coràm, de tota in te uoluntate mea pleniùs loqueretur; & ſuperioris epiſtolæ exemplum ad te mitteret, quum Patauium perueniſſet. Interim uerò de me, & ſentẽtia de te mea ſic habeto, neminem eſse hac ætate, ac ne fuiſſe quidem iam mille quingentos annos ampliùs, quem latinis literis illuſtrandis tantum, quantum te unum contuliſſe putem; ſi ad ea præſertim, quę ſunt à te ſcripta diuinitùs, antiquitates etiã acceſſerint, et quæ habes in manibus monumenta pulcherrima ingenij, & ſcientiæ tuę. Hæc tamen opera, & in omnes homines beneficium tuum, quantum ſit, nemo ſatis poteſt intelligere, niſi qui rectè cogitet artes omnes, ac diſciplinas, diuinas humanáſque leges, ſacra, ritus, religiones, inſtituta maiorum, & quicquid literis cõtinetur, unius cum Latinæ linguæ cultu manere, & illius interitu interire. Neque id eò dico ſolùm, quòd ſine hac lingua, harum quoque rerum, cũ reliquis gentibus, atque omni Europa communicatio

nem tolli neceſſe ſit; quocirca nulla eſſet hominum uita: ſed quòd ſiue ratione aliqua, ſiue caſu, aut fato quodam, illarum cognitio ſemper apud nos cum ſermone Latino aut floruit, aut labefactata eſt, aut extincta, aut reſtituta; neque hactenus contigiſſe ſcimus, ut illius conditio, quęcunque ea fuerit, non ad cęteras quoque artes uniuerſas permanârit. Quamobrem, ut te ſemper ſum admiratus iſta mente hominem, qui tuis tantis laboribus, & excellẽtiſsimis ſcriptis, ad ea nos ſtudia inuitas, quę multo ſunt omniũ grauiſsima: ita iſtos non fero, qui corruptam ſua ſpõte Italiæ iuuentutem à ſuperuacuo diſcendi ſermonis Latini labore, hoc eſt (ut ipſi quidem ſentiũt) ab aliena lingua dehortantur. Nam, quod diſputent ea lingua ſcribendum, ad quam ſimus non docti, aut inſtituti, ſed nati, & parentum & nutricum domeſtica conſuetudine educti; & Latinam fuiſſe quondam ſeruis etiam, & multitudini infimæ uulgarem: ſunt hæc partim obſcura, partim falſa, partim nõ efficiũt, ut alio ſermone, quàm Latino ſcribendum putemus. Primò enim, quando hoc ſpectandum in linguis, acuti homines arbitrantur, non uidentur mihi ſatis intelligere, cur multa milia ſapientiſsimorum hominum, toto ex orbe terrarũ, Græco potius, quàm patrio ſermone ſcripſerint. Neque de Italia, Sicilia, Aſia, Ionia, Aetolia, aut aliјs regionibus dico, ad quas Gręci colonias miſerunt: ſed Aphriça, Aegypto, & Aſię ultimis terris, undè innumerabiles extitêre, qui Græcam linguam, non dico pluris, quàm ſuam faciebant,

ſed Græcā ſemper amplexati, de ſua uix, aut ne uix quidem literam ſcribebant ullam. Publicè autē quis ignoret in Aegipto, ac præſertim Alexandriæ, proximum atque in Græcia, uel Athenis ipſis, ne dicam par, ſtudium Græci ſermonis olim fuiſſe? Taceo pulcherrimum factum Ptolemæi Philadelphi, & cætera, quæ declarant in ſermone, nō ut in eo ſimus nati, ſed grauiora quædā ſequi oportere. Quid noſtra etiā lingua? nónne illis temporibus, quum deſita eſſet uſurpari à multitudine, ac deleto Romano imperio, ab externis gentibus quàm plurimis recepta eſt, & anguſtiſſimè adhuc tenetur? Quòd ſi hæc facta aliquādo eſſe cognoſcerent; uel, quare acciderit, ut Græca totius orbis communis lingua haberetur, non ignorarent; uel noſtram, ut dixi, cur tam multæ gentes ultro acceperint, nullo coactæ imperij metu, intelligerent: illam minimè clamarent eſſe alienam, quia ſolùm Romæ, & in pauciſſimis ciuitatibus, non ut antea latinè uulgus promiſcuum loquatur; quum potiùs in ſenatu etiam & in foro, ſciamus breui tempore, pauciſſimos latinè incorruptéque loquutos fuiſſe. Sed hæc ſunt à nobis alio loco, multis uerbis olim refutata; etſi nolim, quæ ſcripſi, et huiuſmodi ineptias, ne illorum quidem cauſa, in manus hominum deuenire; & mihi laudanda erant nunc altiora quædam cōſilia animi tui, & rationes ſtudiorum tuorum. Scio enim in ea te eſſe ſententia, ut credas, aut hanc unam linguam nobis eſſe retinendam; aut in Italia, & cunctis nationibus, omnes omnium gentium, ac populo-

rum linguas eſſe perdiſcendas. Quamobrem te monere non audeo iam, ut ea uel complectâre, uel defendas, per quæ ſciunt omnes tibi immortalitatem eſſe comparatam: ſed gtatulor potiùs tibi eam gloriam, quam pauciſsimi olim Romæ, etiã quum floreret ea reſp. ſunt conſequuti. Ego quidem certè ſic delector tuis ſtudijs, doctrina, cultu orationis, & fama laudũ tuarum; ut mihi uehemẽter ſit in optatis, aliquo tandem loco eſſe apud animum tuum, & cognitam eſſe tibi ueterem in te beneuolentiam meam, Nam, quũ multos annos Romæ fuiſſem, et interim ſæpe M. Antonij Flamminij ſermonibus fruerer, & doctos omnes perquirerem, quos mihi colendos omnes ſtatuiſſem; mihi contigit nunquam ſcire, quum tu non ſemel in urbem uenires. Aliquando igitur, ut tecum loquerer, uocauit me in domũ Marcelli Ceruini Angelus Maſſarelus annos circiter duodecim, antequã ille Pontifex maximus eſt factus; ſed, quũ te in Marcelli ipſius ſermonibus occupatum, aliquot horas expectauiſſem, ita diſceſsi, ut nollem primo congreſſu meo tibi afferre moleſtiam; & ſperarem priùs, quàm Roma aliquò exires, fore ut conuenire te poſſem. Quoniam uerò mihi non contigit, quod tantoperè cupiebam, ut tecum, uel de ſtudijs, uel de meo in te animo præſens communicarem; oro te ſaltem literis, quã poteſt per longinquitatem creberrimis, mutuam noſtri memoriam conſeruemus. Scipionem meum optimis moribus adoleſcentem, & bonis literis deditum, ualde tibi commendo: quem ſi opera, aut conſilio tuo

inueris, facies & illi, & mihi gratiſsimum. Sed is tamen exemplo incitatus meo, gratius nihil putat colloquio, & amicitia tua. Vale. Vriæ. pridie Cal. Septemb.

L. Sancto Fouetano, Tarentum. LXXXI.

SVPERIORES *literæ meæ ſi tibi redditę nō ſunt, dabo operam, ut aliquando perferantur: ſin (quod magis arbitror) eas iam accepiſti,* ἀναντιφωνήτους *, illas relinquere non debebis. Non enim committes, ut quæ ab indoctis, & inuidis, maledicta in me iactata ſunt, per te iſta doctrina, grauitate, moribus & uita hominum excitata eſſe videantur. Ego interim obſeruantiam, & amorem in te meum, & opinionem ſcientiæ, ſemper (niſi tuis literis, aut ſilentio te id nolle oſtendes) conſeruabo. Vale. Vriæ.*

L. Sancto Fouetano, Tarentum. LXXXII.

TANDEM *redditæ mihi ſunt à te literæ, pleniſsimæ officij, et grauitatis illius, quam in te cognoueram eſſe ſingularem. His enim lectis, obtrectationes ſtultorum hominum tuli equidē moderatiùs. Scribis enim uerſus illos, non modò à te factos non fuiſſe, uerùm etiam contra tè factos, aut utrunque noſtrûm. Siquid igitur dolendum putarem, nunc tua potiùs cauſa, quàm mea dolerem. Sed ego me hercule, ut etiam primis meis literis oſtendi, ridendam puto indoctorum, & inuidorum hominum maleuolentiam. Illi, qui ſint, adhuc neſcio; nec uelim ſanè ſci-*

re,

re, tametſi poſſem: & tu contemnas cenſeo homines tùm morbo animi laborantes, tùm expertes literarum. Nihil enim eruditis, & bonis uiris obeſt, quũ fæx iſta, & ſentina hominum, maledicta quædam illis ingerere conatur. Ego quidem certè ſic ſtatuo, primam laudem eſſe rectè facere, etiam ſi à nemine collaudêre: alteram, à bonis & prudentibus benè audire: poſtremam, ineruditis & malis hominibus, non probari. Sæpiſsimè enim illo utor argumento ad iudicandum, & recta à prauis dignoſcenda, ut honeſtiora putem, quæ multitudinis iudicio damnari ſolent; & ſuſpecta mihi ſint, quæ illius opinione commendãtur. Nam, quanta ea laus, ac uituperatio ducenda eſt, ſi aut boni, docti, & ſapientes credimur à ſtultis, & qui longiſsimè abſunt à uirtute ac doctrina; aut ſi ijdem ſibi nos eſſe ſimiles, uel peiores arbitrantur? Sit igitur ſumma laus vtriuſque noſtrûm, quod ſimus iſtorum criminationibus laceſsiti. Equidem grauius eſſem commotus, ſi (ut uideri illi uoluerunt) à te, id eſt à uiro graui, & docto prouocatus fuiſſem. Ipſe tamen mirificè ſum delectatus meo iudicio de ſcriptis tuis, & præclara opinione, quam de te ſemper habuiſſem. Illos enim uerſus attulit mihi, Delphinus Mandurimus, cui Tarentino cognomen eſt, dolens (quæ eſt illius in me beneuolentia) minùs commodos Tarenti de me eſſe ſermones. Huic ego, uix pauca quum legiſſem, dixi, me in ijs, neque eruditionem agnoſcere tuam, neque modeſtiam quæ vna omnium uoce prædicatur. Itaque affirmabam fore,

re,

re,ut neque tu confiterêre;neque alius quiſquam,illa tam barbarè, ac tam intemperanter ſcripta, tua eſſe iudicaret. Quamobrem gaudeo plurimùm, quòd uideor mihi (ut dixi) in iudicio de te,ac doctrina tua minimè ſtultus fuiſſe;neque ſum ijs aſſenſus, qui urbem iſtam te potiſſimùm auctore, abuti meo nomine exiſtimabant. Græcum uerò epigramma, quod à me ſuperioribus in literis uſurpatum eſt paulò liberiùs,quàm ferat mea natura;ſcio te in eã partem accepiſſe,ut, & antea quidem, & nunc re magis cognita,tamen à turpitudine inuidorum, non alieniſſimum eſſe interpretêre. Nam te quidem, & ſcientiam tuam,& magni ſemper feci; & poſthac, niſi de meis ſtudijs malè ſentias,nõ dubito, quin me credas plurimi eſſe facturum. Vale. Vrig. Cal. Ian.

Delphino Tarentino,Manduriam. LXXXIII.

LITERAS meas, quod tantopere flagitas, eſſet mihi pergratum, niſi ualetudinis,occupationum,& mœroris tanto incõmodo tenerer.quúmque in epiſtola tua queſtus ſis, quòd ternis tuis literis prouocatus, nihil reſcripſerim; ne nunc quidem hæc ad te exarauiſſem,niſi illud aſcripſiſſes, uereri te aliquid ad me eſſe delatum,quo alienatam ſuſpiceris meam à te uoluntatem. Hîc nihil habeo, quod poſſim afferre; niſi, quæ ſuperioribus diebus, quum ad me ueniſſes,reſpondi,me eodem eſſe in te animo, ſempérque fore,quo antea fuiſſem: neque aliquid auditum habere,quo uiolatam à te fidem, aut ulla offi

cia

cia poſsim exiſtimare. Quod autem anno ſuperiore, quum à me Aſtunco diſceſsiſſes, ad tuas literas non reſcripſerim; fateor me ita ſubiratum tibi fuiſſe, ut tamen ab amore tui non diſcederem. Feceras enim tu rem indignam exiſtimatione, & fideliſsimis conſilijs meis, & ſumptu, ac labore tuo; qui te à rectiſsimis ſtudijs, ad quæ te ſemper fueram cohortatus, ad fœdiſsimum genus literarum conuertiſſes. Quãobrem, quum in tuis literis à me peteres, ut monerem, quid mihi uideretur in ſtudijs te ſequi oportere; ipſe autem contemni à te uiderem, quæ antea monuiſſem: perdere me ac profundere mea conſilia arbitrabar, ſiquid de mea ſententia ſcribere amplius uoluiſſem. Nunc uerò, quoniam confido à te, barbariem illam eſſe contemptam; & (ut dixi) nihil audiui, quo meam à te uoluntatem alienatam putes; te ſic amo, vt mea ſtudia omnia, quę hoc quidem tempore, & hoc ſtatu rerũ mearum præſtare poſsim, tibi ſint paratiſsima. Vale.

Marcello Corrado fratri, Lupias. LXXXIIII.

TVAS literas ad tertiam noctis horã accepi; quas tamen ad Philippum, & alios, in eum faſciculum conieceras, ſtatim reddendas curaui. Nã id tu aſcripſeras, quod illorum ualde intereſſet. Dixeras ex Rufo, nos pecuniam apud Ciccum petituros: nunc repentè reijcimur ad illius patrem, quũ redierit. Quid? non poterat is, qui Proprætor eſſet rẽ tantam cognoſcere? Mutationes huiuſmodi conſilio-

rum,

rum, quum uideo nullam ſubeſſe cauſam, ferre non poſſum. Ac uereor etiã, ne, ut ſunt iſti uaniſſimi homines, illud nobis proponant, quod ipſi intelligant, ſe prȩſtare denique non poſſe. quare uide tu, ne, ut cæteris in rebus, ludibrio habeamur. Nam de pecunia, ad emendam uallem Carbonariam, iam tandem obſecro te frater, confice, & cognoſce inconſtantiam hominũ, & leuitatem. Siquid fieri poteſt, matura: ſin deſperata res eſt, ne ſuſpenſi diu ſimus. nã, quòd dubitare uiſus es de mea uoluntate, equidẽ meo etiã periculo omnia fieri uolo; & ratũ habebo, quicquid egeris. Ac ſciebã antea te iſtic pecuniã deſtantibus nullã eſſe inuenturũ, ne ſi pater quidem tuus fœneretur. Quamobrẽ, ſi, ut ſcribis, munificentiæ, ac beneficij loco, ducunt homines perditiſſimi, ternis centeſimis pecuniã locare, et tu ualle Carbonaria non potes carere, quam ego etiã campis Elyſijs tecũ (ſic enim ſcribis) antepono: cenſeo nullã fœneris magnitudinẽ extimeſcas. Verùm tamen audi, quod tecũ habeas: aiunt nouas tabulas expectari à ciuitatibus: quòd ſi longiùs res differatur, ne nũmum quidem auferre à quoquam poſſis, quum hoc percrebreſcit. itaque propera. De uino quod ſcribis, fugiens id putabatur, quotidiéque aceſcere. quare uendendum locauimus, undenis ſextertijs in amphoras æſtimatũ, fortaſſe etiã minoris. Cenſebámus etiã te reliquum uendere oportere. operȩ enim quotidie in uineis; nec eſt, undè teruncium poſſis exprimere: & adhuc quidẽ meliuſculum uidebatur. Hulcus natum in crure, quod ual-

de

de times; cura, amabo te, plus reliqua ualetudine tua. Vincentij afflicta fortuna ſcribis te commoueri, nec poſſe ab eo repetere, quàm ego dixerã promiſsi fidẽ. itur ergo ad me. At ego illo motu animi, & miſericordia, nemini concedo, ut de aliorum miſeria magis perturbetur. Illum uerò quẽ times, ego ſtatuerã, antequã ad me ſcriberes, ad nullã huius negotij partem adhibere. ſatis pœnarum hoc anno illi dedi. Saburra pergit inſanire. audio enim prędium ſuburbanum, quod emere cogitas ab Ardillo, ad haſtã uelle reuocare; quod quum eſt auditum, riſu oẽs emoriri. Nã reſponderat Hortenſius eo loco rem eſſe, ut nullo iure, aut calũnia labefactari poſsit. utrinque tamẽ difficultates. Nam, ſi emas ab Ardillo, pendendum ciuitati: ſin is eius prædij iure cedat, redeatque ad nebulonem Saburram poſſeſsio, apertè minatus eſt, uſurum ſe iure ſuo, illum diem ſi uideat. Quòd ſi non ſtultitia ac fatuitate eſſet tanta, ſpem tibi iſtam penitus abſtuliſſet. Sed pendet Ardillus ſextertios non plus quindenos, quos tu ferres, dum ciuitas ære alieno liberetur. quare cenſeo ab illo emas potiùs, & expecto ea de re literas tuas. Habes enim rẽ, & conſilium meum. Quum erit, per quem illa mittam, quæ ſcribis, non deero uoluntati tuæ. Fabio nihil eſt, quod poſsim cõmodare. Tu ad me nummos & literas mitte quàm primùm. Vincentius totis diebus eſt mecum. dolet plurimùm, & demiratur, nihil hactenus abs te nũmorũ. Cõfice igitur: aut me tãta moleſtia, et illũ cura, et ſollicitudine libera. Vale. Id. Feb.

Petro

Petro Paulo Straboni, Brunduſium. LXXXV.

EXCVSATIONEM tuam, qua uſus es, quòd ante non ſcripſeris, accipio libentiſsimè. Te ius ciuile antepoſuiſſe Græcis, & Latinis literis, non erat, cur moleſtè ferrem. Mirabar, quod me eſse iratum tibi, tam facilè crediderís. tua enim, & patris tui cauſa, te amo plurimùm. Conſilia mea quod magnifacias, confirmo fore, ut te nõ pœniteat ijs obtemperauiſſe. Nunc denique ſeriùs ad epiſtolã tuã. quo in ſtatu enim, & quanto in luctu fuerim, uides. Patri tuo ex me ſalutem. Scribam ad quæ mandas per otium. Vriæ.

Antonio Mileto. LXXXVI.

TVAE literę mihi gratiſsimæ fuerunt. in ijs libenter ſum amplexus amorem tuũ, qui te impulit ad ſcribendum. & hercule faciendum erat, ut aliquando inter nos literarum conſuetudo excitaretur. Itaque laudo officium tuũ; & ſocordiam dãno meã, qui hactenus commiſerim, ut amantior tu mei, quàm ego tui uiderêre. poſthac uerò neque literas meas, neque ulla officia deſiderabis. Nunc eram ſanè occupatus, nec à moleſtijs uacuum aliquod tempus mihi dabatur, ut nec feſtos dies, nec ſacra publica hoc triduo fuiſſe cognouerim. Scribã plura aliàs, quũ erit otiũ. nunc fui breuior, imitatus etiam breuitatem ſcribẽdi tuam. Itaque recipio me, tibi ſemper, coniunctiſsimum fore. Colui enim M. Antoniũ, quoad uixit, ho-

minem integerrimum, & doctiſſimum uirum, lumē ueſtræ ciuitatis. Quocirca gaudeo plurimùm, et mihi alterum Antonium dari iſtic, illius loco quē obſeruem, carúmque habeam. Vale. Vriæ. VIII. Cal. Quintilis.

Marcello Corrado fratri, Lupias. LXXXVII.

DE ijs, quæ Luceria expectamus, curatum eſt à me diligenter meis, & amicorum literis. Si quid accidat ſecus, quàm uolumus; aliam ingrediemur uiam, aut uehementiùs eandem perſequemur. equidē rectè ſpero, niſi ſi falſa ea ſint, quę mihi ſuperiore anno, boni uiri quidā retulerunt. Fabium maturiùs mittere non potuimus. ſed miror, quòd uenire illum ad te uolueris, quū binis antea, et ijs ipſis, quas proximè miſiſti literis, te dicas credere iſtinc diſceſſurū. nam antè mandaueras, illū eſſe apud nos, dū tuis de rebus conſtituere. ſcribe igitur, et aliquando iam tranſige. Iſtos autē, uel coge, ſi potes; uel certè, ut exiſtimationem teneas, à rationibus tuis nullo dāno terreâre. Nam, quod meum cōſilium exquiris, noſti ſuperbiam meam in eos, qui ſe ſolos eſſe homines arbitrantur. ergo, me quidem auctore, te ad illorum uoluntates adduci non ſines. Vt enim antea ſcripſi, paterer, ſi tantùm egentes ac ſordidos; nec arrogantes etiam illos, atque inuidos cognoſcerem. denique rectiſſimè uide, quid fiat. Fabium cura docēdum aliquid pro ætate & ingenio. omnino puſilli animi puer, ac ne uirium quidem ſatis magnarū. quare illum,

lum,(ut coràm ſæpe) ad literas dare nolim. Cum illo (noſti quem dicam) non adhuc de aduentu, uel de reditu tuo ſum colloquutus. uiginti enim ipſos dies, pedem domo non extuleram. conueniam tamen illũ, & confido fore noſtrum. Sæpiſſimè enim de tuis rebus mecũ, & ſuo in te amore; atque obſeruantia non quidem prouocatus à me, ut falsò tu ſuſpicabâre; ſed ſua ſponte communicare conſueuit. Quid quæris? ne uitare quidem illum poteram. ea de re ſcribam plura, ſi qui noui ſermones fuerint. Sed audi præterea, quod te medicari uelim. Gioſum familiarem tuũ ſcito unum fuiſſe ex Quinqueuiris, quos noſtra ciuitas ad æſtimanda patrimonia creauit. Is, ut eſt natura illa; quam tu noſti meliùs, quúmque eſſet nemo, qui noſtra profiteretur; uineam tuam ad Portatium, quam liberam eſſe nemo ignoraret, tanquam uectigalẽ ſcripſit ciuitatis. Nam, quòd ſextertios triginta péndere te, pro ſuburbanis hortis arbitrabâre, animaduerti illos non eſſe in tabulis, quas ille confeciſſet. Quod niſi tamẽ ſcribẽdo erraſſet, binos etiã hortos, tibi illũ puto fuiſſe ſcripturũ, quando uerè illos ſeruũ eſſe prędiũ ſciret. itẽ ad Vaſtiferias uillã, non à matre nobis relictã, ſed ab ijs emptã, qui uectigalem illam poſſe diſſent. oliuetum præterea neſcio quod ad Scalellam non immemòr tuorum in ſe officiorũ Fabio ſatis amplum dedit. Huncine ergo tu hominem eſſe ingratũ dicere audebis? uerùm hercule hîc tanto cum damno iocari nolo. Quamobrẽ conſtitue apud te frater, quomodo cum illo tibi agendum putes: utrum orare

illum, an obiurgare, an terrere malis; nec tamen locum prætermittas ullum, quo uel precibus non excitetur, uel obiurgationibus non erubeſcat, uel minis non terreatur, noui ego hominis uel ſtupiditatem, uel impudentiam: quapropter acriùs te pugnare neceſſe erit. diſce aliquid exemplo meo, Superioribus diebus quum ueſperi in foro mihi obuiam eſſet factus, ſalutatum meo illo more, quo huiuſmodi ſoleo ἀμφοτέρην, corripio. aio illum in uinculis eſſe oportere. ille ridens tendere manus, ueniam petere, & rogare quid à ſe uelim. uel tabulas, inquam, patrimoniorum mihi da legendas, uel me in cuſtodiam ſequere. iurare, ſe poſtridie daturum; nunc enim publico negotio eſſe occupatum. illum ueluti ſuffocabundus totum penè ſpoliare; urgere etiam, uel nunc tabulas exhiberet, uel teſtamentum faceret, ſi tempus à me impetraret. Deniqne, ſic à me quum luderetur, homuncio clamare cœpit, ſe celare iam nihil, etiam ſi plura uellem ſcire. Non extorſiſſem aliter, quæ uolebam. ipſe hæc fatebitur, ſi interroges. Sic tu etiam, niſi irrideri manis, liberum illum non putabis, ut nec ipſe uineã tuã. Summa ea ſit, petat à ſuis collegis, ut tota æſtimatio patrimonij tui inducatur; quod niſi fiat, neque ſtatim Fabius ijs, quæ nõ habet, et prediola hæc iniuſtis uectigalibus liberentur, ſcis maleuolos homines aliquando uſucaptam penſionem, atque cenſum eſſe dicturos. Sed tu hæc noſti meliùs, & quid fieri neceſſe ſit, uides. quomodo μωρὸν πρωτία capiendum putes, cogita. Quòd dicas ita magnam hoc anno meſſem face

M re,

re:mihi potiùs, & tuis oculis credas,uelim.Caſu incidi in rationes tuas,quibus tamen non dubito, quin aliquid adhuc deſit.illas miſi, ita uiuam,non ut aliquid à te acciperem aliquando: ſed, ut ſcires ex his quidem rationibus contrà, atque tu ſcripſeras, nihil amplius me tibi debere.De negotio Corradi, binas à te is eodem die literas accepit. Prioribus erat exanimatus; alteris recreati ambo fuimus.Odorare,quæſo te,diligentiùs; & uide,ecqua ſe ratio oſtendat fluctuantium rerum illius aliquando confirmandi: me quidem illius fortunæ maximè pudet,quum præſertim uideatur multis,conſilio meo,in miſeriam & ſermones hominum incidiſſe. Vale.

Marcello fratri. LXXXVIII.

PROXIMAS literas meas illi dare cogitabam,qui rationes confecit uectigalium. prædixerat enim ſe poſtridie ad te eſſe uenturum.Fabium illi commendaueram,quem ad te duceret. Corradum ad illum miſi ante lucem.uidebam enim non ſeruaturum eſſe illū,quæ promiſerat.penè ſua ipſius uoce reſpondit ex cubiculo ſe non eſſe domi. Expectat Corradus,quò neceſſe erat illum uenire.uiam mutauit.Iubeo quæri apud præfectos ærarij. Sed ibi quum pauliſper latuiſſet, rogat expectari ſe, dum excurreret ad Prætorem.denique & hunc, & illos eluſit; ne à nobis uideretur. Ea cauſa fuit,ut nec puerum,nec literas ad te miſerim; etſi paulò poſt,quàm is uenit,te illas accepiſſe credo.Fecit iratus,quod nobis patrimo

nium

nium quum auxiſſet, ingratos nos eſſe cognouit. Nã pridie parum liberaliter à Corrado fuerat acceptus, & ſciebat me de ſuo beneficio ad te ſcripturum. Doluì, quòd, quum is illam epiſtolam non attulerit, ut ego conſtitueram; dubitare poteras, quisnam is eſſet, undè beneficium accepiſſes. illius tamen ſimiolos quotidie uides domi, magna cum patientia ſtomachi tui. Corripies hominem, aut ita obiurgabis, ut facilè intelligat nos fidem ſibi habituros eſſe nunquam. Nã collegæ eius prædiatores optimi, nec mali uiri, prędicant illius tantùm malitia accidiſſe, ut ita magnis atque iniuſtis uectigalibus premeremur. Vale. Vrię. V. Cal. Quinct.

Marcello Corrado fratri, Lupias. LXXXIX.

DE illo, quem ſcripſi augere patrimoniũ tuũ, neſcio quid mihi ſignificabãt literæ tuę, quod ego minimè cogitauiſſem. Nam, ſi æſtimatio inducatur, nihil eſt, quod ampliùs requiram. Tu uerò ita ad me ſcribis, tãquam extrudere te domo tua, illius filios mandârim. noli ea re laborare. Accidit tamen aliud, quod doleas. exulat enim procurator tuus. Iudiciũ agi eo de crimine cœptũ eſt, cuius cauſa paucis ante diebus ad nos ueniſti. Iudex eſt is, qui reum ſe maluiſſet. creditur damnaturus, niſi in partem criminis recipiatur. Alter in uinculis, ac de eo iam quæſtiones habẽtur. quid compertum ſit, neſcio. iudex ad Principẽ retulit. Voces, & maledicta, quãta unquam antea. non tamen Quintus hæc peperit;

ſed qui nunquam illius conſilium audire uoluerunt. Aperui enim tuas ad procuratorem literas, ſiquid eſſet in ijs, quod tua cauſa maturandum foret. hui quanta prædicatio metus, ne quod infinitum malum à Quinto. Riſi medius fidius cum lacrymis, nam, etſi antea loquebar aliquid; nunc deſperatis rebus, biennio toto ne uerbum quidem facio ullum. Quare liceat mihi, quæſo, per uos eſſe otioſo; & de re, & nobis ipſis ea ſentire, quæ oportet. Quę miſiſti ad illius matrem, gratiſſima acciderunt. tamen de te anus miſella quæritur: ægrotat adhuc, & cum fletu, ac uoce efflare quoque animam uidetur. Obſecrat, ſi ſe ames, ne quid tale amplius in poſterū. Turpitudinem illius deteſtatur, neque eum ſperat unquam amplius honeſtum fore: qua in ſententia me habet ſocium. Noſti pudorem mulieris caſtiſſimæ. nunc mortuos omnes habet in memoria, & in ore: cū ijs agitat ſermonem: illos rogat, cur ſuperſtes ipſa mā ſerit. Ego tibi frater, nullum affero conſilium, & factum corrigi non poteſt. Libellos, & quę ſcribis omnia, accepi. Literas miſi in exilium. Ego hîc omnium uoculas, & probra ſuſtineo. Vale. Vriæ. pridię Cal. Quinct.

Marcello Corrado fratri, Lupias. XC.

ORATIONEM *Martelli, ſumma illius elegantia, doctrina, grauitate & ijs rebus omnibus, quarum in illo conſeſſu ratio habenda fuit, dignam iudicaui. Quamobrem, ſiqua poſthac ſcripta illius,*

illius,ad me mittes;& mittes,oro te,quicquid poteris;non expectabis amplius de iis iudicium meum. Eius enim multo antè ſciebam, quanta eſſet eloquẽtia,cultus orationis,& omnium diſciplinarum cognitio,hominis in literis conſumati atque perfecti. Ego tibi frater, nunquam diſsimulaui;& fremant omnes licet,prędicabo ſemper;me omnes,quicunque non eandem,quam is, in ſtudijs uiam tenent, literatorum loco minimè putare.Itaque præter hunc, & Zimaram,& Bouios fratres, in Salentinis, & tota Apulia,nemo eſt, quin longiſsimè abſit à cognitione literarum. Apud te uerò frater,hæc nõ dicerem,niſi multum ac diu laboraſſem, quò te ab inquinatis ad Latinas literas reducerem. Neque credo te mirari iam,quod Latinos eſſe illos non concedam; qui etiam ſpero te cognoſcere ne ueteres quidem, niſi pauciſsimos,quorum omnia Martellus cumulatiſsimè præſtitit,in eo genere fuiſſe perfectos.illum meo nomine ſalutes peruelim.Verùm ad domeſtica.Miſi ad te græca epigrammata,quæ Bonifacio Principi adeo grata fuerunt,ut poſtridie ſine ſcripto illa mihi recitauerit. Quid quæris? quum illum audio,mihi uideor eſſe aliquid.denique nos amat, & ſuauiſsimè communicat mecum de literis. me hortatur ad ſcribẽdum.nego mihi eſſe otium,& ullam facultatem. alterum de otio concedit: ſed neutram planè excuſationem accipit.De arca publica inter meos ac tuos urbanos hortulos media,reſpondit ſe in rem præſentem eſſe uēturum: ſed petenti mihi, arbitros dedit, qui uiderent,

nequid fiat, quod ciuitas non debeat, aut uicinia non poſſit ferre. Nunc rē propinquus noſter Petrus Briſtiolus cognoſcit. is poſtea ad me non uenerat; neque dum ea de rē cum Principe fuerat colloquutus: Mihi ſuſpecta eſt mora, & poteſt etiam obeſſe aliquid. ſcribam ad te, quum utrancumque in partem erit aliquid conſtitutum. Aes alienum diſſolui, ſed uerſuram facere maluiſſem. iam nunc enim egeo rebus omnibus. quid toto hoc anno uſque ad menſem Iunium, me futurum eſt. Minus eſſem ſollicitus, tu ſiquid poſſes, aut ego quaternas centeſimas non ubique extimeſcerem. Frumentum non minoris ad meſſem fuit, quàm quum illud mutuò acceperam. itaque nō plus eſt redditum creditoribus, quàm ij dederant in ſorte. ea res niſi me iuuiſſet, non dubium, quin conturbauiſſem. Publicanis me ſperabam à te ſoluiſſe ea pecunia, quam tuo nomine non iure ijs datam credebamus. Sed opera amici tui tibi non defuit, ut pro ſuburbanis hortis pendas, quòd pro uinea non deberes. mihi ſummam hoc ipſo anno minitantur maiorem. O me patientē & inſanum, tantam iniuriam ſi feram. cogito Hortenſio patrono uti contra ciuitatem, aut temerarios potiùs atque impudentes homines. illum mihi excites uelim, quum oportebit. nunc enim uix me ſuſtento. Sed me prouocant ij etiam, qui uicinas uillæ noſtræ uineas, uaſtari totas à meis canibus uociferantur. iam nunc utuntur præiudicijs anni ſuperioris, quod ſecundam ſibi Pretoris inſaniam habere uiderentur. Noli quærere; nobis domo, et patria ce-

dendum

dendum erit,niſi quid conſilij ceperimus. Hæc ad te ſcribo, ſiquid forte tibi ueniat in mentem, quod expediat.uidebis igitur,& ad me ſcribes. Sed heus tu, non uides aduentante canicula, timendam eſſe rabiē ſocio tuo? mirum profectò, quàm furēter omnia iraſcitur omnibus,& mihi præcipuè; etiam, quum illi more meo blandior. nam furorem illius placare ſæpius uolui. ſed ringitur ille,ac frendit. Quid habes, inquam? auerſus tacet. Aio,non loqueris? Reſpondet,nolle ſe loqui. Dij illum perdant belluam,ut mores huiuſmodi non fero, ut malim inter feras mori, quàm cum talibus uiuere. Illum cras ad te uenturū puto cum puero. nam rogare aliquid non audeo, ac uereor,ne mihi inuolet in oculos. Ages cum illo de mea in eum ſumma uoluntate,& uetere ſtudio ſuauiter cum meis uiuendi; moleſtos uerò ac turbulentos omnes fugiendi. negabis tamen aliquid à me ijs de rebus ad te eſſe ſcriptum; ſed ita ut planè credere non poſsit,intelligátque me ne ſermonem quidem ſecum de his ineptijs agitare uelle. Denique, ſi illum amas,da operam,ut à me quoque amari poſsit, quē me hercule odiſſe iam cœpi. Nam, Dij immortales, quàm iracundè,inſolenter,contumelioſè; nec reputat me uel uno uerbo ſuas contumelias ulciſci poſſe; aut ſe nihil eſſe ſceleratius,fœdiúsque apud ciues uniuerſos.utrum iure an iniuria,non quæram.Illud ſcio, neque id,quod palàm fecit,à bonis uiris probari:neque id,quod negamus,euelli poſſe ab opinione hominum. Quum igitur illi omnia facienda eſſent recu-

perandæ cauſa exiſtimationis, contrà ſæpius nulla ex cauſa huic ferrum & ſanguinē, illi uerbera & ignominiam minatur. Domi quidem certè, & mecum ita ſe gerit, ut honorificentiùs fortaſſe cum ſuis olim Saſſio, Mina, Saburra. Curabitis inter uos hæc, ſi fieri poteſt: nam mihi paratior eſt χειρουργία, quàm reliqua medicina. Lucretiæ puellæ nō magna ſpes eſt ſalutis. decem dies, ne punctum quidem temporis ab illa febris diſceſſit. Vale.

Marcello Corrado fratri, Lupias. XCI.

BINIS iam meis literis, & ſuperiorum temporum conſtantiſſima uoluntate, et ſermone intelligis, me nullam eius putare uitam, qui media in diſſenſione domeſtica uerſetur. Iſtum ergo amicum tuum inurbanum hominem atque agreſtem, qui nullum meum uerbum, aut iocum ferre poteſt; commonefacies, ut ſuperioribus literis oſtendi me uelle. Intelligat ſe, & ſua omnia mihi fore ſemper commendatiſſima; ſi eum ſe præbuerit, quem tu quoque ſperauiſſes; neque (ut hactenus fecit) perget inſanire. Negabis te agere mandato meo: quod ſi non credat, id quoque putabis eſſe commodum; neque tamen confitebere. Te dices cupere eſſe mihi gratum illum, & laudare, ſi nihil à me diſſentiat; tibi mores meos eſſe notiſſimos; neque ignorare, quibus rebus allici, quibus offendi ſoleam; coniunctionem hāc mecum eſſe illi hoc tempore perneceſſariam, meis quoque rationibus non alienam. Pridie literas acce-

peram tuas, & uaſa (ut ſcribis) uſque à Piſauro aduecta. Antonio Lando frumentum reddidi, reliquum à te expectat; rogat ſui recordêre. Ea de re, Corrado mandabis, quid fieri uelis. Vale.

Marcello Corrado fratri, Lupias. XCII.

QVOD iracundus & contumelioſius eſt is, de quo ad te ſcripſi; minimè laborarem, niſi in me quoque inſaniret. Quid enim curare me putas frater, quod eos ferre non poſſit, à quibus iniuriam accepit, quod ne ſignificabant quidem meæ literæ? Per me quidem oderit, ulciſcatur, ruat in quęcunque uelit ſcelera, flagitia, turpitudinem. Nam ego illud ſolùm uidero, quod mihi nec loqui domi meæ permittitur. Oculis enim, uultu, & animo illo ferino, ſæpe; enecas, inquit, obtundis, heu moroſitatem ſermonis. Ego uerò nolui ignoſcere hactenus paupertati illius: & in me linguas quorundam hominum concitare nolui. Spem iſta corrigendi in te uno habebam. tu uerò me de aliena contumelia arbitraris eſſe commotum. Verùm ego hac de re in poſterum, neque tecũ, neque cum illo uerbum faciam: & hæc uiderit quicunque diutius, abuſurum ſe credit patientia mea. Non committam enim, ut quotidie mea ſtultitia ac fatuitas ab inſanis & ſtolidis reprehendatur. Vale. Vriæ.

Q. MARII CORRADI

EPISTOLARVM

LIBER IIII.

Ioanni Bernardino Bonifacio, Vritanorum Principi, Neapolim. XCIII.

ETSI *tuas literas legi libētiſſimè, ijs tamen reſpondeo perinuitus. Quòd ſi ſcirem te id in eam partem accepturum, quam ego uolo; ſine his literis ad eam te orationē, quæ à me ante triennium Brunduſij eſt habita, reieciſſem. ſed profectò mihi ante omnia ſemper habendam eſſe ſtatuo rationem uoluntatis tuæ: & nunc, quando tibi ita placere oſtendis, ad ea reſpondebo, quæ à me ſcire te uelle ſcripſiſti. Nam, quid tandem aiunt ij, de quibus tu meam ſententiam requiris? non rectè eos facere contendunt, qui in oratione uel præcipuè, uel ſolum Ciceronem ſequuntur. obſecro, quos? illóſne qui Latinam linguā ante didicerunt, an quibus ea diſcenda eſt? Neque eò pertinet hęc interrogatio mea, quaſi ordinem mihi proponere uelim, quem diſputando ſequar, nec res eget diſputationis. illud affirmo, quando hoc non cogitauerunt, nihil eos ad hanc rem certi, nihil acuto, & acri diſputatore dignum afferre potuiſſe. Itaque rectiſſimis noſtrorum hominum ſtudijs repugnantes,*

ea

ea protulerunt, quæ putidum eſſet mihi refutare. quid enim? tantáne ullo in homine ſtultitia, ut ſibi ne aduerſarios quidem, aut crimen certum conſtitue rit, quod oppugnandum ſuſciperet? Nam utrum tandem à Cicerone linguam didiciſſe peccatum eſt; an illam ſibi potiſſimùm in pueritiæ ſtudijs, tamquam ex omnibus optimam, proponere diſcendam? Hoc, inquam, tanti refert eſſe uel conſtitutum, uel prætermiſſum; quanti uim diſputationis illius uidere, aut nihil omnino intelligere; & ſuam cauſam uel amittere, uel obtinere. Quòd ſi hoc paulò diligentius cogitauiſſent, non dubium, quin in principio ſtatim diſputationum ſuarum minimè ſtare contra nos poſſe ſuas illas rationes & argumenta cognouiſſent. Neque ego dum quæro, illósne accuſent, qui didicerunt, an quibus diſcendum eſt; paro me ad ea, quibus aut ſingula, aut unum quiddam ex illorum diſputatione diſſoluam. Arbitror enim omnes uidere, quemadmodum ita ſi reſiſtas, hac interrogatione ſola feceris, ut cauſa, uel fatuitas potiùs illorũ tota, non dico aliquantum reprehenſa ſit, aut leuiter labefactata; ſed conuulſa penitus, fracta, & euerſa. Nam, qui in literis ea fortuna ſunt uſi, ut linguam M. Tullij potiſſimùm didicerint; eorum ne ipſi quidem aut fœlicitatem audent reprehendere, aut uoluntatem. Conuenit enim inter omnes, & conueniat neceſſe eſt, q̃d ueteres etiam doctiſſimi præceperunt; latinè loquendi rationem à ſummis auctoribus peti oportere. ſummum uerò eius rei gradum tenere M. Tullium nemo

unquam

unquam tanta dementia fuit, ut uel dubitare ſe fateretur. illos igitur, qui ab eo formam orationis quandam expreſsêre, quis audeat reprehendere? Sed, ſcio, illud fremunt potiſsimùm, illud ab arce huius cauſæ eos deijcit; quòd, qui didicerunt, ab iis, quibus diſcendum eſt, ſeparatos eſſe uolui: ipſi enim ſimul uniuerſos potiùs, non rationibus uincere, ſed ineptijs eos obruere uoluiſſent. Nunc uerò nihil habent, quò ſe uertant niſi illud, quod dicere conſueuerunt, à Cicerone longè eſſe diſsimiles, qui maximè illum ſtudent imitari; & ſtultè eos facere, qui tantam eloquentiæ diuinitatem ſe conſequuturos unquam eſſe arbitrantur. Ego uerò, utrum Bembus, eiúsque collega Sadoletus, Perionius Cormœriacenus, M. Antonius Flāminius, Paulus Manutius, & denique omnes qui rectiſsimè ſentiunt de literis, fruſtra in hoc laborârint, uel ideo reprehendendi exiſtimentur, quòd bene illum ſunt imitati; aut illius eloquentiam omnino conſequi poſsit quiſquam: non puto mihi diſputandum. Illud certè non prætermittam, conſequi dicendi formam alicuius, aut picturam, aut aliud quod diſcimus imitando, non perinde eſſe atque illud, quum dicimus, conſequi fugientem, aut eum qui multo ante nos iter ſit ingreſſus, aut quum uenatores aut canes feram conſequuntur. Hæc enim uel aſſequâre omnino neceſſe eſt, uel fruſtra omnino tibi opera ſuſcepta ſit: nihil eſt tertium. contra uerò in illis ea ratio eſt, ut ſi tenere id, quod expetas, non poſsis totum; facile tamen ac nullo negotio perficias, ut quàm plurima te

con-

conſequutum eſſe latêre. Neque ſtatim difficilius eſt M. Tullium imitari, quoniam hic tantus eſt auctor, ut eſſe illi par nemo poßit: immo etiam tanto cõmodiùs hunc, quàm alios, imitamur; quanto in hoc maiora ſunt omnia, plura ac ſplendẽtiora, ut nõ faciliùs modò, uerùm lautiùs quoque fonte maiore atque mundiore uti poßimus. Nam, quod ad orationis & rerum, quæ imitatione dignę ſunt, copiam attinet; nemo eſt, quin ut gemmas, aurum atque alias opes, ita hęc & omnia adiumenta dicendi, malit ſumere, undè ſemper ea cõmodè ſuppeditari uideãtur. Quis enim tanta ſtultitia ſit, ut expetibiliora, ideo quędã exiſtimet, quòd auferre ea poßit omnia? Non tamẽ aſſequuti ſunt, inquiũt, M. Tulliũ, fatemur, ſed ne ipſi quidem cæteros. Nos enim quod rudes literarum ſumus, quod ineleganter ſcribimus, quod denique parum latinè loquimur; non ratio, non conſilium, non auctores; uerùm nos ipſi reprehendendi ſumus: illos autem neque ſtudium, neque uires, neque ingenium, neque homines, neque Dij adiuuare potuiſſent ulli, ut uel minimam purę latinitatis partem aliquã adipiſcerentur. Quòd ſi qui de ſuis auctoribus omnia ſe conſequi poſſe dicant, in quibus certè pauciora ſunt optima; nos quoque ex illo, cuius nihil eſt, niſi perfectum, omnia ſi non poſſumus, pauca ſaltem, ut ex tanto lumine, & immenſitate orationis, ſed quæ ſuis illis omnibus plura ſint & excellentiora. Sin (quod dictitant) aut neminem unum, aut ſimul omnes imitari uolunt; nihil mirum, ſi contra ueterũ ſapientiſ-

pientiſsimorum præcepta;ex doctis & eloquentibus uiris nemini unquam ſimiles eſſe potuerunt; & ſuis opinionibus ac tortuoſo ingenio freti, nec ſplendorem illum Romanæ linguæ ueterem ſpectantes, immanem quandam & intollerandam barbariem afferentes, niſi itum eſſet obuiam à doctis, quàmplurimos in Italia etiam ſordibus illis nouis inquinaſſent. Sed, quoniam hi culpa uacant, immo etiam laudandi ſunt maximè, qui ſe ad optimum dicendi genus conformârunt; tranſeo, ut de ijs dicam, quibus Latina lingua diſcenda ſit. Primò igitur, an hos eſſe reprehendendos arbitrantur, quando iam prioribus illis ipſos etiã obtrectatores pudeat, neceſſe eſt, uitio dare; quòd ſenes optimam illam orationis formam nequeãt dediſcere, quam à pueritia ſunt conſequuti? An minùs hi rectè diſcent, quod rectiſsimè illi didicerunt, ut turpiter hi quærere uideantur, quod honeſtiſsimè ab alijs tenetur? Ac de his tamen arbitror mihi eſſe ineptiſsimum plura dicere. Quid enim, per Deos, tanta calliditate aut omnium hominum ingenijs excogitari poſſet, quo probetur anteponi optima deterioribus non oportere? Videtur illi quidem multa dicere, ſed ad efficiendum quod uolunt minimè accommodata. non ſolùm enim doctos ab his non ſeparauerunt, qui docendi eſſent; in quo uel imprudẽtiam illorum poſſis reprehendere, quum id reliquerint, quod maximè erat neceſſarium dicere; uel malitiã agnoſcere, quũ ſperarẽt ſe ea diſsimulatione tenebras ueritati effundere. Illud enim ſpectabant, illud ſolum propoſitum

habe-

habebant, quo imprudentes eluderent, patrocinium barbariæ & imperitię ſuę; ut, tanquam nemo è doctis eſſet Ciceroni ulla in re ſimilis, neque id iam à pueritia diſceremus; unum quendam ſibi fingerent Ciceronianum (ſic enim uocant) ineptum hominem inuſitata obſtinatione mentis, unius Ciceronis amore, ægrum etiam & inſanum: qui inaniſsimo ſermonis Latini ſtudio ætatem conſumeret, uerba ſemper uoces ac ſyllabas, & minima quædam à M. Tullij tantùm libris conſectaretur, reliquos auctores omnes repudiârit, nullum omnino quanuis neceſſarium uerbum ſumendum ab alijs credat, nihil aliud agat, nihil hactenus egerit, nihil deinde ſe ſtatuat agere oportere, quàm ut ſemper in Ciceronis ſtudio contabeſcat. Quàm facile fuit illis hunc refellere, quem ſibi pręter morem, naturam & præcepta declamandi ſtultum aduerſarium finxerunt? aut quid tandem efficiunt unius inſulſi hominis, ac præſertim fictæ perſonæ reprehenſa ſtultitia? Quid me, aut eos, lædit hęc reprehenſio, quos ante nominaui doctos eloquentes et perfectos in oratione facienda uiros? Nā ego meum Ciceronianum (quando ſic illum dixerunt) ita eſſe uolo inſtitutum, ut primùm unius Ciceronis linguam rectè à puero didicerit. deinde alios quoque legerit, qui boni latinitatis auctores habentur. Ita ſit Ciceronem ſequutus, ut quæ apud illum non ſint, à bonis omnibus imitanda exiſtimârit. Scribendo igitur, aut loquendo, quum opus eſt, uerba ſumat à doctiſsimis et elegantiſsimis ueterum quibuſcunque;

cunque; nec pertimeſcat noua, ſiquando noua res coëgerit, neque ijs uerba omnino uetera ulla queant accommodari. In oratione uerò ac forma dicédi quadam, uel ſolum, uel cum pauciſsimis M. Tullium ſequatur, nec ab ijs longè diſcedat, qui aut illius, aut Scipionis ac Lælij ętate, aut paulò ante illos uixerunt; à quibus orationem quidem ipſam etiam, ſed loquutiones præſertim ac uelut membra quędā orationis tutò poterit imitari. His tamē omnibus, quod ad imitationem attinet, ſemper illum quem dixi M. Tullium anteponat; cuius non genus dicendi modò, ſed doctrinam, ingenium, eloquentiam, ſpiritum, & diſciplinarum omnium ſcientiam æmuletur: neque tum loqui diſcat, quum ſcribit; ſed inſtitutione puerili eius rei facultatem parârit; & illius linguā ita ſuam effecerit, ut aliter, atque ille, ſcribere aut loqui non poſsit: & in reliquam ætatem in diſciplinarum omnium ſtudijs occupetur. Talem quendam Ciceronis imitatorem ſi irridere ac reprehendere potuiſſet Eraſmus; is, quem auctorem ſequuntur ij, qui rectiſsimis ſtudijs audent repugnare; neque indiſertum illum, neque infantiſsimum eſſe iudicaré. Nunc uerò, quia inuſitata quadam moroſitate ſibi hominem finxerat, quem accuſaret, non eum quem eſſe oportebat: affirmo nullum eſſe, ne in cętera quidem illius tanta diſputatione argumentum, aut uerbum denique ullum, quod mihi refutandum ſit, & uel mediocriter nos lædere uideatur. Neque profectò hic intelligit, cum in ſtudijs omnibus & omni ui-

ta, tum hac in re potiſſimùm, quanta res imitatio ſit? nec eam iam relinquit ullam, omnino ea diligentia ſublata, ut aliquorum in oratione, ſimiles eſſe ſtudeamus. Eadem enim in re atque tẽpore ſimilis eſſe omnibus ne Proteus quidem ipſe potuiſſet unquam. Similem eſſe nemini, ut mõnſtrum aliquod inter homines, quis probet? Quorum utrum ſi eueniat;

Humano capiti ceruicem pictor equinam.

Quòd ſi commoda res quædam habita ſemper imitatio eſt, ijs certè maximè neceſſaria debet uideri, quibus non iam ex uſu domeſtico, ut olim Romæ, ſed ex lectione auctorum perfecta illa ſermonis Latini ratio diſcenda eſt. Quod autem iſti contra illam diſputant, uitia fortaſſe quædam ſint imitatorum potiùs, nulla imitationis. Eſt enim illius, ut cęterarum quoque rerum omnium, ratio quædam & modus; ut, illa adhibenda, néue rudes & tardi, néue inepti & nimij eſſe uideamur. Nam illa quoque uitari oportebit.

O imitatores ſeruum pecus,

Noſti reliqua, & huius poëtæ omnia. At fuerunt, inquit, poſt Ciceronem plurimi, quos rectiſsimè liceat imitari. Nunquam efficies moleſtia tua, ut detraham ego aliquid doctiſsimis uiris: illud tamen reſpondeo, quando imitatione hæc diſcere prorſus neceſſe eſt, te Eraſme ex illis cuiquam uni ſimilem non eſſe, omnibus (ut probaui) ne potuiſſe quidem; & imitari tantùm optimos oportere, & nouam, ac fœdiſsimam barbariem à te in Italiam fuiſſe allatã. Quod

N etiam

etiam è doctis quidam ſcripſerunt apum & humanorum corporum exemplo nos debere imitari; quòd hæc ſanguinem, illæ fauos, id eſt res omnino diuerſas efficiunt à tam multis, & cibis & floribus, undè nutriantur: eſt illa non ſermonis aut orationis componendæ imitatio; ſed rerum, quas à ſcriptis doctorum omnium ſumendas rectiſsimè iudicauerunt. Hinc Cicero ipſe præcepta dicendi ex omnibus, qui ante ſe fuerunt, Latinis & Græcis collecta, literis mandauit, illa ſumens, quæ in quoque excellentiſsima cognoſceret; ut Zeuſis quondam apud Crotoniatas, Helenam ex plurium electiſsimarum uirginum corporibus effinxit, illa de ſingulis ad picturam transferens, quæ uenuſtiſsima eſſe uidebantur. Sed ego non tenebo te pluribus, unum illud ſi addidero, non effici unius imitatione, ut (quod negant poſſe fieri) omnino ſimiles omnes in dicendo ſimus. Aiunt enim, quanta in hominibus diuerſitas eſt oris, uultus, atque animorum; tantam ex cuiuſque natura & occulta ui quadam ſolere eſſe orationis. Audio iſta: ſed non continuò inde fit, ut non præſtantiſsimos imitari debeamus, uel ex iis nihil aſſequi poſsimus. Nam, quod natura quidam ſunt graues, leues, aſperi, profluentes, ſuaues, acuti, ſubtiles; ſunt hæc eiuſmodi, ut partim mutari, aut corrigi poſsint imitatione; partim maneant eadem, ad quamcunque orationis formam te accommodâris: ita ut diuerſitas futura penè eadem fuerit eorum, qui unum multi imitati eſsent. Nõ enim, quòd Ephorus & Theopompus eodem in ludo, iiſdẽ

præ-

præceptis inſtituti, tum diſsimiles inter ſe fuerunt; ideo nihil ab eo, quem ſolum audiuerunt, ſuo præceptore Iſocrate didicerunt. Atque illi etiam, qui Ciceronem ſequuntur diſerti & literatiſsimi uiri, diuersè pro ſuo quiſque ingenio, natura ac ſtudio linguam illius, & orationis filum ornatiſsimè, & ſumma cum laude præſtiterunt. Quamobrem perges tu quoque doctiſsime & ſapientiſsime Princeps, Marcum Tullium eo loco habere, ut quàm plurimi ad illum imitandum exemplo atque auctoritate tua incitentur. Tenes profectò ab ineunte etiam ætate illius formam dicendi; ita ut in eo genere pauciſsimos habeas pares, ſuperiorem certè adhuc neminem. Ita enim eloquentiam & omnes ingenuas artes amplexatus es; ut opinione quoque ac iudicio hominũ, non opes, quæ tibi ſunt ampliſsimæ, non urbes & hoc regnum tibi à patre relictum, non quicquid ſpeciem quandam dignitatis & glorię habere putatur, tanti facere uideâre. Me quidem certè præclara illa uox Alexandri Regis, ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν, *nunquam deterrebit, quò minùs illi, ut ſapientiam & humanitatem tuam, & in omnes homines beneuolentiam; ſic ſtudia quoque & doctrinam, quæ eſt in te ſingularis, & inductionem iſtam uoluntatis, anteponam. Sed nunc illud te oro, & obſecro, quando & imitatio neceſſaria eſt, & optima oportet imitari, & M. Tullius in omni genere optimus eſt omnium, & calumnia aduerſariorum patefacta eſt; neque auctoritas*

te cuiuſque, neque hominum quorundam, qui pauciſſimi ſunt, & doctorum iudicio à literis alieni, ſententia moueat; quin te in hac ſtudij diſſenſione, inter me & illos ęquum iudicem præbeas. Vale.

Sergio Paſaniſio, Manduriam. XCIIII.

HERI *occupatus repentino aduentu & ſermone fratris mei, reſcribere ſtatim non potui. nunc etiam rebus uarijs & cogitatione ſumma eram impeditus. Literæ tuæ reſperſæ ſale Romano illo uetere, & iſto ad me de ſalinis ueſtris à te miſſo, uehementer mihi gratæ fuerunt. Fateor me ineptum hominem et inſulſum potuiſſe tibi hactenus uideri. itaque te condire uoluiſſe arbitror inſulſitatem meam. Extra iocum, tibi ago gratias. De menſuris, Brunduſii habebam: quum reddetur, illum ad te mittā. Sed omnino doleo nimiā facilitatem meā, qui inuitus illa etiam omnibus iam penè diuulgaui, undè mihi apud doctos periclitari neceſſe eſt fama ingenij et literarū. Tamē expectabimus, et ſpero tuæ quoque uoluntati à me ſatisfactum iri. Interim nos amabis. Vale. Vriæ. IX. Cal. Martij.*

Nicolao Craſſo, Lupias. XCV.

QVAE *requirebas mea ſcripta, ea eiuſmodi ſunt, ut à nemine legi uelim. deinde nihil in ijs erat, quod tibi utile eſſe crederem. Non enim ignoras tu, quàm occupatus ad ea ſcribenda aliorū ſuaſu acceſſerim: quàm libenter paucis poſt diebus ab ea*

ſcri-

ſcriptione deſtiterim. itaque ignoſces arbitror, quod hoc unum tibi etiam negare auſim. Agros uerò ego nullos eram mercatus. de frutetis quibuſdam potiùs arbitror tibi fuiſſe nunciatum, quę ſuccidenda ſuſcepiſſem. De ſtudio tuo iuris Pontificij, & profectione Patauina, laudo conſilium tuum. puto enim te iuris etiam ciuilis prudentiam minimè eſſe neglecturum. Dementiam hominis arrogantiſſimi illius, de quo ad me ſcribis ſemper, antè cognoueram. ſpero illum temeritatis pœnas dare uel hoc ipſo, quod bonos uiros maximéque ſuos neceſſarios de ſuo ſcelere ac ſtultitia celare non potuit. Tu Pratos tuos clariſſimos uiros coles, illiſque meo nomine ſalutem dices. Vale. Vriæ.

Ioanni Antonio Palliæ, Iuuenatium.
XCVI.

REDDITAE mihi ſunt à te literæ plenæ humanitis. nihil enim aut officijs aut beneuolentia maiore fieri poſſe iudicaui. Sed, quod etiam præ te fers de meis ſtudijs tãtam eſſe opinionẽ tuam, quantam ego tueri profectò non poſſim, méque ad ſcribendum hortaris; id in eam partem accipio, ut ex ui quadam amoris in me tui profectum eſſe uideatur. Quamobrem ago tibi gratias immortales, & cõſeruabo ſemper ſuauem memoriam nominis tui: &, quantum patietur mediocritas ingenij et literarum, quantum permittet difficultas rei familiaris; conabor obtemperare monitis & auctoritati conſiliorum tuorum. Inſcriptiones de ueteribus monumẽtis, quas

ad me miſiſti, mihi gratiſsimæ fuerunt. Miſi ad te uiciſsim, quas Brunduſii, quas Vriæ, & in Salentinis colligere potui; neque multas illas, neque iudicio meo ualdè perfectas. In neutris enim ſunt, quę circa ętatem C. Cæſaris, id eſt, florente adhuc Romana lingua, facta eſſe queam ſuſpicari. Has ipſas tamen ego haud inuitus imitari ſoleo, quæ ad ueterem illam bonorum temporum elegantiam non malè uidentur eſſe accommodatæ. Itaque te etiam planè rogo, ſi quid eius generis tibi allatum præterea ſit, ad nos mittere pro tua in me beneuolentia non grauêre. Quæ autem curari à me uis apud Felicem Faſianũ de nummo uel Galbæ, uel Vitellij, polliceor me non defuturum eſſe unquam, ne mediocri quidem uoluntati tuę. Nunc impediebar undique negotijs, moleſtijs, ęgrotatione familiæ, aduerſa etiam ualetudine mea. Vaſtæ, quam ſcribis, ne nomen quidem antè audiueram; ubi Meſſapiorum literas uidere potuiſſem; quarum, lectis tuis literis, magna ſum affectus cupiditate cognoſcendi. Quare pergratum mihi feceris, ſi Antonij Galatei χωρογραφίαν Iapigiæ, paucis diebus mihi legendam miſeris. Illam enim uix confido me poſſe hîc apud quemquam noſtrorum hominum inuenire; & eſt mihi tum ad hæc ualdè grata, tum ad alias minimè leues cogitationes meas præcipuè neceſſaria. Hoc te uehementer, etiam, atque etiam rogo. Vale, & me, ut facis, ama. Vriæ. VII. Idus Sextiles.

Ioanni

Ioanni Bernardino Bonifacio Vritanorum Principi. XCVI.

DE Coriolano ſcio te ne expectare quidem iudicum meum. nam de illius ingenio, ſcientia, literis, uerſu & proſa oratiõe, quibus mea ſententia ualet plurimùm, honeſtiſſimè ſentis, & loqueris. Illud uehementer doleo, quòd, quum ſuperioribus diebus ad te ueniſſem, dixiſti meam utrique ueſtrûm de Latina lingua ſententiam non probari. Quid enim mihi eſſe acerbius poſſit, quàm rationẽ ſtudij mei reprehendi à te homine uel nobiliſſimo, uel ſapientiſſimo; quem iure docti ſentiunt rectiſſimè omnium iudicare de literis? Mihi quidem certè non contigerat adhuc aliqua de re diſceptatio, vbi grauioris, aut illuſtrioris perſonæ iudicio damnandã eſſe mea opinio uideretur. Quis enim eſt eorum omnium, qui in literis uerſantur, quem aut exercitatione dicendi, aut ſplendore orationis, aut ullo genere doctrinæ, aut amplitudine dignitatis tecum cõferre audeam? Contigit illud profectò tibi, quod antea pauciſſimis, noſtra uerò ętate propè dixerim nemini; ut in ſumma nobilitate, fortuna, potentia, pluris tamen homo doctiſſimus ac ſapientiſſimus, ſtudia & ingenuas artes facere uidearis. Vide igitur, quo animo eſſe me oporteat, quum iudicio atq; auctoritate tua, qua parem habes neminem, damnare ipſe cogar inſtitutum ſtudij mei, in quo multũ ac diu uiderer mihi non inuita Minerua otium conſumpſiſſe. Credas

mihi,uelim,hoc perinde eſt,atque ſi mea ſtudia omnia contemnens, tanquam à memet ipſo diſcedam; & homo id ætatis in literis repueraſcam. Nam quid per fidem,mihi faciendum cenſes? Aliud ac nouum parare genus orationis difficile eſt, & incommodũ; neque ad id ætas idonea,etiamſi oporteret. dediſcere autem,quod tandiu ſis amplexatus, ex numero eſt eorum,quæ nos ἀδύνατα nominatis. Verùm,quando uel ratio,quam ſemper cupiam mihi eſſe antiquißimam,amplitudinis tuæ;uel timor ſcientiæ incomparabilis, uel mea infantia potius mihi obſtitit, ne ſatis adhuc de conſilio meo diſputarem; his literis conabor; ſi potero, tota ea de re,quid ſentiam,explicare. Ac primùm illud mihi cum omnibus conueniat, neceſſe eſt;ut cæterarum quoque rerum, ita linguæ etiam Latinæ, & auctorum qui illa ſunt uſi,gradus eſſe quoſdam perfectionis illius,quam (niſi uitiũ eſt ſequi in rebus perfectißima) qui literas profitẽtur, ſtatuo ſequi omnes oportere. nemo enim, qui latinè ſcripſerunt,omnes dixerit eſſe perfectos. Nam, ut illos omittam,qui ante mille annos uſque ad patrũ noſtrorum memoriam fuêre, quorum ſinguli diuerſiſſimum inter ſe, & nouum,atque germanæ latinitati maximè contrarium loquendi genus quoddam tenuerunt; Romę etiã ipſos ciues Romanos, libera adhuc ciuitate, ſcimus alium alio fuiſſe in loquendo puriorem; plurimos uerò media in rep. in ſenatu & in foro, barbaros & malos auctores latinitatis, atque etiam Oſcos per iocum à doctioribus nominatos fuiſ-

ſe.

ſe. Natura enim ita comparatum eſt, ut optima quę ſunt, quàm pauciſsimi conſequantur. quod quum in rebus omnibus fiat, quæ labore ac ſtudio paramus; tum in hac potiſsimum, qua de agimus: ita ut alia in re nulla pauciora ſint, quæ perfectiſsima dicere poſſimus. Sed ego non dicam hoc loco auctores, qui in hoc genere perfecti, ſemper à doctiſsimis iudicati fuerunt. Illos etenim quum eſſe pauciſsimos neceſſe ſit; & Germani quidam, ſcriptis etiā ad hanc rem libris non eos imitatione, ſed ſi Dijs placet, inuidia dignos iudicârint; non proponā ampliùs M. Tullium, neque apud eos illi maiorē inuidiam concitabo. Partes igitur purè & latinè, uel barbarè & inquinatè ſcribendi, non hominibus quibuſdam, ſed quorūdam temporum felicitati aut ruinæ tribuendas reor. Nā quid tandem, per Deos, id uolumus eſſe, quod dicitur Latinè loqui? nempe id, quod nō Grāmaticorum prę ceptis, nō mea aut alterius, ac ne ipſius quidem M. Tullij, aut Cæſaris, aut Varronis, aut cuiuſque uolūtate conſtet: ſed incorrupta & pura Latij atque urbis Romæ publica & uetus conſuetudo ſermonis. Quòd ſi ea uera latinitas eſt, nec aliquid eſt, quod præterea ſequi debeamus; illud rectiſsimè iactatum ſemper eſt à doctis omnibus, ut néue à piſcis Latinis ac Rege Euandro; néue ab ijs, qui poſt Octauiani Cæſaris imperium, ſcripſerūt, Romanè loqui diſcerent. Nā, qui poſtea ſunt inſequuti Latini ſcriptores, quū in urbem maior peregrinitatis licentia peruaſiſſet, & iam ſplendor ille antiqui ſermonis interiret, atq;

ad illam

ad illam barbariem inclinaret, in qua mille quingentis annis fuit: ipſimet, nequid aliud dicam in ſe atque in ætatē ſuam, genus quoddā orationis uix illa vrbe & nomine Romano dignum confitentur. Itaq; de iis, qui poſt Octauianum uſque ad hanc ætatē fuerunt (quantum attinet ad orationem formandam) nihil arbitror dici oportere. Qualis autem à Rege Romulo ad L. Menenium Lanutum, & P. Sextiū Vaticanum Conſules Romæ lingua fuerit, ſcire non poſſumus. Poſt illorum enim Conſulatū Decēuiri illi XII. tabulas ſcripſerūt, anno poſt Romam conditam CCCII. quorū ſermone equidem fruor magis, quàm utor. illa.n.legens mira ſuauitate perfundor antiquæ maieſtatis; & in illo genere imitandā quoque permitterem candidiſsimam & ſimpliciſsimam loquendi figuram. Quos autem non tutò ſolùm, ſed maxima etiam cum laude poſsis imitari; ij fuerunt à M. Catone Cenſorio ad Coſs. Druſum & Norbanum, finémque imperij Octauiani Cæſaris. Quòd ſi hæc ratiocinêre, non plus ducentis quadraginta ſeptem annis fuerunt, quos incorruptiſsimè ſcribere credamus. Nam antea quidem aut ſermo nondum erat illuſtratus, aut literis nihil mandabatur, aut doctorum hominum ſcripta, ne ad ipſos quidem maiores noſtros peruenerunt. Deinde uerò poſt illum, quem dixi Cæſarem, tametſi doctiſsimè diligentiſsimeque ſcripſerunt aliquot annis quidam: ueterem illum tamen ſplendorē latinitatis non tam ipſis hominibus, quàm ætati, & Latio, & urbi Romæ fatendum eſt defuiſſe.

Illos

Illos igitur, qui adhuc ſaluis rebus & lingua Romana, inter utroſque medij fuerunt, ita ut ne poſſent quidem aliter, quàm Latinè loqui; ſolos in oratione faciẽda cenſeo imitandos. Nã, quod pro humanitate tua, beneuolentiaque in me ſingulari, ueritus es etiam, ne illud obſit meis ſtudijs, quod unum M. Tullium complexus, cæteros auctores uniuerſos uiderer funditùs repudiauiſſe; habes iam in ea re, quid & ego ſequar, & alijs quid ſequendum putem. Illa autem ſuſpicio tibi ex eo, ut arbitror, iniecta erat; quòd in ſermonibus noſtris libenter eius nomen uſurpare cõſueui; et in ſcribendo olim plurimis maximiſque auctoribus me ad imitandam illius formam orationis conuertiſſem. Vtinam uerò me illa ætate ad minimam quandam illius dictionis umbram conformare potuiſſem. Cogit enim ratio imitationis id, quod & docti homines præceperunt, & nos longa meditatione ſumus experti; de multis, quos diuturna lectione detriueris, unum deligere aliquem, cui ſimilis in oratione eſſe uidearis. Itaque nunc mihi uix ullum eſt otium, quod illius imitationi dare poſsim; &, ſi eſſe poſſet aliquod, grauioribus illud in ſtudijs mallem conſumere: gaudeo tamen uehementer me quondam ὄνος λύρας *ad illius potiſsimum dicendi genus quoquo modo fuiſſe inſtitutum. Nam ſi, quum tanti ac tam admirandi oratoris eloquentiam, quotidie ſummo ſtudio meditarer, neque infantiæ partem ullam, neque barbariem depellere omninò potui; quid tandem arbitramur, niſi ad ea, quæ ſunt optima, olim adoleſcens tan*

to labore cōtēdiſſem? Sed ego ad illud reuertor, quod dixiſti, non poſſe eũ, qui unius M. Tullij ſtudio teneatur, rem militarē, architecturā, aut ullas artes, atq; res, de quibus ille non ſcripſit, pertractare. Ego uerò hoc ita accipio, quaſi explorandi iudicij mei gratia, mecũ uolueris iocari. Non enim ignoras tu, quæ ſumma tua eruditio eſt, ſummumq; ingenium, duas eſſe (quādo tu ad hanc diuiſionē me impuliſti) imitationes. Vnā orationis, alteram (ſi tamē imitatio ſit dicēda) uerborum. De oratione dixi iam, quemadmodum ea mihi formāda uideretur: uerba autē nunquam eò dementiæ ueni, ut ea (modò ſint Latina) ſumenda ab omnibus negarem. Nā quid aliud nobis eſſet faciendũ, ſi de Philoſophia, Dialectica, Aſtrologia, Arithmetica, Mathematica, aut quauis alia ſcientia, tractatio, ſermo, aut diſputatio incidat; neq; feliciſſima ętas illa, quā ſuprà dixi, ſuppeditaret quibus aptè eā proloquamur? Neq; uerò me parum Tulliane loqui credam, ſi quod in Architectura neceſſarium uerbũ, modò Latinũ illud ſit, à Vitruuio; in hiſtoria et re militari à Liuio; ruſticis rebus à Plinio; ciuilibus, à Iureconſultis mutuabor. Nam, ut Ciceronis more, aut potiùs ut Latinè & purè dicamus, non ſingulis uerbis tātùm ſpectatur, quæ ſumpta à ſcriptoribus Latinis quibuſcunq;, Latina eſſe neceſſe eſt; ſed ſtilo et genere ſermonis proprio urbis et ciuiũ Romanorũ, quod uidemus Catoni, Plauto, Terētio, M. Varroni, C. Cęſari, et pauciſſimis illius pauloq; ſuperioris ętatis fuiſſe cōceſſum. Ego igitur, ut nihil interim loquar de Poëtis, quos uſque ad ea tēpora, quæ circa Nerbani (ut

dixi)

dixi) aut Planci Conſulatũ fuerunt, omnes amplector; uerba, ſi res cogat, non ab illis tantùm ſumenda exiſtimo, quos antè nominaui, quũ uicini ſaltem fuerint optimis Romanæ linguæ tẽporibus: ſed à noſtri ſeculi hominibus etiã, ſiqui ante nos de nouis rebus, neque olim adhuc repertis conſcripſerunt. immo etiã ne nobis quidẽ, ſiqua res noua explicanda ſit, nouorum nominũ inuentione debet interdictũ uideri. Habes, optime Princeps, rationẽ ſtudij mei, quã ſi Ciceroniano ſuo Eraſmus dediſſet, affirmo cũ nihil fuiſſe habiturum, quo tam longa diſputatione in Italia etiã iuuentutis rectiſsima ſtudia labefactaret. Non audiuêre tamen illum, aut Flamminius, aut Manutius meus, aut Bẽbus, aut illius collega Sadoletus, aut Perionius, aut Contarenus, aut innumerabiles doctiſsimi uiri; qui ſapientiſsimis cõſilijs, & ſcriptis luculentiſsimis nos & omnem Italiã ab illa barbarie ad antiquã Latinè ſcribẽdi conſuetudinẽ traduxerũt. Sed ego tamen mihi faciẽdũ puto, ut hac de re tota nihil adhuc ſtatuã, et iudicium meũ ad congreſſum noſtrũ et literas Coriolani differre malim, meãq; ſententiã accommodem potiſsimùm ad tuã. Itaque tantum te rogo, quantum adhuc alia de re nulla, hanc epiſtolã non ad te ſolùm eſſe ſcriptam arbitrêre; ſed, quum primùm per tabellarios licebit, ad illum quoq; mittendam cures. Scio enim utriq; ueſtrûm eo nomine ſtudium non probari meũ, quòd uidear unius M. Tullij oratione delectari. Ego uerò explicaui, ut potui, quæ in eo mihi recta eſſe uiderentur. Verùm, ſi

falſa

ſalſa ea ſint; oro tamen, & obteſtor, me nihil aliud niſi ueritatem quærere exiſtimes, quam ego doceri à te ex Coriolani literis maximè uelim. Neque ſum ueritus, ne tuę, aut illius humanitati ſim moleſtus, numquam enim tu occupationibus rerum ampliſsimarum, & iſta cogitatione Britannicæ profectionis; ille uerò ſuis & Cæſaris negotijs tam poteſt eſſe diſtentus, quin uobis præcipua cura ſit honeſtiſsimi otij, & literarum. Denique illud uolo eſſe teſtatiſsimum, me non facultatem rectiſsimè ſcribendi, ſed conſilium & uoluntatem mihi uendicare. Vale.

Scipioni Granapheio, Patauium. XCVII.

SI uales, gaudeo. apud nos rectè. De tuis rebus nō ignorabam te accepiſſe à patre tuo literas. Te amo, quantum præterea neminem, paucis hoc habeto. non ſoleo enim eſſe blādus, & tibi nota eſt libera ſimplexque mea natura, & mores, Literas tantum coles, quantum nos amas, ac te potiùs ipſum. Iuris quidem ciuilis præcipua ſit cura: tamen illud ſine humanioribus literis eſſe nullum putabis, Denique fac, ne tibi effluā ipſe ex animo, id eſt conſilia mea. eſt nāq; ut in cęteris magna, ita in iſta etiam urbe nonnulla corruptela ſtudiorum. itaque uide, quid ſequâre. Doctiſsimos omnes cōſule, quorum iſthic maiorem habes poteſtatem audiendi, In literis Robertellum obſerua. Manutium cole, cuius ego, iſthic ſi eſſem, legitimum inſtitutum eſſe mihi uellem paucis quibuſque diebus ſalutandi. Hanc te meam uoluntatē non pœni

teat

teat imitari. tametſi ſcio, quàm ſit ille in ſtudijs, & obſcuriſsimarum rerũ tractatione occupatus. Quãobrem ne ſcribere quidem ad illum nunc debui. nolui enim tantis illius cogitationibus obſtrepere. Sed illud ſcilicet ſignificare uolui, eius monita, uel de ſermone ſiquando fieri poſsit; uel de ſcriptis, quorum adhuc magna copia eſt, & ſperatur in dies maior; tibi non eſſe prætermittenda. Natus enim uidetur is ad latinitatem, & literas omnes illuſtrãdas. Dij nobis illũ ſeruent ad perficienda, quæ cogitat. Vide tamen Scipio, ex his quid ego uelim. Iurecõſultos cenſeo uites, hoc eſt ſordidum aliquod genus literarum. ex ijs enim pauciſsimi ſunt hodie, qui doctrinã politiorẽ nôrint ullam. Itaque iura tantum ab illis, literas autẽ ab eruditis diſcito. quæ iureconſultorum ſunt propria, hæc ſola ab ijs capeſsũtor. Sed, quæ mihi ad iocum exciderunt, ſeriò abs te cõfido eſſe accepta. Laura in officio non manſit. poſt diſceſſum tuũ dixit neq; tua, neque patris tui cauſſa uelle ſe meam audaciam atque inſolentiam ferre. uirum commouit cum uicinis, ut Prætorem, ut Regem, ut Cæſarem appellaret. Quibus illam modis acceperim, quomodo omnes tractauerim, longum eſt ſcribere, acerbior ſum viſus, quàm mea fert natura. poſtquam eos mancipiorum loco habere cœpi, ſunt amici omnes, & rem uidentur lege ac more factam ſentire. Redeo ad illud, ut et iureconſultus & bonis literis ornatus reuertâre. Sed quando ea tua fortuna eſt, ij mores, ut ſcientia tua nullum ad quæſtum abuti uelis; præcipuam quandã

naues

naues operam in ſtudijs literarum. Græcæ linguæ ſtudium caue intermittas, ne ſcientiæ quidē ullius cauſa. Dum abes, nullam à te epiſtolam accepi. primo quoque tempore Latinè ad me ſcribas, uelim. Sebaſtianus Thomaſinus eſt Neapoli, Latomus Bononię, Hieronymus ſororis tuæ filius eſt mecum, tibíque ſalutem aſcribit. Sed plura ſcribere uix datur. Expectabantur literę in portu. ſcribebam loco alieno perincommodè. indicant hoc turbatæ literæ, ut non mea manu me ſcripſiſſe dicas. Vale. Brunduſii.

Braccio Martello Lupienſium Pontifici, Lupias. XCVIII.

CVPIEBAM inuenire genus aliquod ad te literarum dignum eruditione, grauitate, et ſciētia tua. ſed, dum id quæro ambitioſiùs, propè in illam incidi culpam, ut ne in poſterum quidē mihi aliquid relinquerem, quod ad te ſcribendum putarem. Nūc igitur malui officium ſequi; & ineptè ac ruſticè aliquid ad te, quàm prorſus nihil dare. Acceſſit & fratris mei tùm crebra ſemper, tùm ſuperioribus diebus uehemens quædam adhortatio; qua me, ut ſcriberē, incitauit, & tibi gratias agerem de tua in nos uoluntate; rogaremque, ut, quemadmodum hactenus feciſti, ſe ac ſua ſtudia tueâre. Ego uerò illud mihi antiquiſſimum putaui, ut tibi meū in te animum, et admirationem uirtutis literarū, ſcientiæ, et amplitudinis tuæ non ignotā eſſe uellem. Tametſi enim adhuc uel ſcribendi, uel ad te ueniendi poteſtatem eripuerint

rint

rint nunc moleſtiæ, quibus opprimor aßiduè, nunc pudor meus, quo fio ad res omnes tardior: ſemper tamen colui ſanctiſsimè apud omnes homines famam laudis, & memoriam nominis tui. Neque ego dubito, quum tu fratrem meum diligas, charumque habeas; quin me quoque illius amantiſsimum eodem apud te loco eſſe uelis. Illum tamen, & mea ſponte, & rogatu ſuo, tibi ſic commendo, ut gratias agam potiùs, quod etiã ſine his literis, & commẽdatione mea eum complectâre; & rogem, ut quibuſcunque poſthac rebus poteris, poteris autẽ plurimis, eius in iſta urbe ſolitudinem, & rectam de literis, & antiqua latinitate ſententiam ab indoctis ac barbariæ patronis hominibus, ludibrio haberi ne permittas. Vides enim, quàm præfractè iſti nobis repugnare audeãt; & quanta obſtinatione animi ſuum illud uetus ac fœdum genus literarum defendentes, nos & recta ſtudia labefactare, eijcere, atque exterminare conentur. Denique ſic tibi perſuade, nullam uideri eſſe ſpẽ in tanta noſtrorum hominum inſolentia ac ſtupiditate, fore, ut uel rectè literati homines exiſtimationem retineant, uel bonæ literæ non funditùs repudientur; niſi graues quidam & magna uel ſcientia, uel auctoritate principes uiri ſuo quodam iure his opem ferant. Hac de re non dicam plura, nec meum & bonorũ omnium refricabo dolorem; quum recordor uel maximam, uel ſolam potiùs eſſe cauſam interitus literarum, quòd, qui populis imperant, & rebus publicis, aut alijs quoquo modo præſunt, uel expertes

ipſi ſunt omnis doctrinę; uel ſtudia, & ſtudioſos homines fouere non ſuum eſſe officium arbitrantur. Quamobrem perges tu, ut facis, Martelle ſapientiſſime, fratrem meum tueri; & boni Pontificis officium, atque partes exiſtimabis, non minus eſſe literas ac diſciplinas, quàm ritus, mores & ius Pontificium in ciuitate ac διοικήσει *iuriſditioneque tua retinere. De meo autem in te animo & obſeruantia ſic ſtatutum habeas, me non tam fortuna iſta, & ſplendore, quàm doctrina literíſque tuis inductum, nihil habere, quod amicitiæ tuæ anteponam. Vale. Brunduſii. Idibus Ianuarij.*

Donato Argentario, Vriam. XCIX.

PAVCIS *ad epiſtolam tuam. Corradus queſtus eſt per literas tam diu ſe Barij ſuſtentare nõ poſſe. pecuniam eſſe amiſſam intelligo. Euerſa res eſt per eum, qui uobis non ſtatim meas literas reddidit, antequam regina diſceſsit. Ea nunc regem audit, ne ſcio quem, & legationibus operam dat. multos etiã dies auferet Gonſaga. Denique ualdè ſuſpicor fore, ut Corradus re infecta reuertatur. ſubſidium enim illi per quem mittam, habeo neminem. De bello ciuitatis noſtræ, illud ipſum à te peto, quod proximis literis meis ad te ſcripſi. Quòd ſi me iterum, ac ſæpe interroges; nihil tamen erit, quod aliud reſpondere poßim. libros autem ego nullos habeo, unde aliquid eruas certiùs, quàm de tuis. tamen uidebis. Fratris mei uideo infirmas eſſe rationes. proſpice, ſiquid potes,*

tes, ut erat in tuis literis. Curabo de oratione, quod mandas; exigua tamen cum ſpe perficiendi; quod uolumus. Noſti enim mores hominum; quod ſi non impetramus, quum ipſe ad te ueniam, dabo operam, ut tibi perinde ſit, ac ſi illam legiſſes. Pomponium, audio à multis; uideri ſæpius, quàm ſalus ipſius poſtulat. ſcribes ad illum, ut uidebitur. De aquis Germanis te rogo, ut cogites; & , quicquid potes, odorere, ad méque perſcribas. Sed nihílne tibi opus eſt pecunia, quam abs te mutuam accepi? Queror, quòd malum nomen me faciat indulgentia tua. meminero tamẽ, & ſoluam tibi à fratre meo natalibus; aut ſi qua res cogat, à me numerabitur ſtatim. Ne committas, obſecro, ut ego de tuis rationibus aliquid conturbẽ. te amo. Saluta meos omnes, hoc eſt domũ tuã. Fac ualeas, & nos ames. Brundusij. XVI. Cal. Decẽ.

Donato Argentario, Vriam. C.

SCIS *pecuniam deberi mihi à fratre meo. Triticum oportere diuendi, quo mihi ſatisfiat; interfuiſti, quum ille diceret. mandatum ab eo, ut ita fieret, credo etiam te audiuiſſe. Ad te potiùs hac de re, quàm ad procuratorem ſcripſi, quò illum urgeas tu coràm uehementiùs. Rem expediri quàm primùm, ualde quidem mea, ſed plurimùm fratris quoq; mei intereſſe uides. Me nondum ſatisfacere creditoribus duco eſſe turpiſſimum; & conſtans opinio eſt omniũ, fore ut triticum ineunte Februario ueneat minoris. Quare ternis H-S in modios, non tàm rationum*

mearum, quę me uehementer ſolicitant; quàm fratris cauſa, totum nunc dari uelim. Arbitror tamen, ex eo collectum eſſe iam aliquid nummorum: quod ſi eſt, facies, ut ſciam. ſed prorſus nimium raras tuas accipio literas. Cum Granapheio conſtitues, ut uidebitur: ego tamen duabus pẽſionibus uellem diſſoluere, calendis uidelicet Iunij, & Quintilis. Sed omnino tota in hac re te auctorẽ ſequar, triticum ſi uenerit. Vale. Brundusij.

Donato Argentario, Vriam. C I.

QVID ad te ſcriberem ex tuis potiſsimùm literis putabam conſtituere oportere. Aſtuneenſes tamen ſericum uendiderant, antequam ego ad ipſos ueni. itaque huius generis nihil ſperari poteſt. Vides igitur pecunia rem eſſe tranſigendam. ea mihi Aſtunei à ſponſore, quem ego de priuatis hominibus poſtulaui, idibus Ianuarijs debetur. Tãta eſt, quãti Corradus litem æſtimatam eſſe narrauit. ſanè puſilla; eáque æſtimatio noſtris amicis minimè probatur. Putant negotium mihi integrùm relinqui debuiſſe. ualde enim profectum eſſet. Atque hæc quidem huiuſmodi ſunt. cætera nihil opus eſt ſcribere. tu rẽ noſti. Scribes ad me, quid cum Roberto egeris: aut, ſi nihil uidebitur obeſſe feſtinatio, cogita, quid fieri poſſit. De ſolutionis tempore ſcito me laborare magis, quàm de pretio, utrumque tamen tu pro tua prudentia conſtitues. Sic denique tibi perſuadeas, uelim, mihi quicquid egeris, maximè ratum fore. Amicum il-

lum

lũ ἐν ἀκροπόλει modis omnibus fac mihi recõcilies. ſic habeto, me hoc pluris, quàm aquas Germanas facere. Frumentum iubebis afferri. ſoluam ego pro uectura. Quæ ad Sergium ſcripſi, curabo, ut habeas. Vale. Brunduſii.

Donato Argentario, Vriam. C I I.

QVOD *tandiu nihil ad me ſcribas, non iraſcor tibi: iraſcerer tamen, ſi fas eſſe crederem. Dij boni, quantas, & quàm indignas à me pœnas ea re ſumis. Nam, cur ſcribere noluiſti; quum ſæpe fuerint, quibus dare poſſes; & tantis de rebus aueam ſcire, quid agatur? ſi enim facere interdum potes, ut anxietate hac mea delectêre: at rebus meis tamen debes conſulere, quarum hoc tempore ea ratio eſt, ut magno ijs detrimento ſit, quod nihil à te ſcire poßim. Genus enim amoris quoddam eſſe duco, etiam amici iracundiolam uideri tibi eſſe iucundam; ſed iactura quoque rerum illius non moueri, tu cogita, quid hoc eße defendas. Sed utî dicebam, tibi iraſci, nec debeo, nec poſſum. patior enim, & potiùs amo irritatiunculas etiam tuas; uide tamen, hæ quantum nunc quidem obſunt. Quamobrẽ rogo, & obteſtor, quàm primùm, quàm diligentißimè, de meis & utriuſque noſtrûm rebus ad me ſcribas. ſi nemo erit, cui des, aliquem ad me certum hominem mittas; qui ſi is erit, cuius tibi fides perſpecta ſit; mittam ad te nummorum aliquid. Meas tibi ad amicum miſi literas. ſi profuturas aliquid arbitrêre, illas obſignabis; & tem-*

pus idoneum captabis aliquod, ut cum eo de ijs, & ſententia mea, & in ipſum uoluntate loqui poſsis. re ctiſsimè literas ante perſpicies, quidque res ipſa po ſtulet uidebis. Sed illi in primis excuſationem affe res, quam potes, accuratiſsimā, quòd mea manu ſcri bere non potui. impediebar enim parui dolore uulne ris, quod ipſe mihi in pollice feciſſem. De cõtrouerſia autem credo te intelligere, ut hic orationis à uerbo rum iudicio non distinguat. Hoc ſi poſsis illum doce re, non dubium, quin aduertat mihi ſecum diſceptatio nem uix eſſe ullam. Ferdinandus aiebat excidiſſe in uia ſibi, neſcio quid ad me literarū. ſuſpicabar fuiſ ſe in ijs literas tuas. Vale. Brunduſii.

Donato Argentario, Vriam. CIII.

ACCEPI tandem à te literas, quum ſubita at que impedita opera, earum legendi nec minimum temporis punctum dabatur. Mihi tamen ſum uiſus intelligere quicquid de Granapheio, & de Bonifacio Principe ſcripſiſti. Illud tamen, quod erat in epiſtola tua, αἴνιγμα τοῦδ᾽ ες, poſtea uiderimus. De Granaphei negotio tranſige mihi quàm primùm, & quã ti uidebitur. res tibi omnis cognita eſt. Facies, ut bre ui ſciam, quid actum ſit, aut conſtitutum. mihi quidem certum eſt emere. Quod putas eſſe in meis lite ris, mandaſſe me tibi, ut meum ipſe frumentum uenderes, legendum fortaſſe erat accuratiùs. nunquam mihi in animo fuit ita illiberaliter abuti opera tua. Vale. Brunduſii.

Donato

Donato Argentario, Vriam. CIIII.

QVOD ad te ſcriberem, nihil erat; & expectabam ego literas tuas. Simonettæ tamen fratri tuo flagitanti, non ſum auſus nihil dare. Illud enim ſum ueritus, ne is contumeliæ loco acciperet, ſi uel hoc, quicquid eſt, ſibi non dediſſem. nota enim mihi eſt natura hominis iracundi ac ſuſpicioſi. Tu, quũ aliquid habebis dignum expectatione mea, ne prætermittas. Ego, ut ſcripſi ad te antea, frumenti numerum ſcire à uobis cupio. Medimna, quæ dixi, ualdè mihi ſunt neceſſaria. Fac, ualeas, noſq; ames.

Donato Argentario, Vriam. CV.

AD XVII Calendas Februarij Franciſcum Aleandrum videre cupio; inde excurrere ad uos. Veruntamen, ſi nihil erit, cur adeſſe me oporteat aquarum cauſa Germanarum, cupio ſanè ante diem illum doceri. Nihil enim erat aliud, quo iſtuc deflecterem, niſi de ijs aliquando ut trãſigatur. inanem uerò hunc eſſe meum aduentum minimè uelim. prouidebis igitur. Sin res erit eiuſmodi, ut me uenire illa quidem cauſa nihil mea interſit, ſic habeto ad epiſtolam tuam; me diſputationem illam ſuſcipere, de qua ſcribis, nec poſſe, nec debere. Primùm noſti occupationes meas, à quibus nullum eſt otium. Deinde quid cum eo diſputes, cui tecum nihil cõueniat? qui ne ipſis quidem ſenſibus percepta, uera eſſe fateatur? ſed uiderimus. Tu uerò ſcribas ad me ea de re

ſubtiliùs. aliquid fortaſſe docebor ex tuis literis. Eripiam tempus aliquod à moleſtijs, & cogitabo, ad eam rem nunquid afferre poßim. non promiſſum tamen hoc videatur, ſed, cupiditas quędam gerendi morem uoluntati tuæ. Sed dum has ad te ſcribo literas, ecce qui Aleandrum ad nos, affirmarent eſſe uenturum. Eo enim ipſo die Ferdinandus Gonſaga iter facturus Brunduſio dicebatur, cui obuiam ſe iturum ille cogitaret. Sanè ſum perturbatus, quòd mihi officij ratio eſt impedita; & quod nequeam certū aliquid conſtituere. ſiquid tamen de aquis Germanis, huc ſtatim aduolabo. Numos ei, quem tuis cum literis miſiſti ad me, nolui credere. Excuſatio igitur tua mihi apud omnes præſtò ſit. ipſe enim ſpero me affuturum, ſi tu id nunciabis, quod ego uehementer cupio. Vale.

Donato Argentario, Vriam. CVI.

A TVO digreſſu, ſtatim ad Germanas conuolauimus. Oſtēdit mihi illarū fines Barſonuphrius propinquus meus. Dolui mirum in modum, quòd eos longè alios, & anguſtiores cognoui, atque mihi diu antea perſuaſum erat. Omnino ſi quæris, magna pars ad Bonifacij Principis, non ærarium quidem (eſſet enim hoc maximum & ſine remedio malum) ſed tamen ad patrimonium pertinet. Neque ego doleo, quòd res tā puſilla magna pecunia nobis uenijt; ſed, quòd exiſtant etiam, neceſſe eſt, quotidie de paſcuis controuerſiæ, quæ uitari nullo modo poßint. Denique,

que,ut tum Caputus dicebat, & Barſonuphrius poſtea mihi confirmauit; hoc diſſoluto ære alieno, cum Bonifacio aliqua nobis ineunda ratio eſt, aut emptione, aut aliquo genere locationis. Putant eius rei ſpem eſſe nonnullam, quod partem agri, quam ego nõſtram eſſe arbitrabar cum reliquo fundo Bonifacij, aiunt non eſſe coniunctam. Videbis, obſecro te, ij fines cuiuſmodi ſint; &, quid nobis faciendum ſit, cõgitabis; ad méque ſcribes tota de re diligenter. Marianum iubebis admoneri & Paulum, nequid fiat in eo prędio, quod factum poſtea nolimus; & rectiſſimè nôrint priùs, quid ad nos, quid ad uicinos pertineat. Denique uideor mihi hac emptione ualdè cæcus fuiſſe, niſi quid boni in ea inſit, quod nondum ego ſciam. Te oro, cum communibus amicis rem communices; & errorem meum, ſiquid potes, conſolére. Amaui tamen Robertum, quòd cauere nihil à me curauit. illum confirma. Liberabo enim meam fidẽ: &, niſi mei creditores mentiantur, ante idus Febr. pẽſiones illi duas perſoluam, quum is à me unam rogârit. Hæc ſubitò ad te ſcripſi, quum Horatius Palmaricius ad me ſine tuis literis ueniſſet. is mihi nunciauit iam triduo te ægrotare. Suſpicabar domeſticam tibi commotiunculam accidiſſe, quam te rogo tantum uites, quantum nos amas. Siquid eſt aliud, ſcire cupio ex tuis literis. Cura ualetudinem tuam. XII. Cal. Febr.

Donato

Donato Argentario, Vriam. CVII.

DE finibus malorum, quę proximè ad te ſcripſi, nihil adhuc audio. Vereor etiam ne impeditus ualetudine, de ijs tu ad me ſcribere non potueris. Vtramque mihi ſolicitudinem adime quàm primùm. cupio enim & te firmum, nec mihi tam uehementer emptionem diſplicere. Corradus uerbum de ijs nullum fecit, qui heri multis de rebus ad me literas miſit ualdè turbulentas. Scribit iſtum Bellonum pecunia eſſe adductum, neſcio cuius, ut nomen deferat Marcelli fratris mei. Inuentus eſt etiam, qui Marcello perſuadeat per literas, nebuloni illi pecuniam à Corrado eſſe promiſſam. Hic miratur audaciã & iniquitatem ſuorum (ut ipſe ait) inimicorum. Ego nullam in partem habeo, quod credam. Tantùm uereor, ne hæc qualia ſint quumque, nobis afferant, quod dolendum ſit. Videre enim uideor per Bellomi inſaniam furias in noſtram domum quaſdam eſſe cõcitatas. Hæc te ſcire uolui, ut cogites, num qua in re opus ſit fide & prudentia tua. Vale. Brunduſii.

Donato Argentario, Vriam. CVIII.

DIV ignoro, quid agas; nec de ualetudine tua certum audio. ſed ſpero eſſe meliuſculè. Velim tamen de te ſcire ex tuis literis. illarum enim intermiſsio, & mora Deſiatæ ſororis tuę, non nullam mihi ſuſpicionem iniecit, te nondum ſatis eſſe con firmatum. Scribe obſecro te, et fac me quàm primùm

tota

tota hac de re certiorem. Quòd ſi tibi moleſta ſcriptio ſit, duobus tuis uerbis ero contentus; tibi & eſſe iam bene, & ſperari meliùs. Ego nihil ad te ſcripſi, quòd expectabam quotidie multis utriuſque noſtrûm de rebus literas tuas. Nam, quod mihi mandâras, de imitatione tibi ut reſponderem; de ea (mihi crede) & ineptiſſimum eſt ſcribere, & ad commodiorem nuncium de ualetudine tua rem differre, & omnino (ut uerum fatear) eam moleſtiam fugere cupiebam. Quapropter, oro te, ne requiras hac de re amplius accuratam aliquam diſputationem meã. Habes enim, quę ſæpiſſimè inter nos colloquuti ſumus. interfuiſti nonnunquam ſermonibus doctorum hominum: atque, ut ego Romulum Amaſæum Bononiæ, ſic tu Lazarum Bonamicum Patauij ſummum uirum audiſti quàm ſæpiſſimè his de rebus diſſerentem. Cæteri autem omnes quid ſenſerint cuncta ex Italia ſapientes ac docti homines, potes de ipſorum ſcriptis iudicare. Cogita enim, qui annis abhinc ferè quadraginta fuerunt, ad quam ſe potiſſimum orationis formam accommodârunt. Hinc intelliges me, non quod ego inuenerim, ſed quod à plurimis ac ſapientiſſimis hominibus accepi, tibi conſiliũ dediſſe. Quòd ſi nihil inter meã, atq; illorum ſententiã intereſt, qui Latinas literas renouârũt; rectè ego conſuluerim neceſſe eſt. ſin quid dicas intereſſe; doceri uelim, quid interſit. Ab illis enim & totius Italiæ doctiſſimis uiris, ac ueteribus illis, qui hanc linguam, & auxerunt ipſi, & à maioribus auctam ſuis, incorruptã

ſer-

ſeruârunt, ſiquid imprudens uidear diſſentire; profiteor me rectè admonitum, nulla uſurum obſtinatione uoluntatis libentiſſiméque ad illorum, quos dixi, ſententiam eſſe rediturum. Nam te memoria tenere, certò ſcio, id quod omnibus teſtatum eſſe cupio; me non priuatum aliquod ac proprium de Latina lingua iudicium tenere (ut de me quidam ſuſpicantur) ſed quod doctiſſimi omnes tantùm ſpectârunt, ut Latinè loquerentur; id eſt ueterem Latij & Vrbis Romæ ſermonem, qui à Catone & Ennio uſque ad Octauiani Cæſaris ætatem fuit, conſeruarent. Vna enim & ſimplex, & certa ſermonis ratio ac forma quædam in ea ciuitate fuerit, neceſſe eſt; quã docti quoque homines illorum temporum ſuis in ſcriptis, ſimplicem, unam, ſibique ſimilem nobis, et ſeculorũ omnium poſteritati reliquerunt: Nam & qui Terentij fabellas propter elegantiam ad Scipionem ac Lælium deferebant, & quibus in Lucilio uitia ineſſe quædam uidebantur; illud ſcilicet agnoſcebant, proprium genus quoddam Romani ſermonis, hunc minùs, illũ magis oratione eſſe conſequutum. Vera enim latinitas illa propria ciuium Romanorum, à pauciſſimis eſt nõ dico repræſentata ſcribendo, uerùm etiam deprehenſa cogitando. Hîc uelim, tibi in mentem ueniat, etiam apud Græcos Theophraſti; cuius peregrinitatem ſermonis, mulier quædam Attica notauit, quum ætatẽ is ageret Athenis, & à diuinitate loquendi nomen adeptus eſſet. Ita quis dubitet Romę etiam fuiſſe unũ ac ſimplex genus loquendi, maximè proprium ciui-

bus,

bus,quod externi uix planè,& magno cum labore, & difficultate diſcerent? Hoc genus purum atque perfectum latinitatis, ætas Plauti, Terentij, C.Cæſaris,& Auguſti nobis conſeruauit.Illorum temporum ſcriptores ſibi omnis Italię doctiſsimi uiri,et ego mihi,ac tibi propoſui ad imitandum.Hos cenſeo ſolos (quantum ad ſermonem attinet) ames,imitêre,complectâre. Nolo tamen hac de re tecum (ut uidêris uelle) aut ullo cum homine,ampliùs diſputare.Satis enim multa, quum eſſem iſtic de re tam leui,& (ut ſentio) puerili garriebam.Tamen ſic tibi perſuadere debes,me non temerè ad hanc ſententiam, & totam imitandi rationem,atque ad illa etiam,quæ nũc ſcribere non eſt otium,quæque ſępiſsimè ſunt à nobis agitata, deueniſſe: ſed præter ſummorum hominum auctoritatẽ,mihi ſic eſſe cognita, meditata,& prompta quę ad hanc rem pertinent omnia, ut me iam pudeat in re tam aperta,diſertum,ingenioſum,& prudentem uideri. Quare primùm non ignota mihi arbitrêre,quæ noſtra & patrum memoria Policianus cum Paulo Corteſio; quæque duo Pici doctiſsimi homines ac nobiliſsimi,alter cum Hermolao,alter cum Bembo diſputârunt. Denique ſiue à noſtris, ſiue à Tranſalpinis externísq; hominibus noſtra aut quacumque ętate,iam inde à principio cùm Latinè, aut de latinitate ſcribi aliquid cœptum eſt, quæcunque de imitatione ſunt mandata literis; non dubito,quin credas mihi omnia diu lecta,meditata, atque etiam ſæpe olim adoleſcenti,contrà, atque nunc ſentio, pro

aduerſa-

aduerſariorum parte, ſubtiliter diſputata. Ac præter excogitata ab alijs argumenta, qui ante nos in cauſam latinitatis inuecti erant, meque in ſuam opinionem adduxerunt; multa quoque à me ſunt perquiſita libenter, inuenta ſtudioſè, agitata (ut uerum dicam) iuueniliter. Nunc igitur, poſtea quam annis abhinc duodecim in ea ſententia conſtiti, in quà ſerò literas Latinas cognoſcere cœpiſſem, quis me tantæ ſtultitiæ fingat, ut exiſtimet omnia illa, quàm eſſent inania non cognouiſſe, nō firmioribus argumentis & rationibus euertiſſe? Quis prolaturū ſe argumentum aliquod ſperet, quod non ego multis antea modis refutauerim? Quamobrem, mi Argentari, τεχνικωτέραν, ut ais, à me diſputationem hac de re tam euerſa & profligata hoc tempore non expectabis. Rem ipſam affero, ſine ullis argumentis notā; multis tamen olim ac ſuperuacaneis argumentationibus collectam. Neque enim me adeò natura hebetem, aut illarum artium, quæ ad uera à falſis dignoſcenda ſunt repertæ, rudem noſti, ut facillimè, totius præſertim Italiæ cum doctiſſimis uiris auctoribus, in re minimè perplexa, decipi, labi, & falli poſſim. Vide enim, quæſo te, & diligenter attende, quàm ſint omnia, aperta, explicata, & luce penè ipſa clariora. Tribus maximè in rebus tota imitationis ac ſcribēdi ratio poſita eſt; uerbis, loquutionibus, filo orationis: quibus de ſingulis quum ſæpiſſimè à nobis dictū ſit, nunc illud tantùm, non diſputandi, ſed renouandi cauſa apud te conſilij mei, ſuadeo: primùm uerba eſſe

Latina omnia, ab auctoribus potiſsimùm ſumpta illorum temporum,quæ antea nominaui. Sed, quoniã profectò non de rebus omnibus illi ſcripſerunt; quis tanta dementia fuit unquam,ut negaret uerba, ſi opus eſſe uideatur,ab alijs etiam peti oportere, qui et ipſi,quoad per ſui cuiuſque ſeculi barbariem licuit, ſatis Latini fuerunt? Ego igitur,ſi quid meminero tale à me eſſe dictum; fatebor nihil à quoquam ſtolidius,aut in noſtram linguam pernicioſius dici, cogitaríue potuiſſe. Nam,ſi de Muſicis, Arithmeticis, Dialecticis,aut eorum,qui Phyſici, Aſtrologi, Mathematici,Theologi uocantur, aut Grammaticorum aliorúmque ſcientia dicendum ſit; non modò ſumma uerborum inopia laborabimus,unum, aut pauciſſimos dum imitari uolumus; uerùm illud etiam ferre oportebit,quod artes omnes ac ſcientiæ,quas dixi, uerbis ferè minimè publicis,ſed priuatis quibuſdam ac ſuis utuntur. Itaque ego uerba non ſolùm ab ijs, qui ſummi auctores latinitatis fuerũt; ſed etiam ijs; qui poſtea ſunt inſequuti, & qui leges, qui rem militarem,agrorum cultus,architecturam, diſciplinas, aut artes quaſcunque liberales,uel μαχανικὰς pertractant,ſumenda eſſe, ita ſemper iudicaui, omnesque iudicant; ut me inſaniſſimum exiſtimari credam ab his, qui aliter de mea ſententia ſuſpicantur. Ego uerò & his,quæ iam dixi utendum cenſeo; & ætatis etiam noſtræ homines docti, ſiquod neceſſariũ uerbum, fingant,aut renouent, ſequor libentiſſimè; & nobis etiam, ſi quãdo deſint uetera, parcè modeſteq;

formandi

formandi nouorum iure noſtro, ueniam dari uolo. Loquutiones autem, id eſt uerborum inter ſe coniunctorum quaſdam formas, à pauciſsimis auctoribus, ac perfectiſsimis, ijs dumtaxat qui uſque ad Octauianum Cæſarem fuerunt, ſumere oportebit. Vix eſſe aliquid hîc debet, quod à principibus illis Latinæ eloquentiæ non ſit. Vix habeo in his ego, quod uel alijs, uel mihi ipſi permitti uelim. His propè dixerim ſolis, ſermo Latinus ſpectatur. Nō enim, ſi Latina ſint uerba omnia; totum id, quod fit ex uerbis, Latinum eſſe neceſſe eſt. Nec ignorare te arbitror, ſi huiuſmodi de rebus ex arte diſputetur; id genus, quod à partibus ad totum concludit, argumentum minimè ratum uideri. Nam, quis unquam ita ſcripſit, ut non uerbis Latinis penè omnibus uteretur; et longiſsimè tamen à Latinitate diſſentiret? Itaque, ut Romanè loquamur, diu peruolutandi ſunt ueterum Romanorū libri illorum, qui aut circa Cæſaris Octauiani (ut dixi) imperium, aut libera adhuc ciuitate ſcripſerunt. Obſeruandum in ijs, quę cum quibus iungi deceat, à quibus diſsentiant, quæ antecedere, quæ ſequi malint, quid cū quibus efficiant ſenſus & elegātiæ, quę nomina, quibus uerbis, adiuncta uulgatum illū cū occultiore ſenſu cōmutent. Ac, ne multis agā, illud credere oportet, nihil eſſe in ſermone, quod plus temporis, ſtudij ac diligentiæ requirat. nihil in quo iam ducentis annis tanta Grāmaticorū ac doctorum hominum multitudo tot commentarijs laborârit. nihil quod prius in hac lingua cum inclinatione

Romani

Romani imperij corrumpi ac labefactari cœperit: nihil quod in literis ad noſtram uſque memoriã magis ignoratum fuerit. nihil quod, uel neglectum, magis barbaram; uel ſeruatum, latiniorem orationem poſſet efficere. Denique hæc ipſa eſt, quę dicitur in ſermone, Latinitas: & quum uerborum ſenſa omnes perquirant, nulla res alia eſt, in qua te uſque ad moroſitatem uelim eſſe diligentem. Et, quum attentiſſime uidendum ſit, quid ſequâre; in eo etiam cura eſſe debet maxima, ut nôris, ſiquid uitari oportet. Non enim, quæ ſemel, aut iterum, aut certè rarò cõtra rationem (ut Grammaticis quoque demus aliquid) ſunt ab auctoribus uſurpata, pro lege ſermonis habẽda ſunt. Huiuſmodi ego neque imitari audeo, nec reprehendere. Nam quis non ita loquitur, ut dicat, nobis abſentibus domi noſtræ aliquid eſſe factum? At noſter diuinus auctor Latinitatis Terentius, Neſcio quid, inquit, abſentẽ nobis turbatum eſt domi. Publica ſermonis conſuetudine, uulgatiſſimum eſt, Ex defendendis amicis, capiendis uoluptatibus, de conſtituendo accuſatore. Quòd ſiquando inuenias, Ex defendendo amicos, in capiendo uoluptates de conſtituendo accuſatorem, iure ſuo noſtros auctores dixiſſe; id laudes moneo, & illorum auctoritati putes eſſe concedendum: uel ſi quid eſt, quod ratione aliqua ferri poſſit, & tu, quemadmodum illi, multa & præclara ſcribas; illa ſaltem modeſtia ſit, ut, quod ſuſpectum eſt, ęquè rarò in tuis, atque illorum ſcriptis poſitum eſſe uideatur. Præterea illud etiam non mino-

re ſtudio cauendum eſt, nequid præter morem dicas ueterum Romanorum. Nam quid magis ridiculum foret, quàm Senatus maieſtatem, aut populi Romani auctoritatem dicere? Innumera ſunt eiuſmodi, in quibus facillimum errare, & turpiſsimum eſt uideri eſſe peregrinum. Neque ſolùm uitia hæc fugienda ſunt; uerùm etiam ſale quodam uetere urbis Romæ omnia condienda: præcipueque danda opera, ut, quæ dicimus, cunctis ex partibus antiquum loquendi, & ſentiendi morem ſuboleant Romanæ ciuitatis. Venio nunc ad formam orationis, de qua dicerem ſanè multa, niſi conſiderem ſatis notam eſſe tibi ſententiam ea de re meam, & te lupercalibus expectarem. Namque audiueram de Paulo fratre tuo, & tu ipſe receperas, te aliquot diebus nobiſcum fore: quod ut facias, quàm primúmque uenias, te planè ſic rogo, ut hoc quidem tempore nulla de re magis rogare poſsim. Proderit enim ægritudini tuæ (ut hac etiam in re ſus Mineruam) cœlum mutare; & nos reuiſes: & de oratione, quantum attinet ad imitandum, & plura, & maturiùs inter nos colloquemur. Nunc uerò, ne imparatus omnino uenias, quando Latinam linguam his temporibus non à parentibus uſuque domeſtico, & conſuetudine uulgi; nec eloquentiam à præſtantiſsimis, ut olim, dicendi magiſtris diſcimus: dico illam, quæ maximè quondam iuuit, nunc penè ſolam relictam eſſe imitationem, qua duas has res conſequi poſsimus. Igitur, quoniam erant illis temporibus, alia quoque præter hanc illarum adiumenta diſcendi;

ſcendi;

ſcendi; pauca ſunt à noſtris maioribus de neceßitate & uia imitandi, eaque nō ſatis diſtinctè præcepta, et mandata literis. Nobis autem, quia ad ſolam imitationem, quaſi ad arā, confugere neceſſe eſt; diu quæſitū diſputatumque eſt, utrum ſimul omnes, an unū quempiam ex omnibus in ratione dicendi oporteat imitari. Paucis igitur ſic habeto: quum imitatio hoc habeat proprium, ut nos aliquorum in dicendo ſimiles reddat; non poſſe nos uno eodémque tempore & ſcriptione, multorum inter ſeque diuerſa dicēdi genera repræſentare; ut, exempli gratia, Saluſtio ſimul & Cæſari ſimiles dicendo ſimus. Nam, ſiquid erit Cæſaris, à Saluſtio; ſi quid Saluſtij, diſſentiet à Cæſare: ita ut neutri denique ſimiles eſſe uideamur. Omnes tamē legendi ſunt, dandaque opera, ut, quemadmodum à nobis; ita & ab illis inuenta noſtro more dicere ualeamus. At non ſeruârunt, inquies, hoc maiores, ut aliquorum in oratione ſimiles eſſe contenderent. Primum, non præſtat hoc imitatio, ut ſi innumerabiles unum imitemur, ſimiles inter nos uideri poßimus: & appareant in oratione ſemper, neceſſe eſt, proprij cuiuſque mores, animus, temperatioque naturæ. Deinde, ut iam dixi, illis multa præter imitationem ſuppeditabant ad eloquentiam diſcendam. Præterea etiam inter eos, qui perfecti ſunt, ſimilitudo quoque tanta eſt, quantam huiuſmodi in rebus natura patiatur. Tum contentio illa, atque æmulatio, qua ſuos auctores uincere nitebantur, ut nobis etiam nitendum ſtudendúmque eſt, neceſſariò dißimilitudi

P 2 nis

nis aliquid afferebat. Poſtremò, quod eſt maximum, nos imitari optimos quum uellent, imitationem Rethoricæ partem nonnullam eſſe ſuis in præceptis tradiderunt; nec præterea his temporibus eſt, undè eloquentiam commodiùs diſcamus. Tu igitur, Argentari, illorum precepta, conſiliaq́ue mea tibi tenenda eſſe exiſtimabis; ut in his ſtudijs, quemadmodum illi præceperunt, uni alicui ſimilis eſſe uideâre. Quis autem debeat ex omnibus proponi ad imitandum, tu ipſe optimè conſtitues. iudicium enim meum ego non interponam. Optimum ſtatuo ex omnibus: tu illum optimum tibi deligito. Ego fortaſſe deligere eum nolo, fortaſſe nondum ſcio. Vnum illud tibi, ſapientiſſimorum hominum auctoritate fretus, audeo præcipere; nequem ex ijs arbitrêre tibi eſſe deligendum, qui poſt Octauiani Cæſaris ætatem uixerint. Quicunque enim ſunt inſequuti, partim ſua, partim aliorum ſententia, minimè iuſta laude oratorum digni iudicati ſunt. Cenſuit hoc Seneca, uidit confeſſusque eſt Quintilianus, multis uerbis Cornelius Tacitus diſputauit. Quid ergo iam optari poſſet ampliùs, quũ clariſſimi etiam uiri in oratores ſuorum temporum, & in ſemetipſos ſententiam dicant? Nec puto te expectare, dum ſcribam, quæ tibi ratio ſequenda ſit, qua rectè illum, ſeu unum, ſeu plures imitari queas. Eſſet enim hoc non epiſtolæ, ſed magnæ cuiuſdam tractationis: ita ut Paulus Manutius treis ea de re libros polliceatur ſe eſſe ſcripturum. Itaque in omni ratione dicendi fac te ad unius tantùm, qui ſit numeri

omnibus abſolutus, imitationem conformes: Quòd ſi tu pro ingenio & ſcientia tua, quod maximè cuperem; uel odio & ſola inductione uoluntatis, quod minimè uelim; probare illum non potes, quem ſemper uno ore omnes, & ſplendore ſermonis Latini, & eloquentia, & copia ſcriptorum de noſtris omnium maximum iudicauerunt; quando in hoc genere optimũ aliquem oportet imitari, neceſſe erit uel Demoſthenem, uel ſiquem de Græcis arbitrêre illo eſſe meliorem, tibi proponas, quem ſequâre. Mea quidem ſententia eſt, Latinam linguam ab ijs tantùm, qui adhuc ſalua rep. ſcripſerunt, aut ſexaginta annis poſt ſecundum conſulatum C. Cæſaris, quem cum P. Seruilio geſsit; uel ſi fieri poſſe uideatur ab uno illorum præſtantiſsimo eſſe diſcendam: Eloquentiam uerò, ſi tantùm in ea profecimus, ut non poſsimus iam noſtris auctoribus eſſe contenti; quis neget à melioribus (ſi tamen ulli ſunt meliores) peti conuenire? Etenim in Romana lingua ne fieri quidem aliquid ullis ingenijs poteſt melius, quàm quod ipſi Romani ciues ſuis in ſcriptis de ſermone ſuo teſtatum nobis reliquerunt. Quòd ſi quid afferre poſſes, quod re uera ſit melius; certè ego melius eſſe confiterer: ſed homines atque Dij omnes hoc ipſo, quia eſſet melius negarent eſſe Romanum. Nam Romana lingua, neque arte & ingenijs immutari, nec ſcientia ſtudijſque reddi melior poteſt; nec denique alia eſt, quàm ea, cuius lumen olim Romæ cum Cæſaris Auguſti imperio extingui cœptum eſſe diximus. Auctores autem,

qui plurimi & doctiſsimi poſt ea tempora floruère, quum Romæ uetus ille nitor latinitatis labefactari iam cœptus eſſet; nec dum (quod noſtra aut paulò ſuperior ætas fecit) ſe totos ad imitationem conuertiſſent, atque ita ſcriberent, ut tum uulgò homines loquebantur: Latinos quidem illos fuiſſe, uix audeo negare: ſed profectò inſaniſsimus iudicarer, ſi dicerem, ulla in re cum ſuperioribus illis poſſe conferri. Nam, quum grauiſsimorum auctorum teſtimonijs probatum ſit, illo, quo dixi, tempore eloquentiā Romę fuiſſe corruptam; profectò eloquentiæ partes omnes, & imprimis quæ ad loquendum ſpectant, intelligimus indè ad noſtram uſque memoriam penè fuiſſe deletas. Ergo, quum Romana lingua Romæ, aut uſquam, amplius hodie non ſit, & ſola unius, aut certè pauciſſimorum imitatione; eloquētia autem ſit, quemadmodum artes reliquę, uiua, ſempiterna, omniumque gentium ac ſeculorum bonis ingenijs expoſita; potes, ac debes de ratione latinitatis, uetere conſilio meo eſſe contentus: in dicendi autem exercitatione ſi illum oderis, quem docti omnes diligunt; tametſi contrà, quàm de Romana lingua dictū eſt, ſemper apud nationes omnes poſsint eſſe eloquentiſsimi: ut nunc tamen ſunt res, niſi credas perfectiſsima omnia eſſe fugienda, ſolus Demoſthenes relictus eſt, quem tibi liceat imitari. Ac denique uide, quæſo te, Argentari, ſententiam meam, quam tibi, quum planè percepta nondum ſit, arbitror à me parum hactenus fuiſſe explicatam. Non in rebus ac diſciplinis, ſed

in ſtudijs eloquentiæ ac perfecta latinitate paranda, puto nos unum ſequi, aut paucißimos debere. alijs enim ſingulis in generibus, quis credat impediri ſe, quin ſingulos, aut interdum plures etiam imitetur? Quamobrem cuia, per Deos, intereſt, ut dicam de Poëtis, Tibullo in Elegia, Horatio in Lyricis, Virgilio in Diuinis, Terentio in Comicis, & alijs alio in genere auctoribus utendum eſſe? Tibi quoque de Philoſophia, uel Medicina, quum ſcribere uoles, aut preſſum genus illud Hippocratis, aut acutum Ariſtotelis, aut magnificum Platonis, aut dulce Theophraſti imitandum arbitrábere. Hæc ſunt, Argentari doctißime, quæ de imitatione ſcire te uolebam; non tam, ut ne errare me crederes; quàm, ut ne deeſſe uiderer uoluntati tuæ. Nam & tu poſtulaueras, & ego uehementer cupiebam notam eſſe tibi ſententiam meam: quam ſi, ut ſpero, & opto, complectâre; non dubito fore, ut gaudeas aliquando te amantißimis certè, neque imperitißimis conſilijs meis paruiſſe. Sed, quum te propediem expectemes; plura etiam ad noſtrum congreſſum differo. Tum, ſi uidebitur, de ijs etiam, quæ ad rectam rationem, ac uiam imitandi pertinent, ſi qua inueniri certa poteſt, otioſi colloquemur. Vale. Brundusij.

Donato Argentario, Vriam. CIX.

SVPERIORES meas literas uni tibi ſcribere me ſum arbitratus. ſerò autẽ intelligo iam, ab alijs te incitatum eſſe, ut me puerilibus atque ineptiſ-

ſimis de rebus nunc denique rogares. Odorari hoc ſi potuiſſem, profectò dolerent, qui te ad illud genus literarũ impulerunt. tamen ſum deinde lætatus, quòd mutari, aut conuelli tuam non poſſe de bonis literis ſententiam recognoui. Aliquot enim diebus tulerã grauiter, donec proximis me docuiſti literis inuitum ea ſimulâſſe te, quibus nihil ab opinione tua eſſet alienius. Atque egò (nequid diſsimulem) qui propter morum immanitatem, linguæ etiam & orationis barbarie delectantur, eorum dicta, facta, ſenſus, nomen, audio perinuitus. Vide igitur poſthac, amabo te, nequid huiuſmodi ſit in tuis ad me literis. Nunc debent nonnullam tibi gratiam, & quòd ijs à me facultatem dederis irridendi ſtudij mei; & quòd me pulcherrimè rem totam celaris. Tu uerò apud me ſidei tuæ magis, quàm procacitati, & inertiæ aliorũ proſpicere debebas. Feciſti enim, ut liceat mihi ſæpius dubitare, aliquibus me de rebus quo animo ꝑcontêre. Sed mehercule, ut nunc iocer tecum, iſtos tamen ſingulari ſtultitia homines, ut nullo hactenus loco duxi, ita cõtemnam ſemper, quoad illorum poterit inſolentia perferri. Fortaſſe enim, quando uel ſtupiditas, uel dementia ijs obſtat, quo ſe ipſos noſſe minimè queant, ſi pergent inſanire, efficiam, ut illos docti homines cognoſcant. Vale. Brunduſij.

Donato Argentario, Vriam. CX.

NIMIVM ſerò, breues, atque inanes tuas accepi literas; quum tam multa eſſent, de quibus

certior fieri uolebam. Corrado iam penè effluximus. Teneor cupiditate incredibili omnibus de rebus audiendi. is autem noſtri ne recordatur quidem amplius. ut nec pili fio miſer. Marcellus frater, neſcio quid turbæ, ſcripſerat Lupijs eſſe factũ; Vriæ autẽ & mea & ſua miſerè dilapidari omnia. Quanta in expectatione, metu & dolore ſim, uides. Corradum, quæſo te, aut Moſellum cõmoue. Sed, quod tu et cupis iſtinc auolare, eo minus reprehẽdo, qđ ais aliquã in ſolitudinẽ. Neq; tamen ſolitudinem uerè ſpectas. Nec iam amplius ullæ
Apparent terræ, cælum undique et undique pontus.
Nam quò fugias, quum fluctuent omnia tumultu, & (ut res nefandiſſimas taceam) crudeliſſima etiã ubique fama terreare, & ſermonibus nuncijsque bellorum? Vides frumentum, & immenſam pecuniam miſeris ciuitatibus imperatam: uaſa etiam & omne argentum ex fanis eſſe deſcriptum: monetam binis dextantibus pluris æſtimatam: arces munitiſſimas, atque urbes diruendas eſſe, noſtris Principibus uideri: uaſtationem frugibus atq; agris omnibus inferendam ante hoſtium aduentum cogitari: innumerabilium ciuitatum mortales omnes tria in oppida compelli. Quid dementius cogitatum eſt unquam, aut furioſius, quàm id, quod nec fieri poſſit, nec expediat, nec ipſis quidem ab hoſtibus metuendum eſſet. Dij talem terris auertite peſtem.
Si quò fugere potes, ubi non crudeliora audias, aut patiare; me quidem & auctorem fugæ habebis, &

comitem.

comitem. Ardet enim omnis Italia odijs, & apparatu bellorum, intercluſæque ſunt omnes uię, &

Πορφύρεον δ᾽ ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἶσον
Κυρτωθέν.

Quare, quum ſalutis, aut otij ſpes uſquam non ſit; illud conſtituamus, neceſſe eſt, quemcunque locum ſors tulerit, aptiſſimum eſſe ad mortem oppetēdam. Nunc oro te, ſi licebit uiuere, confice, quæ mandaui, & Corradum excita. Ab illo enim de emptione, aut conductione agrorum à Bonifacio, de ſumptu in domo Stoica, ac de cæteris rebus quàm plurimis doceri uelim. A te etiam longiores pleniorésque literas expecto. Vale. Brundusij.

Donato Argentario, Vriam. CXI.

EGO nullas iam à te, aut à quoquam accipio literas. itaque ſperare nihil audeo. Fieri non poſſe arbitror, quin aliquid mea ſolicitudine moueâre. Sed neminem fortaſſe adhuc Moſellorum, aut Corradorum flectere potuiſti, aut impellere ad ſcribendum. Scio mea ab omnibus eſſe (nequid grauius dicam) neglecta. Mariani improbitatem atque perfidiam cognoui. mei autem illum patiuntur; & me ſic irrident, quaſi culpa potiùs mea, quàm damno hęc acciderint. Mandaui illum domo eijcerent. ſed actum ſit, ſcire ſi uelim, ipſe ueniam neceſſe erit. literas enim ab aliquo ueſtrûm, iam me pudet amplius expectare. De literis, quas iuſſu tuo ſcripſi ad illum, quem tu noſti, prouidebam antea; & tibi denunciaui, nihil eſ-

ſe

ſi boni,quod ſperarem. Erat enim mihi illius obfirmatio uoluntatis,ac ferina ſtupiditas ualde perſpecta.ſed de his cupiebam ſcire aliquid ex literis tuis. Moſello,Pagano,Malitiæ,et Corrado negotium dedi,ut de fonte Germanarum, & ualle mihi conficerent,ad meque perſcriberent.ego nunc, ſi ſtultior eſſem,ex illorum totus penderem expectatione literarum. De tuis libris videro cum illo philoſopho. De domo Brunduſij conducenda, adhibui diligentiam; ſed gaudeo mutatam eſſe patris tui uoluntatem. Nã & otij ſpes videtur ſubeſſe nonnulla;& equidem nõ ab hoſtibus uim aliquã,ſed à noſtris legionibus proſpicio potius eſſe metuendam: quarum iniuriæ,crudelitas,atque amentia,niſi iam nunc tanta eſſet,tutiſſima omnium urbs noſtra ipſis uideretur. ſed refrico mea uulnera. De Pomponio,mihi faſelum ingredienti,neſcio quid dicere uolebat ſoror tua. ualdè me pupugit,quod triſtior eſt uiſa.ſcire aueo,quid ſit.Scripſeram has ad te literas, quum tuas nondum accepiſſem.ad illas igitur breui ſic habeto; te,ſi aliorum naturas immutare uelis,acquieturum eſſe nũquam; nec magis obſtinatę mentis eſſe rectis conſilijs nolle obtemperare,quàm uelle cogere obſtinatos. De me autem,iuſſi ternis iam meis literis,Marianum eijci domo & curatione rerum mearum.Id adiuua,obſecro te, ut quàm primùm fiat: aut ſi quod aliud tibi conſilium ueniat in mentem. De quibus arbitrâre me factum eſſe ab alijs certiorem,nullum uerbũ audiui. Amici illius gratiam recollige mihi, quantùm

potes.

potes. Dices nullam mihi curam eſſe hoc tempore, literarum: ſibi me ſuiſque æqualibus, ingenio, fortuna & otio affluentibus hæc ſtudia reliquiſſe. Hoc ſi credat, fortaſſe nos amabit. Alijs de rebus, quæ erant in epiſtola tua, propediem coràm uidebimus. Vale.

Donato Argentario, Vriam. CXII.

SCRIPSERAM ad te ante lucem de rebus omnibus, quæ mihi in mentem uenire potuerunt: obſecro te, confice, quæ mandaui. Nunc uideo prateriiſſe me multa, quæ ſcribere uoluiſſem. Erat nunc etiam ſumma anguſtia temporis: itaque ſcribebam, dum Galeatius ueniret, qui literas acciperet. De libris tuis curabo, quemadmodum ad te ſcripſi. confectum eſſet iam, ſi Ventura in officio manſiſſet. Nunc alia inita ratio eſt. non ero amplius ludibrio cuiquã. ſaltem illud efficiam, ut ſciamus, num quid hîc fieri poſſit, rectéque ad te ſcribam omnia. Illud miror, quid ea re cogites. Græcos enim libros nondum emiſſe te arbitror. Binis ex tuis literis cognoſcere non potui conſilium tuum: erat amicitiæ, conſuetudinisque noſtræ, ut hoc ne ignorarem. Puto diuinare te, quid timeam. ſed ego fortaſſe inſanio; quod ſi eſt, tribuas hoc amori meo; concedesque, ut moroſius interdum de te, tuiſque rebus ſim ſolicitus. Cura igitur, ut ſciam. Spero ita eſſe, ut uolo. Videbo tamen, quid cõfici poſſit; nauabóq; operam. Sed aderat iam Galeatius, urgebat, & mihi erat eundum ad ſacra. nam de lectulo mane hæc ſcribebam. Vale. Brũduſij.

Dona-

Donato Argentario, Vriam. CXIII.

DEDERAM *ad te pridie literas, in quibus non uereor, nequid libertate mea, offendâre. Nam, etſi fortaſſe minùs rectè monuiſ tamen illa moneo ſemper, quæ mihi recta eſſe uideantur. Et profectò uel deſperatio ipſa concordiæ, iam tandem aliquam diſcordiarum partem tollere debuiſſet. Denique ſapientiæ tuę eſt ferre, quę corrigi non poſſunt. Sed propediem me expectabis. tum plura, aut deliberando, aut deplorando colloquemur. Literas ad Hortenſium, quas in hunc faſciculum conieci, non ipſi reddes Hortenſio; ſed Corrado, qui me noſtris de rebus ad illum ſcribere uoluit. Nam cõſtans opinio eſt Bonificium in Britanniam, uel ad Cęſarem paucis diebus eſſe profecturum. Itaque Corrado mãdaui ſępius, quid cum Hortenſio agendum ſit. Nunc ét is ad me ſcripſit, uelle ſe tota de re cum eo trãſigere, quũ illi meas has literas reddet. Vale. Brũdusij.*

M. Antonij Vulpij muſici præſtantiſſimi rogatu, Carolo Carrafæ Cardinali, Romam. CXIIII.

QVVM *diu antea cuperem aliquod à me extare monumentum obſeruantiæ, & amoris in te mei; illud ſcilicet uerebar, ne, quod ferè accidit, adulatione ac ſpe commodi alicuius me id feciſſe, ij quibus parum cognita mea natura eſt, arbitrarẽtur. Sed, quoniã ea dignitas tua eſt & gloria, ut honoribus, qui tibi à quibuſcũq; haberi poſſũt, longè ſupior*

eſſe

eſſe uideâre; et ego is ſum, cuius inſtitutũ et rationes uitæ, hac mea fortuna et præſenti ſtatu rerũ ſit neceſſe contineri; nõ ſum ueritus, ne qd cupidè, auarè, aut ſordidè ſpectaſſe uidear; quum inire tecũ amicitiam, & labores ſtudij mei donare tibi potiſsimùm cogitaui. Quamobrem ambitio quidem noſtra illa tantùm fuit, ut Muſicę ipſius, & amoris in te mei cauſa, mihi hunc librum, in quo multùm ac diu laboraui, ad te mittendum putauiſſem. Quum enim artes omnes ac diſciplinę clariores, atque honeſtiores habeantur, ſi à clariſsimis honeſtiſsimisque uiris cultæ ſint, & in honore habitæ; cupio uehemẽter Muſicam artem, in qua ego ſemper à puero libentiſsimè ſum uerſatus, in principum uirorum omnium domibus honeſtiſsimè ac ſanctiſsimè teneri. Neque uerò putaui fore, ut aut tu munus atque officium meum aſpernêre; aut mihi arte uel nobiliſsima, uel meo quidem iudicio omnium antiquiſsima non liceat gloriari. Nam, quum & ipſa Medicina & ex diſciplinis rebusque alijs, ad uſum uitæ repertis, pleręque ad Deos propter excellentiam referantur; Muſica etiã, ut taceam, quod uſque ab Homero celebrata ſit, & heroicis temporibus culta, ac tam multi ſapientes illam, diuerſasque illius partes illuſtrârunt, Simonides, Timotheus, Terpander, & ſuperiores illi, aut Dij ipſi aut prognati à Dijs, Pan, Linus, Marſyas, Amphion, Midas, Orpheus, & Thamyras; antiquiſſimos omnium diuinosque auctores habuit Mercurium & Apollinem, quos Cythara primos ceciniſſe

Poëtæ

Poëtę dixerunt. Quid, quod docti homines tradunt, conuerſionibus cœli, atque orbiũ, muſicos fieri cõcentus longè ſuauiores, atque admirabiliores, quàm admirabili intelligentia, & arte deprehenſos? Quare non illo quidem utor argumento, quòd muſicis cantibus mortales omnes capiantur; quòd etiam rudes, & agreſtes homines conſonantia probent, diſſonantibus offendantur; quòd in magnis quoque laboribus noſmetipſos cantu & uoce recreemus; quòd in bello cornibus & tubarum ſono permoti animi, ad pericula, uulnera, mortem, & terribilia omnia alacres accurrant; quòd languentes cantu excitentur, & concitati eodem relangueſcant; quòd etiam ſine arte aues quædam ſuauiſſimè, tanquam ex arte, modulentur. Hęc, inquam, omitto omnia, quum ea re potiùs nobiliſſimam & antiquiſſimam rerum omnium declarent ſapientes Muſicam fuiſſe, quòd Muſæ ab ijs dicantur, iam tum à tempore infinito Dijs canere in cœlo, quæ

Ὑμνοῦσαι τέρπουσι Διὸς νόον ἐντὸς ὀλύμπου.

Quemadmodum Heſiodus, & qui primi ſapientiam ſequuti, ueritatem ac rerum naturas excellentiſſimo ingenio perquiſitas fictis in fabulis tradiderunt. Quid igitur aut antiquius, aut iucundius eſſe poteſt, quàm id, quod ſimul cum Dijs natũ ſit, & Deos etiam ipſos uoluptate poſſit afficere? Reliquæ etiam artes ac diſciplinę, ab hominibus & hominum ipſorum gratia quum ſint repertæ, ſola Muſica ita ad Deos pertinet, ut quemadmodum non Poëtæ ſolùm

ac

ac Philoſophi dixerũt; uerùm ſacris etiam in literis quotidie legimus id, quod ne dubitare quidem fas eſſe ducimus; mentes illæ ſingulares ac ſempiternæ, uirtute ac gloria imperatoris Dei celebranda, cœlum ipſum perpetuo cantu & muſica ſuauitate permulcent. Nos ergo poſt hanc uitam, quum defuncti erimus rebus humanis, fruemúrque ęuo ſempiterno cũ Dijs immortalibus; quum in ſumma pace & otio, neque ex Philoſophia erit, quod diſputemus; neque ex Iure ciuili, quod reſpondeamus; neque ex Geometria quod metiamur; aut ex Medicina, quod curandum; aut ex Oratorum diſciplina, quod ſit nobis, defendendum: tamen habebimus tum maximè, quod modulari debeamus. Nam, quis dubitet homines quoque, ut in Deorum numerum ſunt recepti, canere diuinum illud carmen cum cæteris Dijs eidem illi, quem dixi, imperatori Deo in ſempiternum tempus oportere? Eſt igitur hęc ſola ex diſciplinis omnibus clariſſima, & ſempiterna; quę & exhilarare cœlum poſſit, & ut initium naſcendi, ſic diuturnitatem uitæ cũ Dijs immortalibus parem ſit habitura. Quare tu nec uiliſſimum omnino munuſculum hoc meum arbitrabere; & ſtultos illos, atque inſanos eſſe iudicabis, qui ſua ſcelera & uitæ maculas ſimulatione pietatis occultantes, furioſiſſimè clamitant, ſonos Muſicos de templis eſſe tollendos, & Muſicæ præceptores de communi ſocietate hominum eijci debere. Illi enim & Deorum auctoritate, & maximi quondam Regis eiuſdéque ſanctiſſimi Vatis inſtituto Dauidis refutan-

refutantur: & conſenſu omnium penè gentium, ac ſeculorum, non ad ludos tantùm, bella, & recreandos animos; uerùm multò magis ad ſacra omnia adhiberi Muſica conſueuit. Ego quidem certè huiuſmodi, quum hæc eſſe minimè ignorarem, ſtolidos iſtos maleuolentesque homines ita ſemper contempſi, ut me à prima ætate ſtudioſiſsimum fuiſſe Muſicæ mihi non modò confitendum, uerùm etiam apud ſanæ mentis homines gloriandum putem. Quantùm uerò hoc in ſtudio profecerim, non puto eſſe meum iudicare: illud unum pronunciare auſus, me tanto cum labore, diligentia, & contentione animi ea in re uerſatum eſſe; quanto ij, qui magnam ſunt quacunque ætate in muſicis laudem conſequuti. Sed profectò, quemadmodum de picturis, & ſtatuis rudes etiam pingendi, & ſculpendi modo quodam iudicare poſſunt: ita muſicos cantus omnes artificij expertes homines ita ſentiunt, ut nulla ſit ars preterea, quæ iudicium infimæ, atque ignaræ multitudinis fallere minùs poſsit. Quamobrem, quæ à me ſumma arte, & ſtudio ſunt compoſita; hec tu, quanti facienda ſint, nullo negotio cognoſces, & omnes homines facillimè iudicabunt. Equidem uehementer confido fore, ut hæc, in quibus tantum operæ à me conſumptum eſt, cæteris quidem omnibus, ſed tibi præcipuè, cuius gratia ſunt mandata literis, probentur: quod ſi aſſequor, maximum atque ampliſsimum laboris, & ſtudij mei fructum eſſe me conſequutum arbitrabor. Vale.

Donato Argentario, Vriam. CXV.

LITERAS à te pridie acceperam, quas tu dederas, antequam meas accepiſſes. itaque ſcire de nummulis nihil potui. Miſeram enim aliquid per Gionem Granapheij puerum, quo Lando & Moſello ſatisfiat: ſed tu proficiſcentem Bonifacium ad Saſinæ uſque aut Villanouę portum ſequutus fueras. Arbitror tibi poſtea reddita eſſe omnia cum meis literis. me docebis, quid actum ſit. Si, ut ſcribis, Brundusij nos reuiſas, erit mihi gratum. Cæſari Capucemadio iubebis reſponderi, Lauræ nouercæ ipſius domũ, ad crucis, eſſe mihi & fratri meo neceſſariam. Quæ reliqua eſt huius anni penſio, ad Floralia ſoluetur. Scire aueo de tuis rebus, quid meus frater nunciet, aut ſi qua in re tibi operam nauare ego poßim. Tu interim fac bono ſis animo, ſperesque fore, ut honos habeatur ſummæ ſcientiæ, ac uirtuti tuæ. Illud mihi præſta, ut nequid ſe de nobis, euentuque rerum noſtrarum inuidi homines, & maleuoli diuinaſſe glorientur. Sępius ut hoc moneam, poſtulat mutua inter nos beneuolentia, cogit ſummi uis amoris in tę mei. Vale.

Q. MARII CORRADI
EPISTOLARVM
LIBER V.

Braccius Martellus Pontifex Lupienſium Mario Corrado. *CXVI.*

QVOD non perinde, ac debebam, tuis eruditiſſimis literis iam pridē reſponderim, uelim, exiſtimes nulla id mea negligentia factum eſſe; ſed occupationibus his, quibus neceſſariò diſtineor, in maximo Pontificali munere perfungendo: quò ſit, ut & frequenter mihi in concionem aſcendere, & explicare populo diuina illa Chriſti εὐαγγέλια opus ſit; in quibus tantum ineſt myſteriorum, ut ad eorum interiores ſenſus penetrandos, reconditasque intelligētias enodandas, multa commentatione & meditatione, aſsidua item prece, & obſecratione utendum ſit. Ea enim oraculorum illorum uis, tanta ſententia eſt, ut non ab homine quopiam prolata; ſed planè, utì ſunt, ab ipſo Deo fuſa eſſe uideantur. Itaque ſine eius numinis ope percipi illa, & in ueritatis lucem edi, minimè poſſunt. Eam ob rem ignoſces, & cunctationi, & breuitati mearum literarum; quando iiſdem de cauſsis, quibus in hanc deueni tarditatem, adhuc impedior,

pedior, ne longior ſim. Iam uerò illud, quod abs te rogatus ſum, faciam ſedulo ac perlibenter; fratremque tuum, quem propter eius ſuauiſſimos mores prę claramque eruditionem diligo, ut debeo, plurimum, ſarctum, quod aiunt, ac tectum ab obtrectatoribus ſtudiorum ſuorum, quantum potero, auctoritate huius ordinis tuebor, & conſeruabo. Etenim id, ut puto, facilè aſſequar, ſi ij, qui illi aduerſantur atque obtrectant, non ſolùm à me refutentur; ſed planè etiā intelligant, me totam huiuſmodi obtrectandi rationem, qua ſæpe probi uiri improbè lacerantur, indignam Chriſtiano homine & religioni contrariā iudicare. De mea autem in te uoluntate, ſtudioque erga omnes, qui in bonarum literarum doctrina, & in antiquæ latinitatis laude uerſantur, non dubitabis: ſi quidem in eo genere ſtudiorum, in quo tu mirabiliter excellis, non quàm parum ipſe profecerim cogitabis; ſed quàm non parum operæ poſuerim & temporis, affirmanti mihi credideris. quantam uerò uim habeat ſimilitudo ſtudiorū, ac literarum ad coniungendas amicitias, beneuolentiamque conciliandam, probè intelligis. Quod quum ita ſit, me tibi eſſe amiciſſimum cogitabis: nec fratris tui modò famam, & dignitatem; ſed te etiam tuaque omnia, mihi uehementer cordi eſſe, perſuaſum habebis. Atque illud imprimis ſenties, daturum me operam, quàm maximè potero, ut loquutio ipſa latina, & emendata, quę admodum tua eſt, his in locis, in quibus ego quaſi totius recti prauique moderator, ac præſes quodam

modo uideor eſſe, ab inueterata illa priorum tempo rūm loquendi ratione uitioſa, ac barbara uindicetur. Valebis igitur mi Quinte, & arce ſapientiæ tuæ, bonarumque literarum præſidio munitus, aduerſariorum conatus omnes, & impetus contemnes, & propulſabis. Lupijs. Pridie Calendas Maias.

Paulo Manutio Aldi F. Venetias.
CXVII.

REDDITVS eſt mihi tuus liber de legibus Brundusij ad VIII. Cal. Maij. Non multis ante diebus commentarios in epiſtolas ad Brutum, Quintum fratrem, & in orationem pro Seſtio acceperam cum tuis literis. Magna ex ijs uoluptate ſum affectus. cognoui enim tibi cum ſumma doctrina & eloquentia ſummā quoque uirtutem, & humanitatem eſſe coniunctam. nam tuę in me beneuolentiæ commemoratio in ijſdem literis tuis, accidit mihi periucunda. De ijs autem, quæ ipſe ad te ſcripſeram, & laudibus quas te negas agnoſcere, tantum illud eſt à te perfectum, ut etiam admirer animum, & modeſtiam tuam. De legibus, accepi ſine tuis literis. hoc primum uolui, ut ſcires. fortaſſe tamen ſcribendi poteſtas non fuit; quod in tantis occupationibus tuis equidem non miror. Sed, quòd literis, quas (ut dixi) antè acceperam, non ſtatim reſpondi; iſthinc rumor peſtilentiæ, hinc tumultus bellorum crudeliſſimi retardārūt officium meum. Venio ad tua ſcripta, quibus mirandum in modum delector; delector autem?

immo hercule ſic erudior, ut credam ijs tantùm fieri poſſe, ut reſpondeam de me opinioni tuæ. Quamobrem, te rogo, adiuua me huiuſmodi rebus, ſcriptisque tuis, & iſta ſcientia ſingulari, ut eſſe is poſſim, quem in epiſtola tua iam me eſſe dixiſti. Legibus tuis nihil melius, nihil ἰσοφικώτερον fieri poteſt. Sic tibi perſuade, me quoque minimè eſſe blandū natura; nec mihi unquā Neapolitanitates hærere potuiſſe ullas. Nihil inuideo, aut ſimulo, aut contemno, aut blandior. Id loquor, quod ſentio; ſentio autem nūc profectò id, quod res eſt, te iſta laude latinè ſcribendi cùm eloquentiſſimis ueterum Romanorum poſſe conferri, et ſingulare lumen quoddam ad libros ueterum intelligendos tuas antiquitates allaturum. Quę ſcripſiſti in eos; qui latinam linguam inſectantur, ea mihi gratiſſima fuerunt. Velim cauſſam ita ſuſcipias, ut, quemadmodum in M. Tullij, ſic etiam in tuis libris omnibus legitima quædam ſit defenſio latinitatis. Ille noſtram linguam tractatione ingeniarum artiū cupiebat illuſtrari: nos tantis ingenijs cultam, ſcientijs omnibus adiunctam, tot gentium & ſeculorum conſenſu receptam, diſciplinarum, legum, ſacrorum, & religionis communione, tota penè in Europa, neceſſariò celebratam, multo faciliùs tuebimur. Nam quid, obſecro, illud eſt, quod aiunt, noſtram amplius hanc linguam non uideri, & relinqui prorſus oportere; quia non latinè uulgò homines loquantur? quid ſexcenta, quæ ab iſtis temerè ineptiſſimeque ſunt in nos diſputata? Sed imperitè illa, & imprudenter

iactata;

iactata, in cælo ſunt apud indoctos homines, tantum quia nos patimur, et ijs nemo adhuc repugnauit. nemo ſe contra iſtorum inſolentiſsimas calumnias patronum ſe præſtitit ueritati. Ac uide, quæſo te, prudentiam & ęquitatem illorum diſputationis. Nemo unquam de noſtris tam furioſus fuit, qui linguam noſtri temporis, quam unam amplectendam putant, quoquo modo uiolaret: ipſi latinam clamant auferendam, qua ſublata, ne quid amplius dicam, noua hæc etiam intereat, neceſſe eſt. Sed iſtorum inſulſitas, atque amentia, niſi te pudeat ſępius tam ridiculis de rebus diſputare; non dubium eſt fore, ut ab omnibus rideatur. Sed ineptior ſum & longior, quàm uolebā. Ad Brutum igitur, & Quintum fratrem epiſtolæ nunc uidentur mihi latinè loqui. Seſtiana luculenter explicata. Itaque debes ex promiſſo cæteras. Hiſtoriæ omnes à te peruestigatæ. has rectiſsimè inuenire, ſolius erat doctrinæ, & diligentiæ tuæ. Quòd me cuperes in iſta luce uerſari; utinam defatigatio iam pateretur, aut rationes rerum mearum. tenuitas quidem ipſa hortatur: ſed conſiſtendum aliquando una in uoluntate inſtitutoque uiuendi. Tædet iam præterea laborum, aduerſæ fortunæ, & longiſsimi temporis iam à prima ętate peregrinationum. Vriæ cogito, id eſt domi meę, ac ruri potiſsimùm, in literis uitam agere. Sed, quando certè nihil erit, quod ſcribendo ſuſtinere poſsimus; fortaſſe ad carmen, ludoſque adoleſcentiæ reuertemur. Hæc tamen Deus uiderit. nimis enim diu cupio. Illud fortaſſe non deſpe-

randum, ſore aliquando, ut uel iſthic, uel ubicunque eris, te uideam; idque cum Marcello fratre. is enim me comitem eſſe cupit itinerum ſuorum. me utrique ueſtrûm eſſe pollicitum exiſtima, ſi me unquam à moleſtijs relaxâro. Quòd de lippitudine ſcribis, & imbecillitate ualetudinis tuæ; ſic ſtatuas uelim, me ipſarum quoque literarum eam ægritudinem putauiſſe. Quamobrem, ſiquid remittas interdum de labore, & contentione ſtudiorum; id non tam ualetudini, quàm literis etiam ipſis datũ exiſtimabis. Serua te, obſecro, non tibi ſolùm & liberis; uerùm nobis etiam, & ſtudijs omnium gentium & ſeculorũ. De meo in te amore non eſt, quod multa ſcribam. nõ enim caſu, uel non ſatis perſpectum, uel præter morẽ boni uiri, te diligere cœpi; quem tanti facio, quanti hæc ſtudia, in quibus tu maximè excellis, & ego te auctorem ſequor. Permanat hic amor ad Aldum tuum, ſumma ſpe literarum, & uirtutis puerum; cuius miſſa ad nos Patauio ſcripta quędam, legi ego etiam libentiſſimè. Dij te filio, illum patri, utrunque ueſtrûm nobis, & bonis literis ſeruent. Vale. Brundusij. Cal. Iun.

Braccio Martello Lupienſium Pontifici,
Lupias. CXVIII.

EXCVSATIONEM tuam, quòd ſerò ad meas literas reſponderes, minimè neceſſariã putaui. Abundantia enim ſola quædam uirtutis, & beneuolentiæ tuæ fecit, ut homo officioſiſſimus, atque huma-

humaniſſimus, humanitati et officio tibi defuiſſe uiderère. Quòd ſiquid eiuſmodi ſubeſſet, ut tu quidem ſuſpicaris; id deleri potuiſſet, non tam excuſatione, quàm tuarum ſuauitate ipſa literarum. Ea enim ſcripſiſti, quæ non tam propter amorem in te meum, quàm ſua ſponte mihi iucundiſſima fuerunt. ac denique ne ipſe quidem magnopere à te literas expectabam. Non enim eò ad te ſcripſeram, quò tibi religionis cura, & Pontificatus, ſummisque negotijs occupato, moleſtiam reſcribendi afferre uellē; ſed, quanti te facerem, uolui, ut ſcires, fratremque meum tui obſeruantiſſimū commendatum haberes. Nunc igitur commodius accidit, quòd & tuā in illū uoluntatē cognoui, et amātiſſimè ſcriptis ad me literis tuis mirificè ſum delectatus. Nā, quod præterea me ipſum, et mea omnia te ſcribis eſſe curaturū; ago tibi gratias immortales. Equidem, quicquid in fratrē meum, aut literas tuendas cōtuleris; id omne in me collatum exiſtimabo. Vale. Brundusij.

Scipioni Granapheio, Pataulum. C X I X.

SVPERIORES *literas multis ante diebus ad te ſcripſeram: nam ſolutura è portu nauis quotidie uidebatur. Nunc autem nihil accidit interea noui, quod ad te ſcriberem. hoc tamen, quicquid eſt, exaraui; ut ſcires, uoluiſſe me ſtatim amantiſſimis tuis literis reſpondere. Quòd ſi eueniet, ut hę quoq; meæ literæ ſerius tibi reddantur; ſcito me expectare non potuiſſe, dum nauis diſcederet. Scripſi enim*

ſubitò

ſubitò Vriam proficiſcens, quum & adhuc ea moraretur; nec eſſet præterea, cui darem; & multos dies me abfuturum Brunduſio putarem. Verumtamen ſedulitas mea reprehendi non poteſt, qui, ut recentiſsimas literas ad te mitterem, diligentiſsimè curaui. Quum rediero, ſcribam ad te plura. nunc altiore iam Luna, equi ſternebantur. Etenim ibam noctu propter æſtum ſolis. Vale. III. Non. Iun.

Donato Argentario, Vriam. CXX.

DE literis, quas Neapolim miſimus, & tota de re valde aueo ſcire, quid actũ ſit. Nudius tertius, ut nos quidem ſingulorum iter dierũ ratiocinabamur, debuerat Garganius reuertiſſe. Interim fuerunt multi, quibus literas dare potuiſſes. Ego non antè deſinam uereri, quàm à te literas accepero. Vale Brundusij.

Argentario, Vriam. CXXI.

A STRABONE commodiores expectabam literas. is tamen acceptis, quas ad me ab illo miſiſti, neque uehementer dolui, quod ipſe facis, neque deſpero adhuc aliquid poſſe fieri melius. Nam, quòd rogas, ne quid ea de re ad illum ſcribã amplius, obtemperabo equidem tibi: ſed fieri non poteſt, quin ſua ſponte is ad me ſcribat. Fortaſſe etiam erit, ut uolumus. Verùm fac deſperata eſſe omnia; nulla tamen in deſperatione rerum te conflictari uelim. Nã cætera ſi non poſſumus, illud ſaltem arripiamus à ſtu

dijs, ut moderatè dolendum ſit. Verùm nec aliquid eſt mali; & ſiquod eſt, dies ipſa mitigabit. ut enim coràm egi ſæpius, non dubito fore, ut aliquãdo nimia eius ipſius commodi atque honoris copia ipſi etiam tibi uideatur eſſe moleſtiſsima. ac de his hactenus. Quod autem fore amicum illum, quem unicè diligo, confirmas poſthac ſapientiorem; uehementer id mihi gratum erit. non quòd negem illum eſſe ſapientē; ſed, quòd ſubiti illius motus quidam, & præcipitati ſermones, & cõſilia, acerbitasq́; uel ætatis uel naturę multorum à ſe uoluntates alienauit. Perſpecta enim mihi ſunt omnia, cognita, & rectiſsimè iudicata contrà illum, quem amo, pro ijs qui amici nunquam mihi fuerunt. Denique credas mihi, uelim, nihil eſſe, quo reprehendi in hac re poſsit iudicium meum. Gaudeo tamen, quòd illum ſcribas, neſcio quid, melius cogitare. A te uerò in primis peto, ut opera & conſilijs eum tuis quàm ſępiſsimè iuues. Vale.

Argentario, Vriam. CXXII.

NIMIS *crebra eſt in meis literis excuſatio occupationũ mearum. illam tamē ſcio tibi neque moleſtam, neque falſam, aut ineptam uideri. denique ſummè diſtinebar. Diſsolutum Roberti nomen quòd ſcribis, uehementer ſum gauiſus. Doleo, ſiquid mea feſtinatio obfuit rationibus tuis. Dolor tuus, de quo ad me ſcripſiſti, mihi quoque magnò dolori fuit. Tu tibi moderare, ne aut aliter, aut plus doleas, quàm par eſt dolere ſapientem. Interfui ſępe,*

quum

quum Stoicos irrideres; & iure tu illos fortaſſe, at ſaltem cum tuis τερπνὰ τε. Cætera, quæ mandas, curabo omnia; ad teq́ue perſcribam. De tuis rebus quòd uelle te ſcribis communicare mecum; expecto, quale ſit. Oro te, & obteſtor, id ſtatuas, quod ſit dignum ſtudijs, & ſapientia tua; neque aſpernêre, ſi quid conſilio iuuare te poſſum. Illud affirmo fore, ut neque ſtultè, & amanter à me tibi conſultum putes. Literas ad Marcellum fratrem curabis, ut quàm primùm, per fidiſſimum hominem perferantur. Sunt enim magnis de rebus utriuſque noſtrûm. Vale.

Argentario, Vriam. CXXIII.

L*ITERÆ à te nimis diu nullæ. Iſthic perturbatio rerum mearum à publicanis. Exigua ſpes erat in fratre, ſpes tamen aliqua, ſi modò fuit ſtatim, cui literas ad illum meas dare poſſes. Vide amabo te, ecquod Moſello, aut Corrado conſilium dari queat. Res eſt huiuſmodi. Agros mihi ſcripſerunt uectigales, qui iure ſunt optimo. Deinde oppignerari frumentum licet ab ijs dumtaxat, qui ſæpius poſtulati non ſoluiſſent. Pecunia uerò, ſi quam debeo, & eſt, & fuit ſemper ijs parata. In frumentũ igitur, aut aliqua pignora nullum ius eſt. Poſtremò, non dubium, quin hominum quorundam maleuolentia, Aquæ Germanæ mihi ſint hoc anno æſtimatæ. Illas porrò emi (ut ſcis) menſe Ianuario, multo poſt, quàm prædiorum ſunt æſtimationes factę. Facillimè hoc poteſt cognoſci ex tabulis emptionis, & ęſtimationum.*

tionum.ad id Corradum commoue.Præterea ab Ar dillo quid emi aliud,quàm uix tria iugera?nam fru ticeta excogitauerat Corradus, ut nō empta ab Ar dillo,ſed à Pōtifice Aleandro nobis eſſe donata, Frā ciſcum Malitiam procuratorē illius teſtaretur. Venio ad tua.Strabo me ſæpius rogauit per literas, ut ſibi multis de rebus reſponderem,quæ ſuis ſtudijs ual de neceſſaria dicebat.Ego uerò,ut ne mentiar, in ijs diu ſuſpenſus fui. Nunc uerò mihi uideor inueniſſe, quibus magnam partē illi ſatisfaciam. Cogito de negotio tuo (ut te uelle ſcio) nullum uerbum facere in meis literis.ſignificatione tamen iaciam aliquid obſcura,ad quod ſcio multis eum uerbis reſponſurum. Mihi crede,nihil de cupiditate mea ſuſpicabitur. literę enim meæ iam nimis diu ſunt ab illo expectatę.Ego,quanta fieri poteſt, maxima diſſimulatione utar.denique hominem ſine ulla dubitatione capiemus.Quæro nunc,& id iam multis diebus,cui tutò ea de re literas dare poſſim.Tu etiam uelim quæras. is enim eſſe neceſſe eſt,qui non conſultò, aut à nobis, aut per nos, ad ea loca uideatur eſſe miſſus. Aueo ſcire,quid illud ſit,quod te cogitare dixiſti de rebus tuis. Totum conſilium tuum mihi explices, uelim. aliquid fortaſſe uidebimus, quod maximè expedire;uel,quàm fieri poteſt, minimum obeſſe credatur. Tamē,quicquid ſtatues,non dubito, quin habiturus rationē ſis non ſolùm præſentis fortunæ, uerùm etiā dignitatis tuæ. Mihi nunc ſcito nihil eſſe longiùs, quàm ut his de rebus accipiam à te literas. Vale.

Marcello

Marcello fratri, Lupias. CXXIIII.

IAM ne raras quidē tuas accipio literas. ſed non multis querar. Te potius rogo, ſaltē rarò ſcribas. Poſt digreſſum noſtrum unis tantum literis tuis poſſum eſſe contentus, ijsque breuibus, ac nullis? & ſunt multa, quæ ſcire à te uelim. Quare ſcribas, quæſo te frater, quid agas, quid actum ſit, quid cogites de tuis rebus, & utrum domi ad Septembrem ſis futurus. Equidem maximè uelim: ſed te Palatinus impedit, & ego illum facio plurimi; & is egit mecum, ut te rogarem: & denique utram in partem nunc te adhorter, neſcio. tantùm doleo res utriuſque noſtrûm prædam eſſe omnibus. in meas quidem publicanorū quoque iniuriæ, & impetus quotidie. Accepiſſe te credo meas ea de re literas. iſtic uide, ſiquid fieri poſſit. Nam de his iniurijs expectari, quid Prætor ſtatuat, nimis longum uiſum eſt, et incommodum. uidero tamen, & rationibus anni ſequentis proſpiciam. nunc aut ope tua ſaluæ res erunt, aut præterea nullius. Illud autem doceri à te uelim, ecquis rumor iſtic aut nuntius de binis dextantibus à moneta tollendis. Edictum fuerat opinor, ad pridie Idus Quintilis. mirum tamen adhuc ea de re ſilentium eſt. Nummos autem recuſant omnes: æs alienum nullū diſſoluitur, quod ipſi ultro fugiunt creditores. Sed, quod me ſolicitat, eſt huiuſmodi. egi tecum de mille modijs capitum croci, quos Manduriȩ emere cogitabam. Brunduſini interim ſponte pecuniam pollicen-

tur.

tur. hinc mihi ſuſpicio iniecta eſt maior. ſed rurſus uereor etiam,ne uidear beneficium fugere. Hoc mihi explica quàm primùm, ſiquid noſti. audiuntur enim celeriora apud uos & certiora omnia. Sed uenio, ut illud à te omni ſtudio petam, quod maximè neceſſarium mihi, credas, uelim. Amicitiã mihi intercedere cum Ioanne Antonio Pallia non ignoras. Hic ſæpius à me ꝑ literas petijt, ut his in locis quærerẽ Antonij Ferrarij librum, qui de Salẽtinurũ ſitu ab eo ſcriptus eſſe dicitur. Proximis uerò literis queſtus eſt, quòd ſibi de re tam parua nihil hactenus reſpõderim; meq́; rogauit, ut tibi eius libri perquirẽdi negotium darem. literarum illius ad te exemplũ miſi. Quamobrem te rogo frater, quantũ me amas, quantum te amari à me ſcis; tantum incumbas ad hanc meam & Palliæ amiciſſim noſtri, & doctiſſimi hominis uoluntatem. Effice omni ſtudio, labore, diligentia tua, & amicorum omnium, ut eum librũ, ubicunque ſit, habere poſſimus. Quando autem deſcribere illum certè oportebit, ego pecuniã ſcriptori ſoluam. Illud exiſtima nullam me hac in re accepturum excuſationem tuam. nam pręter librum ipſum, nihil erit aliud, quo mihi ſatisfiat. Eſſe uerò illum apud multos in iſta urbe neceſſe eſt, in qua Ferrarium, qui illum nouerunt, natum, & in literis aiũt eſſe mortuum. Denique à te uehementer expecto, vndè plurimorum Pallię utriuſque noſtrûm amantiſſimi officiorum non ingratus eſſe videar. Sic tibi perſuade, hoc quidem tempore nihil eſſe, quod gra-

tius

tius mihi facere poſſis. Coccettus erat mecũ. is multa in me procuratoris tui facta improbè narrabat, quæ corrigi aut caueri in poſterum, niſi te præſente, non poſſunt. Vale.

Argentario, Vriam. CXXV.

NONDVM putâris me reſpondiſſe, quid mihi uideatur de conſilio profectionis tuæ. Longior enim & difficilior deliberatio eſt; non quòd lateat, quid ſequendum ſit; ſed quòd neſcio, an uerear, ne quid tibi in animo inſederit, in quo relictus deliberationi locus nõ ſit. Hoc mihi ſeruabis integrum, ut dici poſſit aliquid in utramque partem. Equidem nihil ſtatuo; tametſi conſilium tuũ ſcias adhuc mihi non placere. arbitror tamen illud fortaſſe à te mihi probari poſſe. Itaque ad cõgreſſum noſtrũ ea diſputatio differetur. Quòd ſcripſi me uehementer dolere, id tale eſt, ut totum literis committi non debeat. ſcio tamen te multa diuinare. Significaui enim ſuperioribus literis, quo te loco apud tuos, atque apud te uiciſſim illos eſſe oporteret. Sed deniq; liceat mihi dicere, quod ſentio: non tam ullam fortunam, quæ tuis æqualibus nunquam dominatur; quàm nos metipſos attuliſſe, quo miſeri eſſe uideamur. Nã hoc etiam ſtatu rerum, quo non video, cur tantoperè turbari debeamus, cur nos ad literas non abdimus, & honeſtiſſimum otium, donec ſecundiores uenti fuerint? Sed ſcilicet, non tanti facienda eſt tua unius doctrina, & induſtria, quanti aliorum trium turpis deſidia; & multò grauior tui menſium paucorum ex-

ectatio, p

pectatio, quàm perpetua illorum & fœdiſſima ignauia. Lenius agerem, ſi uos non amarem; et ſcis me adulari amicis non ſolere. te autem, etſi non omnino à me diſſentias, in iſtos cognoui eſſe indulgẽtiorẽ. quãobrem ignoſces amori meo, & timori de rebus tuis. Si tamen proficiſcare, quãquam id me inuito facies, cogitabimus, quibus te rebus poſſim adiuuare: ſin maneas, polliceor hanc meæ tenuitatẽ fortunæ ſemper tecum fore communem. Qualem uerò exitũ profectionis tuæ futurum eſſe putem, non in has literas includam; & ſunt multa, quæ te nolim ignorare. Equum ſe mihi uelle emere, ſcripſit Corradus. Quæſo te, hoc ne fiat ſine iudicio patris tui, quem ſaluta meis uerbis. Brunduſij. III. Non. Quint. Vale.

Argentario, Vriam. CXXVI.

TE poſt nuptias Aleandri ad nos uenturum puto, et hercule neceſſe eſt. Potentinorũ Princeps uenit ſtatim, ut ipſe diſceſſiſti: & omnia ſunt in expectatione ac metu; nec ſciri poteſt, quandiu is, aut rationes belli hoc in ſtatu ſint futuræ. Quamobrem maturè uenias, cenſeo. tum de noſtris rebus colloquemur: quamquam ne expectare quidem illum diem ego poſſim. Nam illud mihi apud te nunquam planè uidebor ſatis eſſe teſtatus, exiſtimationis tuæ, & plurimarum artium ſcientiam, qua excellis, antiquiſſimam rerum omnium tibi eſſe debere. Cur enim tu non pluris illã facias, quàm ipſi penè aduerſarij tui? Si enim hanc uita ipſa nobis debere intelligemus ca-

R riorem,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

riorem, concidit profectò noſtra ſuperiorum dierum diſputatio, & illa quibus neſcio quæ turpitudinis ſpecies falsò ineſſe uidebatur, ſolidamque uim honeſtatis intuebimur. Neque tamen impedio profectioné tuam; tametſi placere ea mihi non poſſit: ſed illud multo antè, rectiſſimeq; iubeo prouideri, quã ad ré, aut ſpem dignitatis te proficiſci putes. Itaque tibi ſum auctor, ubicunque eſſe uelis, ſcientiam tuam ut colas; credasque præter immortalitatem, ornamenta etiam uitæ, & uberrimos te fructus ex illa eſſe capturum. Vale.

Argentario, Vriam. CXXVII.

STATIM ut à me diſceßiſti, ita de ſermonibus noſtris cogitare cœpi, ut illud meum conſiliũ, quod initiò dixeram, non utilius quidem, aut honeſtius; ſed moribus, naturæ, ac defatigationibus meis, & tædio huiuſmodi rerum, atque hominum magis accommodatum mihi uideretur. Nam, quum tibi meas cogitationes paucis (ut ſoleo) declarauißem, tuque ijs uehementer pro tua in me beneuolentia delectarêre; ad illud etiam me excitare uoluiſti, ut eadem ex re, ac ſtudij mei laboribus me putarem uberiores fructus, maiore etiam cum laude quærere debere. Placuit tam ualde conſilium tuum, facileque maiorum ſpes certißima commodorum, & famæ illuſtrioris grata mihi fuit ac iucunda. Nunc uerò non ita ſententiam mutaui, ut de re prorſus nolim fieri, quemadmodum eſt eo die inter nos conſtitutum: ſed

ita

AMOS

ita profectò, ut ſequar auctoritatem tuam, ſi teneri nullo modo poteſt, ut utar conſilio meo. Nam, quòd me aſsiduum apud Reginam dicebas eſſe oportere, neque fortaſſe aliter illam eſſe permiſſuram; non dico me, ſi ita res cogat, repugnaturum illius, ac ne tuæ quidem, & amicorum uoluntati: ſed tamen ita aſſentiar, ut ijs, quæ aduerſisſima ſæpe mihi in uita acciderunt. A meis enim rationibus, inſtituto, natura, cupiditate preterea multorum annorum maximè eſt alienum, tanto in ſtrepitu, & frequentia hominum uerſari. Neque ignoras tu, quum diu Romæ uixerim, & coniunctiſsimè cum doctis hominibus & eruditis, me, niſi & ambitionem ſemper fugerê, & deſiderio ſolitudinis interea tenerer, honeſtè ac iucundè uiuere potuiſſe. Ac de ſtudijs quidem, neſcio quo meę naturæ uitio fiat, ut non poſsim, niſi quum ſolus neminem uideam, accuratè aliquid cogitare. Quamobrem uide etiam, mihi hiſtoriam ſcribenti, rem uidelicet omnium difficillimam, quantum otij, & requietis concedendum putes. Nec illud eſt ſatis, quod nihil aliud prorſus mihi erit agendum, niſi ut ſtudijs, & ſcriptioni ſeruiam: ſi tamē ea in cogitatione ſim, quotidie fieri poſse tāta in domo, ut aliquo modo interpeller. Hoc enim, mihi præſertim homini timido, perinde futurum eſset, ac ſi quàm minimum otium daretur. Quòd ſi (ut dixi) fieri ita neceſse erit, ut tu ſuperioribus diebus affirmabas oportere; ſorbebo, ſi potero, difficultatem; parebo conſilijs ueſtris, & neceſsitati, ſed contra rationem, & uoluntatē meā.

 Mihi

Mihi enim illa ualde placet ratio, quam uehementer neceſſariam ijs, qui ſe ad ſcribendum dederunt, ſemper iudicaui, ut quum reliquum tempus omne habeant uacuum à negotijs rebusque omnibus, tum ſæpè quoties neceſſe eſt, ſumere dies poſſint quamuis multos ad ſcribendum, ſeu etiam legendum, quibus neminem uideant, à nemine uideantur, nec ubi ſint, ſciri poſſit. Sed, quid aliorum ſtudijs opus ſit, pro ingeniorum diuerſitate, non quæram; mihi quidem illud inſitum in natura eſt, quod tu ſeu uitium, ſeu quod uis nomines licet, ut quum graue eſt aliquid cogitandum, neque moleſtiam ullam ſuſtinere, neque (quod maximum eſt) ex cuiuſquam pendêre poſſim uoluntate. Cætera enim ſunt leuiora, ut ne labores quidem ullos timeam, aut quærēdi librorum; aut conſulendi doctorum hominum; aut Sarmatiæ uiſendæ. At in aliena eſse domo, niſi æqualium meorum, qui & ipſi habitare mecum poſſint, & ſuſpenſum habere omne tempus, & momenta ſtudiorum, & uiuendi, non ſanè uelim. Quare à te uehementer peto, ne quid inſtituas, quod ratio conſilij mei, & uoluntas minimè profectò leuis ferre non poßit. Rem communicabis cum fratre, cuius in literis, quas ad me pridie miſerat, nulla ſignificatio fuit, de ea aliquid uos adhuc eſſe colloquutos. Sed is febriculam ſe habere ſcripſit, tu fortaſſe impediebâre nuptijs Aleandri, quem meo nomine ſalutes, uelim. Nam excuſationem, quòd adeſſe non potui, confido non eſſe à te prætermiſſam apud illius fratrem & Lauram conſobrinam

nam tuam. Cupio equidem benè, & feliciter euenire, quod eſt factum. Vale. Brundusij. XI. Calendas Sextilis.

Paulo Manutio, Venetias. CXXVIII.

DEERAT omnino, quod ſcriberem; & inani te epiſtola interpellare nolebam. Mihi tamen illud eſt grauiſsimum, ut exiſtimes nullis adhuc meis in literis, meum in te animum atque amorem ſatis eſſe teſtatum. tantus enim eſt, ut de illo magis ex te ipſo & ſuauitate ingenij tui; quàm ex oratione, & infantia mea iudicare te uelim. Hoc ſi tibi perſuaſum eſt, nihil habeo nunc quidem aliud, quod me oporteat ad te ſcribere. Libros tamen iam legi tuos, neſcio cum uoluptatène maiore; an fructu. Nunc, ſiquid aliud eſt abſoluti (& profectò iam neceſſe eſt eſſe aliquid) cogitabis me eſſe eum, qui omnium maximè ſcriptis tuis delectetur. hoc tam te rogo, quàm ſoleo, ut me ames. Ego uerò his in locis non multum adhuc ſcio literarum. non doleo, quòd etiam fortaſſe nuſquam, ſed quòd in his locis. Sunt qui tamen ad hiſtoriam Regum Sarmatiæ me adhortentur. hanc equidem ſuſcipere non fortaſſe nollem: ſed res non per doctos homines apud Reginam curatur. Itaque ſunt hæc mea & amicorum ſomnia. rectè enim conſulet fortuna ignauiæ meę. Sed iam plura, quàm uolebam. Vale, & nos ama, ut facis. Brundusij.

Franciſco Strateio Medico, Manduriam.
CXXI.

TVAE literæ, ut ſcripſi ad te antea, ſemper mihi gratiſſimæ fuerunt. Quare etiam ſic tibi perſuade, ſententiam tuam mihi rectiſſimam uideri. Equidem, ut de illa, ſic de mea etiam diſputare, ſtatuo nihil oportere: quanquam, ſi me roges, nulla mea ſententia eſt, nulla opinio; immo adeò nec ſcientia quidem ulla (ſiquid unquam didici) niſi ea, quam Pontifices Maximi, illorum concilia, et maiores noſtri ſanctiſſimi uiri nobis tradiderunt. Huiuſmodi de rebus quoties percontêre, toties aut nihil prorſus, aut illud reſpondebo; affer mihi ſacros libros; affer uel Thomæ, uel Auguſtini; cedò huc leges, & inſtituta maiorum. Meum uerò ſenſum, quo aut inuenerim, aut intelligam, aut interpreter, aut ſapiam omnino aliquid, præter hęc; nullum eſſe uolo. Iſtos præterea, qui ſe Benedicti, Franciſci, aut cæterorum ſanctiſſimorũ hominum uitam agere profitentur; ego mi Stratei ſic laudo, ut quoſdam ex reliqua multitudine, quos ulla in re nemo cęteris hominibus, aut nobis etiam ipſis anteponat. Quòd ſi aliter credam, profectò inſaniam, nec eſſe eſt. ſin hoc genus hominum cum illis ipſis conferam, qui ob uitam ſanctiſsimè actam, in cælo, non dicam pro Dijs immortalibus habentur, ſed Dij ſunt immortales; Deos ipſos mihi omnes iraſci putem. Hîc denique mihi habere aliquid uideor, quod rectè ſentiam, non debere iſtos homines queri, quòd

præ

præ ijs, qui etiam publica ſunt religione conſecrati, mores, uita, ac ſua omnia, parum ſancta nobis, ac parum honeſta uideantur. Si modeſti ſaltem haberi uolunt, æquo animo ferant, ſeueriùs agi ſecum in eo ſermone, ubi ſanctiſſimorum hominum uita, gloria, atque ἀποθέωσις prędicatur. Nam quid dicimus? an Franciſcus, aut Benedictus, aut cæteri ſanctiſſimi illi heroës, hac uia, quam iſti tenent, & his gradibus in cœlum aſcenderūt? An falſa ea ſunt, quum liceat proferre grauiora, quæ nec modeſtiæ meæ eſſet ſcribere, nec ſanctitatis tuę patienter audire? Illa tu ſi ignores, tribuo caſtiſsimæ ſimplicitati; ſi taceas, uerecundiæ; ſi diſsimiles, lenitati; ſi feras, diuinæ patientiæ tuæ. Mihi quidem contigit, ne ignorarem ea, quę ſunt in ore, atque oculis omnium hominum. Quod ſi tamen de ijs tacere me omnino uoluiſſes, obtemperabo poſthac non auctoritati ſolùm tuæ, & conſilijs; verùm ét ſtudijs, omnibus & uoluntati. Illud te rogo, ut ne in uiuentes turpiter, quàm in me illos accuſantem uerè, lenior eſſe uidearis. Quod, quia te confido eſſe facturum, polliceor fore, ut in poſterū nullum de ijs meum uerbum audiatur. De amico autem tuo, quem doles à me nominatim eſſe reprehenſum; dixi iam ſuperioribus literis, quanta ab eo iniuria affectus eſsem. Quocirca, ſi, ut ſcribis, fratrum loco nos habuiſti ſemper; non dubito, quin tibi meus etiam dolor iuſtiſsimus eſſe uideatur. Etenim, quum is antea mihi notus non fuiſſet, & cum multis ad illum nobiliſsimis uiris, tanquā ad numen ali-

quod ſalutandum, ingreſſus eſſem, neque ulla cum re aut ſermone prouocarem; quum de ratione tamē ſtudij mei ab ijs, qui aderant, accepiſſet; neque bonum uirum, neque liberum, neque Chriſtianum hominem, nec omnino hominem eſſe me putauit; idq́ue tantis clamoribus, tamq́ue præter opinionem, quam de illo habebam, ut turbatus etiam admiratione, uix ſcirē, quibus in terris eſſem. Hæc, inquam, Stratei, quæ ille non de Chriſti legibus, non de Franciſci uita atque exemplo didicit, obruam ego, te auctore, obliuione ſempiterna; ſi poteſt idem obliuiſci illius, quam ad Sergium ſcripſi, epiſtolæ meæ. Donet ille ſuas contumelias Chriſto, quem ſuum unius eſſe Deum arbitratur: donabo ego meas humanitati & innocētiæ, qua nolo mihi illum facias parem. Atque equidem eò acerbior in illum fui, quòd nolo huiuſmodi in rebus eſſe ludibrio cuiquam, nolo ulla in parte religionum, quamuis minima, uel (ut ita dicam) nulla, temerarius dici aut haberi: quod ut uitarem, multū ac diu laboraui. Adiunxi enim ad mea ſtudia, ſciētiam omnis diuini iuris & humani; nec eſt à me prætermiſſum, quicquid eſt in legibus, inſtitutis, et in more maiorum. totos decem annos, poſtquam Romā ſum reuerſus, in conſuetudine fui ſemper honeſtiſsimorum hominum, qui ſunt vita, literis, & exiſtimatione clariſsimi, & principes uiri; quo toto tempore nullum meum dictum aut factū reprehendi ab ijs, uel à quoquam iure potuit. Vixi diu Romæ cum doctiſsimis, & ſanctiſsimis uiris; uixi in luce hominum, in oculis

lis Pontificum, familiaritate Cardinalium, & eorũ, qui legitimi ſunt magiſtri religionis. Nunc uerò, ſi Dijs placet, religionem & ius Pontificium diſco in ſordibus, ac fęce hominum Salentinorum ab eo, cui propter inſtitutum uitæ, ne turpe quidem eſt hæc neſcire; immo adeò honeſtum quoque, nihil de communi uita iudicare. Nam is, cui tantùm ipſe ſibi deberet eſſe cognitus, & ſola eorum uita, quibus in ſolitudine ac deſertis uiuendum eſt; mores tamen corrigit publicos, nec dico ijs corrigendis, quos reprehẽdat, quorum auctoritatem damnet; in me quidem nihil aut religionis, aut maiorum, aut Pontificũ, aut Principum ſcita lædentem, non ut irati ſolent homines: uerùm potiùs, ut furia quædam exarſit. O præclarum magiſtrum religionis. ô manſuetudinẽ illo ueſtitu, & homine Chriſtiano dignã. Parte neſcio qua ſtudij mei, legem is me ſanctiſsimam clamat uiolare; proindeque execrandum hominem uideri, maximeque dignum, cui aqua & igni, & commercio generis humani interdicatur. Si quis in te Franciſce, ſic mentitus eſſet, illum tu bonum uirum credidiſſes? illum tanta accepta iniuria ferre potuiſſes? Profectò non dubium, quin illud ſtatim recordarêre, Chriſtum ipſum, à quibus petulantiſsimè Samaritanus, & cõſilia habere communicata cum furijs diceretur, in eos uehementiùs eſſe commotum. Equidem, quod ad me attinet, conuicia ac maledicta omnia ferre poſſem, quæ modò impietatis maculam, aut turpitudinis mihi aſpergere non queant. Hîc enim ſemper uo-

culas,

culas, & probra omnium ſuſtineo. Dicor non multũ attigiſſe interioris doctrinæ, puto ferendum eſſe; dicor peſſimè ſentire de literis, non diſputo; dicor non ſatis habere ingenij, taceo; dicor labefactare latinam linguam, dicor barbarus, atque omnino indiſertus, ne repugno quidem: tentat aliquis mihi famam boni uiri, aut honeſti, aut religioſi hominis uiolare; huic ego, niſi id quoque aduerſus religionem uideretur, ſempiternas inimicitias denunciare poßem. Habes Franciſce, quibus rebus adductus, in ea epiſtola, amici tui mentionem feci, in qua illud doleo uehementer, læſam eſſe uoluntatem tuam. Scis enim, quàm te his uiginti annis amauerim; neque ego ſum oblitus, uel beneuolentiæ, uel officiorum, uel artis tuæ, quam ſępe in mea meorúmque ſalute ſum expertus. Quare credas mihi, uelim, nulla re alia fieri potuiſſe, ut tantam iniuriam obliuiſcerer; quàm tua uoluntate, & dolore, quem in tuis literis, maximum te cœpiße cognoui. Vale. Brundusij.

Marcello fratri, Vriam. CXXX.

MVLTIS de rebus ſcire à te uelim. ſolicitat me, quòd uereor etiam, ne qua in re ceſſetur. Nam hactenus maturatum nihil eſt eorum, quod te properare uoluißem. Scio tamen cogitare te, quid hoc anno ſuſtineam, quid inſtituam, quid conſtituerim. Quantum me amas, frater, incumbe ad res omnes. Bona pars hyemis exacta eſt: in reliquã, oro te, uide, quid fiat. Scis diu antea mihi ſpem aliquam ui

tæ in hunc annum eße reiectam. nam mihi quis tam inuidus eſt, qui me nunc dicat uiuere, aut uixiße unquam? uides ergo, quanta res agatur. Præterea domum Stoicis nullam adhuc emptam puto. hoc mihi perfici cupio quàm primùm. Emas longè ab ædibus noſtris, ut nos, ac uiciniam fęda hominum illuuie purges. hoc mihi Natalibus confectum eße uellē. adero tunc niſi impediat incommodum ualetudinis. Pecunia ſi præſto non erit, cupio uerſuram facere, ut ei debeamus, undè emetur, neque Stoicos unquam amplius nôrim. Equum mihi X. Cal. Ian. fac, mittas ueſperi; ut eſſe tecum poſtridie mane poßim, aut certè ante meridiem. Cū Aleandro, ut ſcripſi ad te antea, ſum colloquutus. itaque leuati ſumus magno labore uiæ. ad illum mittes, quę tibi uidebuntur. Sacerdotiū tamen, quod mihi obtruditis, ualde pertimeſcendū puto. nam Aleandri quoque ipſius de illo ſilentium non probaui. caſus hęc uiderit. mihi enim, ut ſcis, nihil erat, quod tam uitare uoluißem. Spero igitur mihi fraudi non futurum id, quod nulla mea culpa, aut ambitione, aut auaritia peccatum eſt, πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς. *Redeo, ut, quę mea ſunt huius anni, tibi commendem. in ijs mihi ſunt omnia. De camera in Aquis germanis iam non te, ſed Paulum accuſo. illius enim uoluntate, & iniuria dixiſti fieri, ut bis mihi ædificandum ſit. queror tamen, quòd in eo mihi repugnes, illi aſſentiare. Nam duobus his menſibus ut uetere habitatione contentus ſit, facilè illum adducere potuiſſes. uerùm eſto, ut uultis. ſcribes ad me, quid*

actum

actum ſit. De Ioanne Bernardino commodiores hic nuncij. eſſe illum, aiunt, apud Philippum Regem. Cupio equidem inueniri falſum, quod de illo multorũ hominũ ſermone percrebuit. fac ſciã, quid iſthic audiatur. Argẽtariũ ſaluta meis uerbis. Philoſophus is, ad quẽ mihi negotiũ dedit, nimis perplexè reſpondit, grandẽ ſe pecuniam filiæ in dotem dediſſe, nunc uerò ẽt ædificare. id quale ſit cunque, illi nũciabis. Hortos mihi ſub colle ad aquilonẽ, ut dixi, conſerito maiores paulò, quàm ad Vaſtiferias. Quod enim multum aruo detrahitur, id datur uoluntati meæ; dixiſſem uoluptati, niſi tua quoque, mi frater, deſperatio ſpem mihi omnẽ tolleret. Nam ſuperioribus diebus literæ quoque amicorum, neſcio quò, te auferebant; & ſæpe ad me ita ſcripſiſti, quaſi nullã eſſe reliquã nobis uitam hominum arbitrère. Equidem acquieſcere tum denique cogitabam, quum te ante confirmatum uidiſſem: quod niſi fiat, neſcio, quid ſperare audeam. Hortos tamen, quo dixi in loco, mihi inſtituas, facito. Vale, mi frater, & ſ'rò iam de aliqua
f. 1556 *noſtra uita cogitemus. Brunduſij. Pridie Cal. Decẽ.*

Argentario, Vriam. CXXXI.

QVOD ad te ſcriberem, nihil erat; & uellem eſſe quotidie aliquid, quo tecum per literas loquerer, antequam diſcedas. Quamobrem, te etiã oro, fac ne tuis caream interea literis. Arripiam ex ijs fortaſſe aliquod ad te argumentum ſcribendi. Me quartana liberatum eſſe ſcis: quod nunc demum cò

ad

ad te ſcribo, ut acceptum id quoque referam amori, diligentiæ, & conſilijs tuis. Afflixerat me, quum ci ſceſsit, decem περιόδους, *tu græcè hoc, ſeu latinè melius. Nunc potionibus utebar ad ſanguinem purgādum, quas ad me ſcripſiſti. Sed mehercule uideor mihi ſatis eſſe confirmatus. ſcire te hoc uolui, ut amici ualetudine, & ſcientia tua lætêre. Paucis tamen diebus me cōferam ad te. tum uidebo, quid ſentias. Scribes ad me, tibíque perſuadebis, ubicunque eris, te mihi ſemper cariſsimum fore. Vale. Brundusij. pridie Id. Decemb.*

Nicolao Craſſo, Lupias. CXXXII.

De ualetudine mea nihil eſt, quod iam labores. multis enim diebus eram ante releuatus. Magna tamen cum uoluptate cognoui ex timore literarum tuarum, quod mihi perſpectū erat, & multis rebus teſtatum, ſingularis uim quandam amoris in me tui. Ego quoque quanti te faciam, tu optimus es teſtis. recordare enim, ut multa prætercam, ſermones, ludos, & iocationes noſtras. Ea ſi nobis reſtituerentur, memet ipſum mihi putarem eſſe reſtitutum. Quare fac ſaltem, nos aliquando reuiſas, noſtróque illo ſermone familiari interdum frui poſsimus. Varinos patrem & filios mihi ſalutes, uelim diligenter. Amo enim boni uiri fidem, & adoleſcentes optimos, ut mihi quidem perſuaſi, ſtudioſos mei. illos tu quoque, ut te credo facere, cenſeo diligas, & obſerues. meo nomine rogabis, aliquid ad me

dent

dent literarum. De meo fratre, nihil reſcripſerã; quòd arbitrabar de illius animo, & conſtantiſſima in te beneuolentia dicere aliquid non oportere. ergo tantùm riſi, quòd ioco à te dictum accepi. Paucis ante diebus is fuerat apud me. amantiſſimè de te loquebatur. domi curat nunc negotia utriuſque noſtrûm. Quod ſcribis ex Decurionibus neſcio quem, de me ad collegas in concilio retuliſſe; uide mi Craſſe, per fortunas tuas, ne quam eiuſmodi ſpem inijcias cuiquam. Equidem ſemel hinc ſi auolaro, ita amplexabor otium, literas, & paupertatem, ut hanc non pecuniæ, & pollicitationibus modò Lupienſium; ſed uoluntati, & precibus Regum omnium, gaziſque anteponam. Iſti præterea boni uiri, atque nobiles errãt in eo quoque multùm, quòd me ex hominum Salentinorum ſtudijs, natura, moribus, & auaritia iudicant; neque illud ſciunt, aquam citiùs cũ igne; quàm meas cum Salentinis literis poſſe coniungi, ut ego illa queam ferre, quæ prima ipſis, & pulcherrima uidentur. Verùm age, conueniant omnia; ſim ego apud illos is, qui eſſe cupio; tribuatur mihi ab uniuerſis, quantum nec Platoni; exhauriatur mihi ærarium ueſtrum: ego tamen à mea multorum annorum uoluntate deduci, nec poſſum, nec debeo iam, ut tandẽ uiuere dies aliquot, & domi eſſe in literis uelim. Tu fac, te in ſtudijs exerceas literarum; &, quod ad eloquentiam, & ſermonis perfectum genus attinet, in tuo M. Tullio multum, diu, recteque mihi uolutatũ præbeas. Valeant ij, qui repugnant, nec illum modò,

aut

aut latinitatis partem ullam; ſed ne conſilia quidem noſtra, uel inſtitutum nobis cum doctis hominibus omnium ſeculorum commune, adhuc intelligere potuerunt. Id enim rectè ſi accepiſſent, nō ſcriptorem ullum uel mediocris ingenij, doctrinæ, & eloquentię à me contemni, reijcique à meis ſtudijs arbitrarentur. Epiſtolam à te non tam multis ſcriptam uerbis, quàm accuratè factam, & benè græcā expecto. Vale, Brundusij. III. Id. Decemb.

Scipioni Granapheio, Patauium. CXXXIII.

PRO *multis literis meis à te unas tantùm accepi, pleniores illas quidem, ſed unas. Nam, quòd multa de te, ac tuis ſtudijs, multa de claris ac literatis hominibus, qui iſthic uiuunt, ad me ſcripſiſti, ea mihi gratiſſima fuerunt. Sed biennio toto, quum te præſertim ſæpiſſimè prouocauerim; unis tantùm contentus eſſe tuis literis non poſſum. Miſiſti Pauli Manutij de legibus, ut ille tibi mandauerat, & epigrammata doctorum hominum, Baſilij, Caſæ, & Statij: quæ, ne mentiar, ualde mihi culta, & multum prę ſe ferre ingenij ſunt uiſa. Doleo tamen, quòd ſpatio longiſſimi temporis, ſemel hoc feciſti; nec præterea literam ſcripſiſti ad me ullam, ut omnino oblitus noſtri eſſe uideâre. Memini ſub diſceſſum tuum, domi meæ, quum eò multa nocte cum Donato Aurelio ueniſſes, quàm crebris mecum literis te iſthinc certaturum dicebas. te igitur nolo, etiam ex promiſſis tuis inconſtantem & leuem, me uerò deſpectum, atque irriſum uideri.*

Fabio Latomo, Bononiam. CXXXIIII.

LITERAS tuas arbitror mihi omnes eſſe redditas. ipſe autem (credas mihi uelim) multis rebus iam antea, poſtremò ualetudine etiã impeditus reſpondere adhuc non potui. Quũ etenim ſcribendi officium multis à me diebus prętermiſſum, denique præſtare tibi uellem; in morbum incidi ſanè grauem, qui me totis quatuor menſibus uehementer conflictauit. Reliqua etiam ex periculo ægritudinis, quartana fuit; quæ tamen eius, qui à principio, ęgrotanti ſemper mihi affuerat, amantiſſimi utriuſque noſtrûm Donati Argentarij opera, & curationibus, quadraginta diebus depulſa eſt. Videor nunc melius habere. ſed reliquias morbi quaſdam penitus eijcere per hyemem, & uires recuperare nõ poſſum. non dubia autem ſpes eſt, ad uernum tempus fore omnia meliora. Tuas literas & mandata detuli ad patrem tuum. reſpondit, libentiſſimè daturum ſe operam, quò tibi aliqua ex parte ſatisfiat. tamen excuſabat anguſtiam rei familiaris, & anni difficultatẽ. Verùm ſic habeto, tibi ne illud quidem prodeſſe, ſiquid hic, aut poſſit, aut uelit. profectò enim intellexi hominem cupere aliquid afferre, nec omnino deſperare: ſed me iam ſex menſes hactenus uidere non potuit. abfui enim Brundusij ęger & occupatus. Quare, quum ego diligentiam, tuus pater uoluntatem adhibuerit; nihil tamen ab eo te arbitror accepiſſe. Hæc ſcribebam Idibus Decembr. Erat mihi in ani-

mo proximis Natalibus Vriæ negotia mea uiſere, niſi quid inualetudo afferret incommodi. Volebam tunc illum conuenire, adhortari, cogere, ſiquid exprimere uel ab eo nos, uel ipſe à ſeſe poſſet. Vtcunque tamen res erunt, fac te mihi præſtes eum, qui eſſe debes, non literis tantùm diſcendis, quarum te cupidiſſimum eſſe cognoui; ſed in eo præcipuè, ut uincas labores, incommoda, & difficultates, omnes. Sed mihi recordari uideor fuiſſe in ijs literis, quas tu multò ante dederas, nonnullam te operam à Sebaſtiano Regulo expectare. Equidem id potiſſimùm atque aſſiduè uelim te contendere, ut doctiſſimi ac ſummi uiri ſtudio, & auctoritate res tuæ conſtituerentur. Nam, ſi tantum aſſequâre, ut is, qui gratia ualet iſthic plurimùm, te fouendum ſuſcipiat; credo te intelligere, omnia tibi ſuppeditatum iri ad perficiēda, quæ ſunt à te de ſtudijs tuis pulcherrimè inſtituta. Quòd ſi te illi dederis, remque tuam omnem rectè commendâris; non dubito fore etiam, ut is negotium libentiſſimè complectatur. Pompilium Amaſæum cole, & obſerua, quem ego ſua etiam cauſſa facio ex omnibus plurimi. Cognoui enim præterea, diuque & multum dilexi olim adoleſcentulus, ut tute ſcis, Romulum quoque illius patrem, quem in iſta urbe multis annis præceptorem habui; Romæ deinde, Paulo Farneſio Pontifice Maximo, amicum, perfectoremque literarum ac ſtudij mei. Nunc uerò clariſſimi uiri, deque me optimè meriti hominis morte, omnis amor ad filium deuenit; quem cenſeo doctiſſimum

iuuenem,

iuuenem, illoq́ue patre dignum tu quoque deligas, quem ames, tibiq́ue in literis omnibus audiendum putes: ego denique mando illum mihi ſalutes diligentiſsimè. Tu, ſi quid eſt, quod tua cauſſa poſsim efficere, ſenties mea officia omnia eſſe tibi paratiſsima. uidero patrem tuum; faciamq́ue, ut ſcias, quid cum illo actum ſit. Scribes ad me; nec non intelligis, quales ego à te literas expectem. Regulo nunciabis eſſe me percupidum ſui. Vale. Brunduſij.

Argentario, Vriam. CXXXV.

VEREOR, ne mihi ſis iratus, quando iam rarò minusq́ue libenter, quàm antea ad me ſcribas. ſed fortaſſe me ſuſpicioſum reddit uis amoris in te mei. Erras enim, mi Argentari, ſi maiore beneuolentia, fide, ſtudio in te, credas eſſe quenquam. proximè uerò tua quoque in me officia eiuſmodi extiterunt, ut ea nullo unquam tempore obliuiſci poſsim. Nam, quòd eſt quiddam, in quo à te diſſentiam, ſcio te prudentiſsimè illud uidere, uarietate opinionum dirimi non poſſe coniunctionem animorum. Quare me amabis, ad me ſcribes; tibiq́ue perſuadebis nihil te mihi eſſe carius. Sed omitte iam in tuis literis cōmemorationem tui doloris. Nam, quod ais te, niſi de illo ſcribere, nihil poſſe aliud; equidem nihil aliud magis inuitus audio, uel quia te amo, uel quia à te paululum diſſentio, teq́ue dolere nunquam, lætari ſemper uellem. Illud etiā atque etiam te rogo, ut me retinere meā ſententiam, æquo animo patiâre: ita ut

tibi retinenti tuam repugno equidem, ſed non iraſcor. Aſſentari cuiquam nec ſcio, & me neſcire uehementer gaudeo. fortaſſe erro, neque rectè opinor. Atque tibi hoc præſtare nec debet aliquis, nec poteſt, utî ne allucinetur: illud debent & poſſunt omnes, ut quod loquantur, ex animo ac ſententia loquantur. Quòd ſiquid amicitiæ aliquando dãdum ſit, minus peccatum eius eſſe crederem, qui teſtatus ante, ſententiam ſuam, alterius gratia aliquid faciat, quod non ſentit eſſe rectum; quàm eius, qui ſtatim contrà atque ſentiat, loquatur. Vis me facere, quod iudico non oportere? poſſum, quod non oportet. Vis loquar, quod non ſentio? non poſſum, niſi quum iocor, aut illudo. Scribis nolle te mecum diſputare. ego uerò non diſputare unquam uolui in meis literis & cum Peripatetico luctari. Sed, dum quæro oſtẽdere, quod eſt profectò uerißimum, nihil eſſe, quod tibi uel mediocriter dolendum ſit, nulláne adducta ratione facere hoc debui; uel tacere prorſus, ne uelle diſputare, & congredi tecum uiderer? Mihi crede, non uincere te, uel me me conijcere in laqueos diſputationum tuarum; ſed te quietum eſſe uolui: quod ſi non aſſequor, doleo ego medius fidius uehementer, ac profectò iuſtior multo eſt doloris mei cauſſa, quàm tua. Ego enim amicißimi hominis cauſſa doleo, quem uideo non poſſe acquieſcere: tu uerò mihi ſtomacharis, quum te dico dolere, ſolùm quòd iſta temperatione naturæ, & iſta ætate, nondum expertus es, & cupio ne unquam experiâre, quod dolendum uerè eſ

ſe

ſe credam. Aut enim amiſſa dignitate dolent homines, aut accepta ignominia, aut iniuſta turpitudine, aut qui fortes uiri non ſunt, morte cariſſimorum, aut qui ne homines quidem ſunt nati, amiſſione fortunarum. Nam, quòd multorum te odia ac ſimultates iſthic ſuſtinere ſcribis, ignoſces mihi, obſecro te, ſi inimicis tuis (ſiqui tamen tibi ſunt inimici) iſto dolore, & rebus ijs, quas ad me ſcripſiſti, grauiſſimas te pœnas dare nollem. Scripſeram ad te ſuperioribus diebus me profectionem tuam minimè probare; nō quòd tu patria non deberes: ſed quòd ego & frater meus, uterque tui amantiſſimus, ſtudijs & conſuetudine tua carere non poſſemus. Nunc uerò illud etiam tibi cōfirmo, uel me inſanire, uel nihil eſſe omnino, cur te nobis & patria, nos & patriam te ciue, improborum & pauciſſimorum hominum cauſſa, carere uelis. Sed prouehor iam longiùs amore in te meo incitatus: quanquam his de rebus ſtatueram nullum amplius uerbum ad te ſcribere: nec profectò ſcripſiſſem nunc aliquid, niſi proximis tuis literis ad id prouocatus fuiſſem. Redeo igitur ad illud, ut te rogem, atque obteſter; primùm, ne mihi ſuccenſeas, quòd tuis, aut cuiuſquam auribus dare nolim, quæ (etſi falli poſſum) mihi quidem minùs recta uideantur: deinde, ſic de rebus omnibus, & tota ratione cōſilij tui ſtatuas, ne inimicis ac nequam hominibus, quod illis gaudendum; domui, parentibus, & nobis amiciſſimis tuis, quod ſemper dolendum ſit relinquas: poſtremò, conſilijs meis nihil eſſe credas, uel fide, uel beneuolentia

maiore: & , ſiquam opem tuis rebus poßim afferre; ut iam antea ad te ſcripſi, fore eam tibi ſemper paratißimam. Vale, & nos ama. Brundusij.

Cæſari Bouio, Bononiam. CXXXVI.

DE libro, quem miſiſti, gratum illud moleſtum, quòd non ſcripſeris. Caue enim, putes, quanquã iſta ſis fortuna, aliquid te mihi poſſe donare, quod tãti ego faciam, quanti literas tuas. Nam illud, indiciũ liberalitatis cuiuſdam, qua utimur in illos etiam, qui amici non ſunt; hoc autem amoris in me tui credidiſſem. Quamobrẽ uel præſtare debueras utrunq; ; uel ſi alterutrum, literæ tuæ mihi iucundiores fuiſſent. Accidit etiam illud, ut eum librum iam ante accepiſſem à Paulo Manutio, qui cum mihi amicitia eſt, & uſus literarum. Itaque non iſthic prius, quàm Brundusij, aut Vriæ lectum illum, aut uiſum arbitrére. Illud præterea, quòd Iacobus frater tuus, quũ hoc ſciret, librum mihi non celauit ille quidem, ſed reddere noluit. Cogitauit enim aſtutè, ut quum intelligeret, à me dono ſe illum eſſe accepturum, à me tibi aliqua, à ſe mihi nulla gratia haberetur, ſi id ipſe auferret, quod ſibi ego eſſem donaturus. Luſus inter nos fuit hîc dies aliquot. Ego illum amo, te diligo, à uobis amari cupio, tibi gratias ago; atque illud mando, ſiquid habes etiam, quod mihi placiturum putes, uel iſtorum hominum ingenijs probari ſcias, ad me (niſi ualde graue ſit) mittas. A Victorio uel Manutio uide, num quid noui; quanquam Manutius, cre-

do, ad

do, ad me ſua mittet ipſe. Meum tibi, uel noſtrum potiùs Latomum commendo, iuuenem diſcendi cupidiſsimum, & (niſi fallor) ad literas natum. Vide, quæſo te, mi Cæſar, quibus eum rebus uel tu, uel Regulus, uel Amaſæus iunior adiuuare poſsitis. Denique illi quæ præſtiteris, omnia in me ipſum à te putabis eſſe collata. Nam tanti illum facio, quanti ipſe ſtudia, ac bonas artes, quibus ualde mihi uidetur eſſe deditus. Tu, ſcribes ad me literas, iſtis Bononienſium ſtudijs, & beneuolentia dignas in te mea. Excuſabas enim, quum eſſes Neapoli, hominum illorũ (quod ego ſciebam) agreſte genus quoddam ſermonis ac literarum. Nunc uerò iſthic tibi nihil deeſſe potuit ad perfectiſsima omnia perdiſcenda. Denique tametſi tibi agam de libro, quem miſiſti, gratias; rogemq́ue mittas, ſiquid habueris, quod amare ego poſſim: tamen illud exiſtima, non tam ex libris, aut huiuſmodi quibuſcunque rebus; quàm ex literis ac ſermone tuo, me tuum amorem eſſe cogniturum. Vale. Brundusij.

Marcello fratri, Vriam. CXXXVII.

TVAE literæ quòd feſtinationẽ pręſe ferebãt, quòd breues erant, quòd præcipiti manu, litera, ac ſermone, quòd nec dies tibi ueniret in mentẽ, qua ſcriberes; credere me uoluiſti ſcilicet, uel tantulum ſpacij à cogitationibus ac moleſtijs te arripere nõ potuiſſe, quo uel tria uerba ſcriberes. Illud enim ex ijs tantum uideor mihi intellexiſſe, pecuniam tibi ab

Antonio Sardo fuiſſe numeratam. At ego tamen illud ſum ueritus te ſcribere noluiſſe, quàm ſit iſthic neglecta pars magna eorum, quæ mandaui. Te, ut ſcriberes, orarem, de ijs quid ſit actum; ſi iam, quibus id uerbis faciam, inuenire poſſem. Ad quem dixi diem, equus mihi cũ puero uelim, preſto ſit. Vale.

Marcello fratri, Vriam. CXXXVIII.

QVOD *uereor, ne Argentarius, is quem unicè diligo, mihi iraſcatur, nolo ioco dictum à me uideri. Illi epiſtolam reddes, in qua non placare illũ ſtudui, ſed meam ſententiam defendere. à me amabitur, ubicunque erit. Doleo, quòd me amore inſanũ ſordidiſſimi hominis, credat ſententiæ ac uoluntati ſuę repugnare. Sed ipſa de me dies iudicabit. Vale.*

Paulo Manutio, Aldi Filio, Venetias.
CXXXIX.

QVOD *raras adhuc miſi ad te literas, ſcito rationem eſſe habitam à me occupationum tuarum. hac enim ſola impedior uerecundia, ne te ſæpius interpellem. Quare tu nobis aliquã debes gratiam, ut de libris tuis, à quibus te ſcribendis auocare nolumus, aliquid ad nos mittas. Sic enim tibi perſuade; nihil eſſe mihi antiquius in literis, quàm ut de tuis antiquitatibus, multa, quæ diu ſunt à me dubitata, cognoſcam. De legibus, quem tu miſeras, accepi iterum, Bononia miſſum ab amicis. Teſtata eſt enim multis non indoctis hominibus uoluntas in te mea; & co-*

& cognitum non uno in loco, quantum ſcriptis tribuam,& ingenio tuo. Doleo,quòd uenire ad te, iſtãque lucem,ut monebas,non potui. Meum,quòd ad te ſcripſi,de Sarmatiæ Regum hiſtoria ſcribenda,conſilium,mutauit mors Reginæ. τῖς καί πόθεν ἡ χάρις. Minus liberale,inquies,dictum, aut cogitatum. fateor, & uni tibi dictum exiſtima. Sed alia fortaſſe minùs diſplicebunt: & tantis rebus uix par eſſe potuiſſem: & miſerum eſt,non habere,cui ſaltem ſperes laborem tuum non omnino ingratum fore. Vale.

Marcello fratri, Vriam. CXL.

DEDERAM pridie ad Argentarium literas. ad te præterea quò ſcriberem,nullum tempus fuit. Nam,quia Antonius Sardus ante lucem ſe profecturum dixerat,noctu mihi neceſſe fuit ſcribere, literáſq; domum illius mittere,antequã præſidia hæc barbarorũ uigiles collocarent. Habes,cur ad te quoque non ſcripſerim. Sed doleo,quòd crebræ ſuſpiciones de me tuæ faciunt, ut me tibi ſæpius excuſem. Nam,quia(ut arbitror)me tantũ amas,quantũ uix frater fratrẽ poßit; ſummus etiã in te meus amor ac pietas,fortaſſe leuior à te iudicari ſolet. Quamobrem fac, oro te, mi frater, ita me ames, ut credas, me in amore uinci non poſſe. Hoc me arbitror conſtãtißimè à primis annis eſſe conſequutum, & preſtabo tibi,quoad uiuam; ut iudicio ac ſententia tua,omnia fraternitatis officia, cumulatißimè tibi à me tributa eſſe fateâre. Difficile hoc quidem: ſed uincet

meus

meus in te amor, & amorem & ſuſpitiones tuas. Hoc mihi uenit in mentem nũc potiſſimùm, ut ad te ſcriberem; quod ſuperioribus diebus, caruiſſe me aliquandiu literis dixiſti tuis, quia te, neſcio quæ de me ſuſpiciones à ſcribendo retraxiſſent. Equidem ſcio frater, hoc etiam eſſe amare; & ſuſpicioſos eſſe omnes, qui amant: ſed ego non tam immenſum quendã à te, quàm rectiſſimum amorem poſtulo; quem ſi impetrâro; Regum amores omnium, atque amicitias contemno. Ita profectò illud etiam corrigetur, quòd (ut coràm tibi dixeram) durior mihi uideri ſoles, nec facilè ad meam uoluntatem accedere. Denique ſic habeto frater, magnam eſſe illius impudentiam, ſi quis in amore tui conferre ſe mecum audebit. A te uerò non uehementius quidem, ſed rectius amari uelim. Ac non dubito dare te hoc auctoritati meæ, ut, quum multa in te probem, doceam ſiqua mihi uideantur eſſe rectiora. De ijs, quæ tibi mandaueram in meis rebus, tantùm moneo, turpiſſimũ eſſe, ut putes, illa tibi à me ſæpius cõmendari. Hactenus uerò tarditatem fortaſſe tuam, non uoluntatem ijs uideo aliquid obfuiſſe. At ego, mi frater, ne uiuam, niſi mea omnia diligentius à te, quàm à me ipſo curari credam: ſed nimis longa minimarum quoque deliberatione rerum, & cunctatione, ſerò ſtatuis, quid faciendum putes. Itaque matura, obſecro te frater, omnia; & quum aliquid à te peto, meam uehementiam imitare, qui tua omnia ſic amplecti ſoleo, & ſic obſequor uoluntati tuæ, ut obliuiſcar meæ.

meæ. Interroga enim, quid Margẽtijs tuis, tua cauſ ſa reſponderim; illud ſcilicet, quod mea nõ feciſſem. Noſti mores meos, & quàm facilè meas offenſiones deponam. Nulla iniuria tanti apud me fuiſſet, quan ti tua & iniuria & uoluntas fuit. Cogita item cæte ra: ac uide, num qua in re ſtudijs tuis antepoſita eſ ſe mea poßis recordari. Itaque à te poſtulo frater, ut ad meam quoque uoluntatem, ac res maximè neceſ ſarias, interdum excitari te, moneriq́ue permittas. Sed & tabellarius urgebat, & his quæ dixi, quæq; tu cogitas, confido te ſatis eßè excitatum. Vale. Brundusij. VI. Id. Ian.

Argentario, Vriam. CXLI.

MEAS literas ad Coriolanum, ſi non erit cui des, ad me ſtatim remittas. Nam cogito ple- niores & accuratiores: nec deerit, cui poßim hinc da re. Vrgebo tamen ſæpius, nec res unis tantùm literis agetur. Scribam de te plura, maiora, ueriora. Sentio enim de tuis uirtutibus ita, ut debeo; id eſt præcla- rißimè. Denique libentißimè faciam, quæ ſcribis Sed eſt, quod in meis rebus quæri poßim eſſe factum à te negligenter, aut ne negligenter quidem. Ante enim Regina eſt mortua, quàm apud Aleandrũ egi ſti, quæ mandâram. Scis me duas res magnas eo conſi lio tentare uoluiſſe; & omnino ſi quęris, illud ma- gis cupiebam, quod ego tibi, quàm quod tu Alean- dro negotium meo nomine dediſſes. Quare artificiũ quoddam excogitandum eſt, quo tamen id fiat, quod

ante cœperamus, cuius inueniendi uiam relinquo fidei ac prudentiæ tuæ. Iaceo enim turpiter, ut uides; neque, ut ſurgam, ulla ingenij facultas mihi ſatis eſt apud illum, quem noſti; ſed huiuſmodi ratio aliqua popularis, ut conſtitueramus. Quamobrem, quando illud cōmodiſſimum Reginæ tēpus prætermiſſum nobis eſt, fac ea de re cogites; inuenias, quod proſit; & ſcribas ad me de conſilio & ſententia tua. Tu iam rarò ad me ſcribis. uereor ne te auferant à me Spinulæ tui, quibus cum te oblectes: prorſus enim antea crebriores à te accipiebam literas. Vide etiā, ne mea ſuperiorum dierum libertas tibi licentioſior eſſe uideatur. Præter enim id, quod ſentio, loqui nihil poſſum, aut uolo. Te uerò ſic amo, ut peccare me credā, quoties dico, ſecundum fratrem. Vale. Brundusij.

Leonardo Clementi. CXLII.

QVOD hoc, ſiquid eſt, reſcribere potui; tuarum crebritati tribues literarū. ſummè enim diſtinebar, nec animo ſatis ualebam, & is cui literas dedi, iam ſe in uiam dabat. Epiſtola tua commotus, hæc ad te exaraui. De mea ualetudine quòd ſcribis te fuiſſe ſolicitum, ſcito me iam tribus menſibus ſatis eſſe confirmatum. Duabus tertianis, deinde quartana, & tota ui morbi, ſexaginta dierum curriculo ſum liberatus. Nec diutius enim, quàm putabatur; nec magno cum periculo ægrotaueram. Iſtos uerò, qui noſtris ſtudijs aduerſantur, & de literis mecum diſputantes, non argumentis, & ratione pugnant,

ſed

ſed fortuna ſua,& potentia in me abutuntur; ita cō temno,ut ſoleo.Illi me non literatum hominem putant; illos ego ne homines quidem. Pluris enim unā facio literulam,quàm iſtorum aut regna, aut blanditias,aut terrores,aut minas.Timent iam ſibi,prouidentque fore,ut propediem in Salentinis & Apulia,quemadmodum benè literati homines ſperant, ſuæ illæ,fœdę literæ etiam à pueris conſputentur.Poſtremum erat in epiſtola tua de Bouijs; quorum hominum mei amantiſſimorum doleo, quòd nec ad luctum,nec ad honores adeſſe potui.Meam ad illos excuſationem afferes,ex meque ſaluere iubebis. Hæc ſcripſi paulò ante lucem ex lectulo Non. Febr. quū ad ſingula uerba,aut qui literas acciperent,aut qui omnem mihi operam impedirent,domi expectarentur.nam tuas pridie multa nocte acceperam. Tu uelim,ſæpe ſcribas; meque,ut facis, ames. Vale. Brundusij.

Marcello Fratri, Vriam. CXLIII.

AVDI, mi frater,quæ te ſemper uelim recordari.Egi tecum ſuperioribus diebus coràm de hilaritate, quam tibi penitus excuſſam eſſe multo etiam ante cognoueram.Crede mihi frater, in eo ſermone, illa quoque tacitus magno cum dolore cogitabam,quæ his decem annis poſtquam Roma ſum reuerſus,contigerunt. Profectò enim ſi fateri uolumus,interea nullum tempus fuit, nullus penè dies, quin aliqua ex re etiam leui, maximum quendam caperes dolorem. Volui te ſępe medius fidius hac de

re

re non obiurgare ſolùm; ſed monere etiam, hortariq́ue ad iſtam animi triſtitiam à te repellendam: ſed uide, quid ab eo ſemper me officio retardârit. Ego mi frater, nihil exiſtimo eſſe difficilius, quàm animum, non dico in perturbationibus regere (quod prudentia, literis, diſciplina rectiſsimè fieri poteſt) ſed diuturna conſuetudine duratum, mutare, præſertimq́ue à triſtitia ad hilaritatem conuertere. Natura enim fit, ut ſeu is caſu aliquo ſit permotus, ſeu naturæ ac ſuis quibuſdam affectionibus teneatur; ijs etiam modo quodam delectetur. Amat enim ſe quiſque, & ſuos mores, & ſuam iracundiam, triſtitiam, inflationem animi, deſidiam; uel qui ad turpiſsima etiam ſunt affecti, ea uel non ſentiunt, uel non his nominibus appellant, uel honeſtis uitioſiſsima anteponunt. His nanque uelut morbis quibuſdam animus dum tenetur (quum illius tantum iudicium ſit) quî poteſt rectè de ſe ipſo iudicare? Ex his fontibus illa demanant ad parum ſapientes homines, ut quiſque ſeſe miretur, cæteros contemnat, multi ſe ſolos eſſe ſapientes, neminem præterea ſapere, neminem aliquid ſcire, neminem cum uirtute uiuere, à nemine religionem teneri, nulli rectius quàm ſibi rerum publicarum, & orbis etiam terræ adminiſtrationem poſſe dari. Ecquem uidiſti tu aliquando frater, cuius non aliquam huiuſmodi inſaniam ridere poſſes? Verùm ſunt illa magis propria huius loci. Admone eum, qui iratus aliquid faciat, ne quid erret; expectare dum deferueſcat ira; ſtatim negabit ſe uel iratum

eſſe,

eſſe;uel non rectiſsimè uidere,quid facere, quomodo & quantū oporteat.Qui nimia ſemper lætitia exultat,nihil plus æquo facere,& nolle ſe,aut poſſe, reſpondebit,flendo uitam agere.Conſolare eum,& conſilijs iuuare ſtude,qui ſemper dolet, ac miſerè cruciatur,illa tu frater melius noſti;

Tantúmne eſt ab re tua otij tibi?
Mihi ſic eſt uſus,tibi ut opus eſt facto, face.

Illos denique ſi obiurges, aut doceas, aut conſolêre,aut moneas,ut ſibi moderentur, & uitæ rationem habeant;mirum,ſi non iraſcuntur: tamen facere nequeunt,quin te refellant.Hîc non dicam eos,peſtem animi ſimul & corporis tueri; ſed eſſe profectò,ſicuti eſt, ineptiſsimum maximeque alienum, aduerſus admonitiones, conſilia, ſolatia, & preces amicorum,rationibus & argumentis uelle diſputare.Quum habeas,qui de tua ſalute ſit ſolicitus, & prudenter tibi medicari uelit; tu illi argumentaris? Non quæro,inquit,ego argumenta, ſed ex miſeria, & calamitate rerum mearum ultro me, etiam inuitum innumerabilia ſequuntur,quæ repugnent conſilijs,orationi, & conſolationi tuæ.Vides iam frater, quàm difficile ſit ſalutare conſilium non inuenire, aut explicare; ſed ipſis μελαγχολῶσι accipere? tollitur enim iſto quidem modo omnis conſolatio. Quocirca iſtorum obſtinatione perpetui doloris,& ſtultitia orationis,uel ut callidi & malitioſi homines dānantur,qui conſolationes unquam, aut conſilia alijs dederunt; uel ut dementes omnino ac ſtupidi, qui acceperunt.

acceperunt. Quòd ſi nulla conſolatio eſt, nec uitam quidem mihi ullam eſſe cuperem. Quis enim uiuere in tanta mole ſemper naſcentium malorum omnium, medicina etiam deſperata, uelit, aut poſſit? Sed profectò nullum eſt in uita malum, cuius nõ ſaltem aliqua, ſæpe etiam quàm plurimæ ſint cõſolationes; ut taceam, quòd ſæpiſſimè illa ipſa, quæ putantur mala, pro inſtantis aut præteriti mali remedijs, fuiſſe nobis à Dei benignitate neſciẽtibus data, poſt longum tempus recordemur. Quid ſi earum rerum gradibus, quas inſtar mortis perhorreſcimus, ad quietem, honores, gloriam, ampliſſimámque fortunam, aut certè meliorem ſtatum rerum ſæpe ducimur? Hîc non dubito, multa te prudentiſſimè cogitare; & antiqua, recentia, noſtra, externa, uulgaria, quotidiana, & domeſtica etiam exempla recordari. Notiſsimæ tibi hiſtoriæ ſunt, & obſeruas diligentiſſimè, quid afferat communis uita, & aſſidua omniũ uiciſſitudo rerum. Et ſi enim optandum eſt, nihil habere quod doleas in uita, omnia uerò quibus lętari poſsis; complectere tamen animo & cogitatione, quanta innumerabilitas eſt eorum hominum, quibus fortuna, opes, liberi, honores, et cætera, in quibus ineſſe felicitatem ſummam credimus, non quò felices eſſe queant, ſed quò maiore dent eorum, quæ non cogitant, ſcelerum pœnas, eſſe data. Contrà uerò, carcer, exilium, orbitas, inopia, cędes, odia ciuiũ, amiſſio fortunarum, & miſerrima omnia quàm plurimos, uel à maiore fortunæ iniuria ſeruârũt, uel ad

ſummam

ſummam gloriam duxerunt. Illud præterea cogita etiam, atque etiam frater, nobis ipſis quanta bona paupertas ipſa attulit. Tu quantum ea re gaudeas, neſcio; me quidem neque puduit unquam, neque pœnitebit aliquando, immo adeò gloriabor, & quoties doctrinæ, quoties literarum non omnino rudem eſſe me intelligam, magnam Dijs immortalibus gratiam debere me arbitrabor, quòd paupertatem mihi ingenuarum artium penè magiſtram dederunt. Sed non debes profectò ipſe etiam frater, fortunæ ingratus uideri tuæ, cui neque eadem rei familiaris anguſtia cõmunis mecum deeſſe potuit; neque uoluntas, qua difficultates omnes ad uirtutem ac rectiſsima ſtudia conuerteres; neque ingenium, quo diſciplinas omnes, quibus te dediſti, feliciſsimè animo atque intelligentia complecterêre. Age nunc, refer animum è profanis domeſticisque rebus ad antiquiſsima tempora, mortalesque illos, quibus cum Deus ipſe fabricator uniuerſi, ſæpisſimè loquebatur; quantis ex moleſtijs, laboribus, afflictis rebus, extremamque in deſperationem adductis, & iam comploratis, ij ad ſummos (quod ne cogitare quidem auſi eſſent) honorũ gradus aſcenderunt. Vnius tibi ſumma religione pueri, propone ante oculos fortunam Ioſephi, quem furentes inuidia ipſius fratres, crudelisſimam ad mortem depoſcebant. Hîc non ſcrutanda ſunt cætera. denique enim ab ijs in ciſternam ueterẽ loci deſerti ſcimus illum fuiſſe deiectum. Teterrimo genere mortis necatũ à ſe fratres putabant. puer media in mor

te uolutabatur. ſalutem ſperabat ſolam, quam ſibi mors ipſa daret. lugens pater, & in ſqualore, laniatum à beſtijs credidit: At uerò ecce tibi ſubitò is, tanquam ab inferis excitatus, prudentia et conſilio, Aegypti adminiſtrationem tenuit; Regem, prouinciam, urbes, populos, patrem, fratres etiam ipſos à fame ſeruauit. in ſumma, delapſum cœlo crederes ad ſalutem orbis terrarum. Hęc eò, mi frater, ſpectat oratio; ut, quum ferè nihil habeat hominum uita, quod diuinari queat, cuiuſmodi futurum ſit, neque bona aut mala quorſum fluant, intelligatur: in proſperis modeſtię & timori, in aduerſis conſolationi locus, & ſpei relinquatur. Nam, quid exultas, aut doles, quum rerum exitum tuarum, nulla prudentia tua uidere poßis? At prouidetur ſæpe, inquis, antea eò res euaſura, ut ex illius euentu luctus oriatur: quaſi uerò ſingulis de rebus non de omnibus, & toto fortunæ ac uitæ curſu intelligere oporteat. Et ſi enim proſpicere multa nos arbitramur; omnem tamen ipſius uitę curſum & euenta, quò res noſtræ ſint caſurę, ſeu bonæ illę nobis uideantur, ſeu malæ, prouidere nemo poteſt. Ac uoluit ea Deus hominibus eſſe celata, quæ nec idem ſanctißimus puer, quem dixi; nec cęteri, qui eodem numine diuino erant afflati ſcire potuerunt. Illa quidem certè ſcire nobis conceſſum eſt, quæ ſi eſſent ignorata, præſtiterat belluas nos, quàm homines eſſe natos; hanc breuisſimi temporis uitam ſi iuſtè innocenterque uiuamus, ſuorum ſpem promiſſorum ſi teneamus, omni tẽpore ſi ſe oremus;

ſecunda ſi modeſtè, aduerſa ipſius gratia æquo animo feramus, ipſam nobis in cœlo Deorum immortalium uitam præmium fore: ſin contrà, ſupplicia illa ab immaniſsimis furijs in ſempiternum tempus eſſe nobis perferẽda. Teneamus igitur, quæ ſcimus, quęque ſunt à Deo nobis indicata: cætera autem, et quæ mala putamus, & profectò magis, quæ certisſimam commodi ſpeciem præ ſe ferre quandam uidentur, et quibus diu fruimur, tanquam rerum omnium ignari, nec ea uideamus, quæ oculi ſenſusque oſtendunt, ipſius Dei prouidentiæ ac bonitati committamus. Quę enim dementia, aut arrogantia eſt, tuis plus, quàm Dei oculis, credere? At ſi uidere illum noſtra mala, non curare autem, uel ipſum afferre arbitramur; quoniam profectò ſæpe is bonos incommodis rebus periclitari, aut illuſtriores facere, uel errantes deterrere ſpecie aliqua malorum, uel ſceleratos ueris malis punire conſueuit; ſiquid in nobis eiuſmodi ſit, nec id quare fiat, intelligamus: tum omnia colligere in unum conſilia noſtra, ſubducere factorum, uitę, ac morum rationes omnes, Chriſtum denique ipſum adhibere in conſilium oportebit, undè, quæ patimur, malorũ cauſſas diſcere poſsimus. Neque enim tum otioſos eſſe, neque deſperare nos conuenit: ſed ſpe tanta eſſe, quanta ſanctisſimi quondam homines fuerunt, illum nobis eſſe proſpecturum: uotis autem ac precibus agere, non ut ea nobis conficiat, quæ ipſi putamus eſſe rectisſima; ſed quæ ille ad huius, qua nunc fruimur, & ad ſempiternæ uitæ rationes eſſe

uideat accommodata. Finge enim illum, quem ante dixi, puerum, multis etiam cum lacrymis id nominatim contendiſſe à Deo, quod omnes pueri cupiunt in primis, ut ſe nihil aliud niſi in domum complexumque parentum reſtitueret; nónne uidetur tibi is, quũ Dei conſilijs ac uoluntati repugnaret, quò per iniuriam deiectus fuerat, ibi miſerrimo ſupplicio ac morte, fratrum odia crudelisſima, iure ſaturaturus fuiſſe? Quare, quum ipſe, qui mentiri neſciat, & cœlũ, ſidera, terras, homines, inſecta, ac formicas, maxima, minima, omnia à ſe condita gubernet, ſpe certiſſima eſſe nos uelit, fore ab ipſo ut ſæpius ac rectè adhibitæ hominum preces audiantur; illud maximè cauendum nobis erit, ne interea, quum dolemus, illa ipſa mala in quibus uerſamur, Dei promisſis certiora eſſe credamus. Conſolationem igitur nobis omniũ malorum non longè petendam eſſe arbitremur, quando ipſis precibus & colloquio cum Chriſto, maximè conſolari ſe quiſque poteſt. Nam quid eo ſermone poteſt eſſe ſuauius, in quo Deum habeas attentè benigneque audientem, & (niſi mendacem illum aut uanum putes) tibi ac tuis rebus conſulentem? Quid mirabilius, uerius, magíſue iucundum, aut felicitate etiam maiore dici, aut fingi poteſt, quàm poſſe, & id nullo quidem negotio, Deum & uirginem Chriſti matrem, aut quæcunque ores numina, ad te conuertere, illorumque auribus uti libentiſſimis, et ope ſemper quũ uolumus, paratiſſima. Itaq; nõ ex doctorũ hominum libris conſolationem afferre uolui, ſed ipſi

tibi

tibi undè iam dixi, & ſacrarum quoque literarum
exiſtimaui fontibus hauriendam. Hæc tibi frater
uerboſius, quàm erat ante cogitatum, expoſita ſunt
à fratre. Nimis longũ putaui illa ſcribere, quæ ſunt
maioris natu, & hominis non doctioris quidem, ſed
laboribus, & ęrumnis, & uſu rerum magis exerci-
tati. Nam uideris mihi (fraternè dictum credas, ue
lim) gaudere etiam obfirmatione quadam animi, et
iſta contentione iracundiæ, triſtitiæ, & doloris tui.
Nullis enim adhuc literis, uel conſilijs meis parêre
uoluiſti, ut eo in periculo uitæ, quod equidem ualde
pertimeſco, tibi medicari uelis, néue tam libenter
mea conſilia, & preces repudiares. Vtinam uerò, ne
aliquando tum magis iraſcerêre, quum te ad animi
æquabilitatem, atque hilaritatem adhortor. Supe-
rioribus etiam diebus quum à te uehementer petijſ
ſem, ut de meis rebus, commodi aliquid nunciares, ip
ſeque ſedulitate tua efficeres, ut in ijs boni aliquid
ſit, quod nũciare poßis; quaſi iratus mihi etiam, qui
lęta audire uellem, literas ad me ſtomachi, & rerũ
triſtißimarum plenas miſiſti. Ita, inquies, tuæ res
erant. fuerint ſtatu etiam peiore. Itáne aliud erat
nihil, niſi triſtia omnia, quę nunciares? nihil quod
doleres, neceſſe eſſe illa à te nunciari? nihil quod con
ſolarêre? Nam illa quoque acceßit crebra inſulta-
tio, ut ad finem uſque literarum, ad ſingula mala,
quæ ſcriberes, addere uolueris; bonum affero nunciũ
frater. Deinde ad aliud incommodius, bonum affero
nuncium frater. Deinde ſæpius bonum afferre te nun

cium dicebas rerum perditiſſimarum. Equidem riſi, ita uiuam, & tu mihi uiuas frater, quæ nunciares: ſed animi triſtitiam tui, quę te ad genus illud orationis incitare ſolet, moleſtiſſimè ſemper tuli. Quamobrem demus, quæſo te, operam frater, ego meis conſilijs, tu ſtudio & doctrina tua, ope etiam diuina, ut ad ſcientiam, & cæteras uirtutes animi tui, manſuetudinem, & mentis æquabilitatem additam, aut reſtitutam potiùs lætemur. Vale. Brundusij. Pridie Idus Februarij.

Leonardo Clementi. CXLIIII.

TAMEN rectè amanterque feciſſe te crederem, ſi literas à me elicere uoluiſſes. Scribo enim ad te non inuitus, quum eſt otium; & deſidero ego amorem tuum, ſi ipſe tanti non putes meum. Ei, qui tibi de ęgritudine mea uitæque periculo nunciauit, nihil eſt, quod iraſci debeas. fortaſſe enim deceptus eſt nomine Marij cuiuſdam, cognomento Docti, qui tum morbo ſane graui tenebatur. Nam, quòd etiam diſtinctè, Quintum nominaret, & Corradum adiungeret, profectò is mentiri noluit; ſed falsò audita, aut non planè percepta narrauit. Ego uerò, & ualeo, & te ualere cupio, ac meque ſæpiſſimè ſcribas, rogo. Amo enim te, & confidas uelim, ad tuas literas, quum opus eſſe uidero, me ſemper libenterque eſſe reſcripturum. Vale. Brundusij. Pridie Cal. Martij.

Argentario, Vriam. CXLV.

IAM literas à te accipio diu nullas. meæ quoque à te efflagitari deſitæ. Tu uide, quid me cogitare uelis. Equidem & te amo, & tuis officijs hoc debere me gaudeo. Libros mihi ſcito eſſe per neceſſarios. tamen ut uoles. Illud rogo, ſummam eius hiſtoriæ colligas, quam hortatu etiam tuo ſcribere decreui. Cogita uni mihi ea re gratum fieri, uni mihi adimi laborem, neminem eſſe præterea, cui illud uel dolori eſſe queat, uel uoluptati. Nam, ſi illud non facias, uides, quanta mihi laboris fiat acceßio. Denique hinc ſpectabo amorem tuum, quem debes profectò, ſi non meritis, at certè ſingulari beneuolentiæ erga te meæ. Vale.

Argentario, Vriam. CXLVI.

MAGNIS me cogitationibus leuârunt literæ tuæ. ſolius tamen libertatis meæ mihi erã conſcius, quæ te offendere potuiſſet. crede mihi, incipiebam aliquid iam ſuſpicari. Quum etenim tu nihil de uoluntate poßis, ego nihil de libertate debeam remittere; me arbitrabar haberi à te in reliquorum numero ciuium noſtrorum. Tametſi caritate quidẽ inter eos eſſe nunquam me pœnitebit; moribus uerò tam ab ijs diſſentio, quàm tu. Denique ames, uelim, quòd abeſt à me omnis aſſentatio. Prudentiam tu fortaſſe aliquando requiris meam: quam ſi præſtare in

omnibus non poſſum, illud profectò à me non deſideras, libertatem uidelicet, aut beneuolentiam maiorem; ambitioſè etiam cupio à te amari. De libris, quum erit commodum, atque ſudum. Ad morbum utar conſilio tuo, quod dediſti in tuis literis. De hiſtoria mihi conficias, rogo; tametſi non ignorem occupationes tuas. Vale.

Q. MARII CORRADI
EPISTOLARVM
LIBER VI.

Angelo Maſſarello, Romam. CXLVII.

EPISTOLAM, qua gratulabar dignitati tuæ, ſcripſi ſtatim, ut nobis ea de re nunciatum fuit. Caſus quidam, neſcio cuiuſmodi, tulit, ut illam, niſi per fratrem meum, ad te mittere diu antea non potuerim. Has nunc in literas incluſi, quicquid illud erat, quod ineptè quidem ad te, ſed uerè atque amanter ſcripſeram. Nouum illud nunc accedit, ut meum tibi fratrem cōmendarem, qui Romam publicè maximis grauiſsimíſque de rebus miſſus, magnum ſibi, et patrię noſtræ præſidium in te collocatū putat. Ipſe tibi exponet, quæ à ciuitate mandata accepit. Gratulatio autem erat huiuſmodi. Poſtquam à uobis domum reuerti, unas tantum ad te literas dedi; quas tamen ſuſpicor tibi redditas non fuiſſe. Nunquam enim tu, quæ tua humanitas eſt, & mutua inter nos beneuolentia, feciſſes, ut hominis tui amantiſsimi et cupidiſsimi literis nihil reſponderes. Equidem, quòd diu etiam antea ad te non ſcripſeram, arbitror magnam à me officij partem eſſe prætermiſſam. Ab eo enim tempore, quo eras Tridenti, quum ego poſt

Badiæ Cardinalis obitum longè Roma diſceſſerim, neque uno in loco ſemper fuerim: ſępius ad te ſcribẽdi poteſtas eſſe non potuit. ſed mihi tamen affirmanti credes, defixam in animo, uſurpatam in ſermonibus, & ſuauiſsimè ſemper à me tui memoriam fuiſſe conſeruatam. Quis enim, qui te ſemel uiderit, natura & moribus paulò humanior, non ſemper iucundiſsimi ſermonis, conſuetudinis, virtutum, & diuinę manſuetudinis tuæ recordetur? Quàobrem ego, qui multos annos tecum egi, nec ſuauitatis modò uoluptatem, ſed liberalitatis quoque & ingenij fructũ à te cepi maximum; & colui te ſemper, & denunciaui apud multos, fore, ut de iſtis ornamentis, quæ nuper es adeptus, tibi aliquando gratulemur. Fieri enim poſſe non arbitrabar, ut dignitati, uirtutibus & ſapientiæ tuæ non ampliſsimi etiam honores haberentur. Quòd etſi doluí equidem multùm tua cauſa de Marcelli Ceruini Pontificis Maximi amiciſsimi tui morte, quòd is rebus & honori tuo, non maturiùs modò, uerùm etiam liberaliùs proſpecturus uidebatur: nunc tamen uideo eſſe multo honorificentius, quòd intelligunt homines, quæ tibi contigerunt ornamenta, non amicitię data, ſed meritis eſſe tuis perſoluta. Quare equidem utrunque tibi gratulor, & quòd Marcellus olim familiaritate & amicitia ſua, & quòd Paulus etiam Pont. Max. nũc tametſi natura & moribus homo durior, te ſuis tamẽ beneficijs honoribuſque dignum eſſe iudicauit. Itaque de ijs mihi, ut allatum eſt, uoluptatem inde cepi,

pi, quantum de commodis quiſquam atque ornamentis, integerrimi, amiciſsimi, optiméque meriti hominis, capere potuiſſet. Ac certò etiã ſcio fore id, quod ſpero, & opto, ut ex Pontificatu & iſta dignitate tua, otium ac ſalutem prouincialibus tuis afferas, et ipſi tibi ſempiternam laudem, & Deorum immortalium uitam conſequâre. Rogo denique maiorem in modum id, quod te non dubito facere, ut nos ames. Equidẽ ſic te amo, & obſeruo, ut is, qui (ne alia multa dicam) uni tibi acceptum referat, ſiquid bonarũ attigit literarum, aut umbram aliquam Latinè ſcribendi. Recordor enim, quantum Romæ in eo laborâris, ut me à ſtultorum hominũ opinionibus, ad antiquam et perfectam latinitatis formam traduceres. Diu equidem ſic tibi repugnaui, ut tamen doctrina tua excellentiſsima; prudentia, ſingularis; conſiliũ, fideliſsimũ; auctoritas, grauiſsima uideretur. Itaque mihi quũ apud Paulũ Farneſium Pont. Max. Cal. Nouemb. dicendum eſſet, ipſeque eo tempore abeſſes Tridenti reip. cauſa: tum primùm cœpi accuratiùs mecum de ratione meorum ſtudiorum & conſilijs tuis cogitare. Mutaui denique ea in oratione, aut potius mutare inſtitui rationem dicendi meam: id, quod niſi te auctore, ſemper adhuc laborauiſſem, intelligo me non eloquentiæ modò, ſed ne aliarum quidem artium aliquid unquam rectè cogniturum fuiſſe. Quare, quum alijs quidem ex cauſis, tum illa potiſsimũ ſentio me tibi debere quàm plurimùm, quòd tua opera à tantis tenebris noſtri ſeculi ad tantum

lumen antiquitatis me recordor eſſe reuocatum. Nã & maximum inerat beneficium in conſilio tuo; & præter te nemo alius tam diſertus fuiſſet, ut mihi probaret accipi illud beneficij loco oportere. Confido igitur fore, ut ames illa, unde mihi (penè dixerim) natus uideor & eductus, conſilia tua, & gratiſſimũ in te animum meum. Vale. Vriæ.

f. 1559

Theophilo Zymaræ M. Antonij F. Lupias. CXLVIII.

ACCEPI *literas tuas, quum minùs firma ualetudine, aliquot iam diebus tenerer. Eo factum eſt, ut non ſtatim ad te ſcribere potuerim. Vt autem me collegi, nihil prius habui, quàm ut has ad te literas darem, tibíque gratias agerem, quòd humaniſſima ſcripta epiſtola tua, ſcrupulo me quodam ualdè graui, diuturnaque moleſtia liberâris. Nihil enim mihi æquè timendum arbitrabar, atque auctoritatem tuam, qua teterrimi atque inſaniſſimi homines abuſi, meam famam lædere conantur. Nunc uerò, quum id cognouerim, quod antea etiam ſuſpicabar, certorum hominum ſcelere, fictiſque ſermonibus, nulla tua uoluntate, ea crimina in me eſſe coniecta; uideor mihi acquieuiſſe, quod multum intereſſe ſcirẽ, ſi non magna ſaltem exiſtimatione eſſet is, undè ego tam malè audirem. Quantum igitur lætari tanta in perturbatione quiſquam poteſt; lætor me leuiſſimis hominibus, qui multa de te ad me fratremque meũ deferebant, credere noluiſſe. Ita enim illos audiebã,*

ut

ut tamen ſanctitatis, morum, doctrinæ & ſapientiæ tuæ recordarer. Denique te amo & obſeruo, tuæque uirtuti ac fidei tantum tribuo, quantum his in locis præterea nullius. Iſtos autem, qui ita maledicere mihi conſueuerunt, ut à me religionem omnem, & rectam de ſacris, inſtitutiſque maiorum opinionem ac ſenſum tollere conentur; & ſi pecudum eos, non hominum loco habendos eſſe ſciam: non tamen ullum erit aliquando tempus, quin quoquo modo fieri poſſit, ulciſci uelim. Nam, ſi homines eſſent, aut ſi honeſtas, religio, pudor ſensúsque hominis eſſe in belluis poſſet; nihil de meis moribus, nihil de ſtudijs, nihil de ſententia, nihil de rebus alijs, atque ulla parte uitæ accuſaretur. Quòd ſi cuius dementiæ ac ſtupiditati, aliquid in me eſſe uideretur, iure quod reprehēdi poſſet; erat tamen eius, qui non expers omnino religionis & humanitatis eſſet, hominem cunctis bonis artibus deditum, & de religione rectiſsimè ſentientem, non petulanter inceſſere, & penè in capitis periculum uocare; ſed clàm ex præcepto Chriſti, conuenire, docere, hortari & orare, ut de ſumma rerum ſuarum ſapientiùs cogitare uelit: Verùm quid ago? iſtaéne fæces hominū, ſordes ac lutum, aliquid dignum uiro cogitent, aut officium humanitatis ullū præſtare queant? Sola dicacitate, aut maledictis uideri homines uolunt. Neminem, qui bonis in literis uerſetur; neminem, qui à ſuis illis moribus ac turpi uita diſſentiat, Chriſtianum putant. Perſuaſi enim concionibus quorundam, non dicam improborū, ſed

tamen ſtultiſſimorum certè hominum, illorum, quos ipſi Capucinos uocant, nullas credunt neque maiorũ, neque Pontificum, ac ne Chriſti quidẽ leges eſſe ueras, niſi quas ab illorum oraculis acceperunt. Sed ò Braccij Martelli Pontificis ueſtri prudentiſſimi hominis ac doctiſſimi ſummum conſilium, ſummamque ſapientiam. Hic enim, quum alia omnia grauiter, tum illud rectiſſimè cogitauit; ut nequis ex illo grege iſta in urbe ac templis, conciones haberet. Nam, qui ignari ſunt literarũ, omniſque doctrinæ; qui nullas unquã dicendi, et iudicãdi uias attigerũt; qui ne uerſari quidem inter homines, & in ſolitudine vitam agere, & carere publico, ciuitatibus, & ciuili uſu rerum debeant; illorum non uitam reprehendit, ſed orationem indignam eſſe iudicauit, quæ homines ad religionem informaret. Antequam uerò hic Pontificatum iniret, nónne iſti diſcipuli eorum, quos dixi, mentis quidem non malæ, ſed nullius prudentię hominum, Donatum quoque Rullum, ſummo ſplendore & ſanctitate virum, tota à religione diſſentire criminabantur? Sed nihil attinet hîc omnia, quæ ſunt ab iis furioſè acta, impudenterque iactata, proferre. Sunt enim plura & maiora, quæ illorũ turpiſſima uita, magis digna ſunt, quàm modeſtia aut oratione mea. Huiuſmodi uerò fanatici homines, ca uere me ſemper ueſtram nobiliſſimã vrbem coegerunt. Carere enim ſplendore ac fructu conſuetudinis veſtræ malui; quàm multorum detractiones petulantiſſimamque inſaniam ferre. Nam, quanto plura

ac

ac turpiora in me præſentem iactarentur quotidie; ſi (quod in ipſis eſt) nec abſentem conſiſtere patiuntur? Fiunt hęc, & dicuntur multa ab inſanis, magno quidem cum dolore & periculo meo, ſed nonnulla etiam nota pulcherrimæ ciuitatis ueſtræ. Nam futilitas iſtorum, quæ profectò nullis in hominibus tanta cognoſci poteſt, ita reprehēdi ſolet ab ijs, qui iſtius gloriam urbis ferre non poſſunt, ut multorum uitia, dicacitatem ac petulantiam ad Lupienſes omnes uiros etiā bonos transferre conētur. Verùm hæc, tametſi doleam, quòd uos amo, & iſtic egi primos annos ætatis, attigique primas literas, & ſtudia pueritiæ: illi tamen viderint, quorum labefactatur per homines ſceleratiſsimos nomen digniſsimæ ampliſsimæque ciuitatis. Ego enim illud videro potiùs, vt conteſtans Deum, illiúsque filium, & ſanctiſsimam ab illorum vtroque ſpirantem auram, Deósque immortales omnes; dicam ne minima quidem in parte religionis diſſentire, aut unquam diſſentiſſe me ab ijs, quę ſanctiſsimè ſunt à maioribus noſtris inſtituta: et quæ de me dicuntur, & ab inuidis, proditoribus, & contaminatiſsimis hominibus eſſe iactata. Te autē amo, quòd ſcribis te nihil à bonis moribus tam putare alienum, quàm alterius famæ detrahere; & quòd lectis literis tuis magis intelligo, quid debeam ſuſpicari. Illud equidem minimè dubitabā antè, falsò ac per iniuriam à perditis hominibus contra meā exiſtimationem te fuiſſe nominatum; quem ſcio non incomparabilem modò rerum omnium ſcientiam, ab

eo,

eo, qui lumen Italiæ fuit, patre tuo clariſsimo uiro, ſed uirtutem quoque, integritatem vitæ, & humanitatem expreſsiſſe. Vale. Vrię.

Argentario, Vriam. CXLIX.

VELIM pergas, ad me, ut proximè feciſti, ſic amanter ſcribere. Diu enim deſidero non ſuauitatē, quā tibi & fratri meo uel natura negauit, vel procellę temporū excuſſerūt; ſed amorē tuū, qui mihi quidem in tuis literis & ſermonibus erat ſuauiſsimus. Illud affirmo, non indignum eſſe me, quem diligas, quem ames, ad quem illo modo ſcribas. Quod ſcire uis de ualetudine mea, XVII. Cal. Maij febris deſijt accedere. Nā poſtridie hęc ad te ſcripſi, quo die tamen potionibus à te datis mihi debilitatus videbar. Sequar cętera conſilia tua. Ventura nō creditur amplius eſſe uenturus. Itaque Manutij ſcripta non de illius, uerùm de fratris mei libris ad te miſi. Meos, qui apud te ſunt, noſti eſſe mihi pernceſſarios. Epiſtolas à te expecto, quas dixi. Commentarium collige, ſi me amas. Magnum hoc putabo ſignū amoris in me tui. Suſpicor hactenus ea de re nihil eſſe à te cogitatū. Hoc ſi recuſes facere, (nequid grauius dicam) non is apud te ſum, qui eſſe debeo. Ridebis tamen opinor; & rideas, uolo, ſuſpiciones meas. non enim (ut arbitror) amore te uinci ſines. Vale. Brundusij.

Pompeo

Pompeio Palatino, Lupias. CL.

SERO quidem, ſed nulla culpa, aut negligentia mea, nec dũ recuperatis uiribus reſpõdeo ad tuas literas. Quòd mearum te cupidũ literarum eſſe oſtẽdis, utinam eſſet in ijs aliquid, eruditionem tuam, quod poſſet adiuuare. Equidẽ in hoc genere non ualdè mihi placere conſueui. Neque enim ſatis magnũ ſtudium atque operam in literis ponere mihi conceſſum eſt unquã; nec adeò ſum ſtultus, ut Salentinorũ hominum ſtudijs, atque opinionibus, poßim eſſe contentus. Illorũ tu quoque præcepta, doctrinam, conſilia uehementer fugias, uelim. Hîc enim Latinas literas (uide, quid ſpõdere auſim) aut cæteri omnes ignorant: aut ego unus, quid illæ ſint, nondũ ſcio. Tametſi mihi ego nihil aliud ſumpſi unquã, niſi quod ratione ipſa, & grauißimorũ hominũ iudicio fretus, uideor mihi rectißimum genus, ac uiã ceteris poſſe oſtendere literarum, quas ipſe uel ingenij, uel fortunæ culpa, nondum planè ſum conſequutus. Magna quidem Pompei res eſt, & præclara, ac neſcio, an una omnium difficillima, Latinè loqui & ſcribere, ſeque ad perfectam, id eſt ueterum oratorum dicendi uiam conformare. Non tamen hæc eò pertinent, ut te, aut quenquam ab his literis deterreri uelim diſcendis: ſed, ut moneam potiùs, ne cum reliqua multitudine hac de re, quæ maxima & amplißima eſt, neque ad intelligendum, aut conſequendum facillima, nimis humiliter abiectéque ſentires. Obfuit enim multis ea

V temeri-

temeritas,quòd ſe res aggredi leuiſſimas à principio cogitantes, deinde uel difficultatem extimuerunt; uel pro doctrina ſolida,ſtultiſſimè uanas rerum umbras conſectati ſunt. Accidit hoc auaris, ambitioſiſque hominibus, qui uel Iura, uel Medicinam ſequi nimis longum putantes, Grammmaticam arripiunt (ſic enim appellant) qua ad docendũ, hoc eſt ad euertenda ingenia, & ad turpiſſimum quæſtum abutantur. Te uerò Pompei, ſic uelim exiſtimare; primùm nullam eſſe ſcientiam,in qua tantũ uel otij, uel temporis ponendũ ſit; deinde,contrà atque ignari homines putant,mutuam eſſe opem inter hæc ſtudia humanitatis,& cæteras diſciplinas: ut non tantùm illæ ſine his percipi non poſſint; uerùm etiã hæc ſine illis omnibus,uix nata unquam eſſe uideantur. Quamobrem nunc quidem,fac, de his rectam ſententiam teneas;confidáſque fore,ut adhibito ſtudio, diligentia,doctorum hominum præceptis,ac iudicio,rectiſſimè quicquid ad Latinam linguam, ad literas, ad eloquentiam ſpectat,conſequâre.Meam tibi,etſi non magnam,operam,abſens queam polliceri; conſilia tamen,beneuolentiam, ac fidem, ſenties non defuiſſe. Gaudeo uehementer hoc anno contigiſſe tibi, ut præceptore Mariano,homine integerrimo,& uiro doctiſſimo uterêre. Hic enim,quum cæteras artes,tum genus Dialecticæ quoddã ſequitur elegantiſſimũ,abhorrénſque à ſtultitia noſtri tẽporis;quod, uelim, ſcias minimè poſſe à dicendi ſtudio ſeparari. Quod autem uidere me uolebas, num quid eſſet in

epiſtola

epiſtola tua, quod mihi corrigendum uideretur; equidem ne mentiar, illam minimè ineptam iudicaui. Accidit autem perincommodè, quod illam Vriæ apud Marcellum fratrem reliqui, ut non rectè omnia queam recordari. Illam mecum tuleram, quòd me domi meæ putabam aliquod poſſe eripere tempus à moleſtijs, ut inde tibi reſponderem. Itaque poſthac reſcribam accuratiùs ad literas tuas. Patrem tuum fortiſsimum uirum, et noſtri amantiſsimum, fac mihi & fratri meo ſalutes diligẽter. Vale & nos ama, ut facis. Brundusij. XIII. Cal. Maij.

Nicolao Craſſo, Lupias. CLI.

MEAS literas, Marcello mandaui ad te mitteret, quas Theophilo redderes, & Pompeio. Intelligere te ſcio, quantum in ijs ponam, quas ad Theophilum ſcripſi. Itaque, ſi me amas, da operam, rectè ut reddantur. Illarum ad te exemplum mittere uoluiſſẽ. uerùm potes ipſe ante deſcribere, quàm reddas. Cupio enim uehementer Theophilum ipſum, cuius tamen in eo conſilio, uel nulla de me, uel honorifica, uel certè non turpis oratio fuit; ſed multo magis iſtas hominum ſordes intelligere, quid de ſua & mea religione, moribus, et uita ſentire oporteat. Scribo nunc, & ſępe iam antea ſcripſi magno cum dolore, quod me, id eſt eum, qui noſtrorum hominum falſam de religione ſententiam, pernicioſas de maiorũ legibus opiniones, peſtiferam de ſacris orationẽ deplorare conſueui; illi de religione accuſent, quorum

nulla doctrina, nulla uel unius literæ cognitio, nulla in uita honeſtas, nulla in parte domus aut corporis pudicitia, aut ſenſus hominis cognoſci queat. Tui uerò in me amoris atque fidei eſt, meam iſthic apud bonos exiſtimationem tueri: malos autem, atque inimicos meos nullo loco ducere; &, ſi res cogat, facetijs modò tuis dignos putare. Scito enim rem antehac nullam fuiſſe, in qua tuos mihi ſales tam commodos eſſe cognoſcerem. Pompeium mihi ſalutes uelim, rogesque, ad me quàm ſæpiſsimè ſcribat. neque literas enim meas, neque officium ullum deſiderabit. Tu facies me de Pratis, & Pandolphis, ac de rebus tuis omnibus certiorem. Vale. Brundusij.

Argentario, Vriam. CLII.

QVAE proximè ſcripſiſti, mihi gratiſsima fuerũt. illud excipio, de temporibus tuis. Gloriari enim mihi uidêris illorum memoria, & prædicatione tuæ cuiuſdam ſempiternæ uoluntatis. At uerò noſtrarum finis eſt rerum omnium. Odia tantùm ipſos lædunt, qui alios oderunt, & denique ipſum, & rerum maximarum, atque acerbiſsimarum dolores καταπίψει χρόνος. *Quare non aliorum uitijs offendi, ſed tuis te bonis lætari uellem. Laudem enim illam cogita potiùs, ad quam te natum eſſe cognoui, ut ingenio ac ſtudijs tuis, uoluptatem nobis, tibi immortalem gloriam pares. Hoc illud eſt, quod unũ apud te uelim eſſe ſempiternũ. Cætera enim breui intereant, ut dixi, neceſſe eſt, omnia; & ipſa dies obliuionẽ inducet*

ducet ijs,quæ ſemper uellemus recordari.Non deeſt artificiũ uiciſsitudini rerum ac fortunæ. Siquid ſtultè moneo,cupio à te refelli . Verùm ad mea . Febris quidem diſceßit ipſa XI. iam ab hinc die, ſed cõmotionibus ſtomachi ualdè adhuc laboro . Non nullum cibi faſtidium eſt καὶ ἐν τοῖς ἄνω longior mora . Frigoris tum & diſtentionum aliquid, ut ſub acceſſum febris, donec cibus denique deſcendat . Vereor,ne ad morbum hoc fluat . quotidie hic metus eſt. Septem diebus medicinas tuas accepi . deſtiti cũ mihi uiderer melius habere . Vide,nunquid hoc ſit,quod dicã. Sæpe ſum ueritus nonnihil ex ueſtitu aperto , nunc ante,ut noſti; prius uerò ſemper in leuã.Quare foueo,quæ ſunt infra pectus . adhuc tamẽ fruſtra.Vide etiam illud; contrà,quam ante conſueuerã, prandeo nunc lautiuſculè,cœno autẽ ex conſilio tuo frugalius.Vtrum quod profuturũ eſt,quia rectum; nũc obeſt,quia nouum?Redeo ad uetera. Oro te Argentari,et obteſtor,de ſumma eius hiſtoriæ, ne repugnes cupiditati,aut inuideas honori meo. Nã illa iam nimis crebra ſunt in tuis literis, periclitabor , incũbã, uidebo,diſtineor.Omnia quatuor pagellis ante collegeras . quantulũ eſt negotij nunc totidem penè uerbis rem deſcribere à te ipſo quæſitã,inuentã , & recenti memoria notiſsimã?Belpratos, & ſiquæ illorũ ſunt res geſtæ,uelim cognoſcere.Denique pudore impedior,& cunctatione tua,ne petam à te plura ; & certè neceſſe erat,ſed moleſtiã afferre nolui maiorẽ. Caput eſt,annos poſt Romã conditam habere cogni-

ſos,& qui Neapoli,in Gallijs,& Hiſpanijs tunc Reges,qui Romæ Pontifices Maximi. Verùm has literas quũ ad te ſcriberem VIII. Cal.Maij, redijt febris tanto prius cùm frigore in ſtomacho, ut habere mihi quãdã in eo glaciẽ uiderer.Quid quæris?aqua calida pota,& eiecta,minuere uim frigoris tentaui. quid profectum ſit,neſcio. Mox enim calor acceſſit, non maior tamen,quàm ſuperioribus diebus , quum iſthic eſſem. Vale. Brundusij.

Aloiſio Hæredio, Brunduſium. CLIII.

CVPIO ſcire,quid actum ſit. ſuſpicor autem frigere iſthic homines,etiã amantes noſtri.noui etiã ipſa tempora & occupationes . Quamobrẽ cogita,quid me facere oporteat:illud ſcilicet, ne cuius deſidiã meis rationibus anteponam.Tamen expectabo ad Idus.deinde enim,de me,ipſe conſtituã ; quod ſi fiat, excuſabis me patri tuo,qui mihi unus eſt pro omnibus, immo etiã ſolus abſque cæteris.Nimis adhuc diſſimulauerã.pudebat me cõmendare tibi , neſcio quid,in meis rebus,uerùm audebo apud te. Vehicula ex ciuitatibus imperantur ad munitiones aggerum.ploſtellum quod eſt domi meæ,facies,ut mihi ſit ſaluum.potes hoc uel per te,uel per patrem tuũ . hoc te in primis etiam,atque etiã rogo.Tu ſcribas ad me uelim,quid agatur, númqui ſermones, númquæ opinio,aut ſpes hominum ſit fore,ut ne hoc anno caream conſuetudine tua.Scire aueo,quid Byzantio afferatur. Non ſum curioſus,ita ut ignorem ſæpe, quæ

nôrunt omnes.ſed audierat pater tuus claſſem Turcarum in Boſphoro Thratio, aut Helleſponto ualde paruam atque infirmam ab ſpeculationibus eſſe uiſam. Velim hoc percrebreſcere, neque inueniri falſum.ſperant enim, ſi ita ſit, non contra nos eſſe comparatam; itaque hoc anno,ſaltem ab hoſtibus otium fore. Ego non rationes belli ſcrutor,ſed literis noſtris pacem eſſe cupio.Siquid ſperandum ſit, uelim id diſcere quàm primùm ex literis tuis. Vale. Vriæ.

Theophilo Zimaræ M. Antonij Filio, Medico, Lupias. CLV.

RESCRIPSERAM ad te ſuperioribus diebus,non quia neceſſe crederem: ſed, quia tibi agere uellem gratias; & queri de meorũ ſtultitia ac ſcelere obtrectatorum,poſſe me ſatis non putarem. Eam epiſtolam quadrageſimo die, quàm data erat, Brunduſio quum ueniſſem,comperi amiſſam eſſe domi, quum frater meus certum aliquẽ expectaret,cui tutò cõmitteret. Sed non patiar meam lucubratiunculam interire.Itaque in ſchedulis quæram,& à puero anagnoſte; quàm ſi quo modo poſſim inuenire,colligam: daboque operam denique ad te,ut perferatur. Nã paucis diebus Brunduſium reuerti cogitabam. Vale. Vriæ. XIIII. Cal. Iunij.

Eidem, Lupias. CLVI.

DE meis obtrectatoribus quod tibi reſpondi uehementius,ignoſces, arbitror,iuſtiſsimo dolori

meo. Epiſtolam iis de rebus miſſam Brunduſio, amiſſam, domi apud fratrem, uix potui colligere. Illam tamen, cuiuſmodi ſit reſtituta, cum his ad te literis miſi, ut me ſceleratis quidem hominibus non iniuria eſſe infenſum, tibi autem ac bonis omnibus deuinctũ cognoſceres. Vale Brundusij, Pridie Cal. Iun.

Argentario, Vriam. C L V I I.

NON ignoro, quid ſuperioribus diebus mutua inter nos caritas poſtulabat, quocunque id, quod accidit, animo tuliſtis: uobis tamen cognitũ eſt meæ genus quoddã perpetuę iam durißimęq; ſeruitutis. Petij per literas à fratre meo, núm-quę tali tempore, noſtra utriuſque, aut mea abſcntis eſſe officia uiderẽtur. is more ſuo, nihil reſcripſit. Nunc uerò cõſolari te non audeo, nec arbitror eſſe neceſſariũ, qui noui animũ tuum: & profectò ipſe tibi medeâre neceſſe eſt, ne fruſtra literas didicerimus. Nã, ſi hoc non dat iſta philoſophia, nihil mea quidẽ ſententia eſt, cur uel unũ diẽ, ea tota perdiſcenda cõſumere uelimus. Quid enim affert boni, quod cœlum & totius uim naturæ doceat: noſtri uerò ipſorum cognitionẽ, uel nullã ipſa oſtendat; uel rectè ab illa traditam nos ultrò relinquamus? Graue quidem eſt id, quod ego maiore in orbitate ſum expertus, amittere fratrem: ſed ita ſunt res humanæ. Nihil eſt in uita mali, quod pluribus adhuc ærumnis cumulari non poßit. Quare ego & metuo ſemper, aut prouideo potiùs acerbiora: & me paratum eſſe cupio ma

ioribus

ioribus telis fortunę, & gratias ago interim Deo, quòd alterum mihi fratrẽ reliquit. Vobis aũt domus adhuc florentiſsima eſt, ita ut neceſſe ſit in dolore, aliquando te fortunæ tuæ gratulari. Reliquũ eſt, ut ipſe parentes tuos non oratione ſolùm, ſed facilitate, & officijs conſolère. illorum enim in te coniecti ſem per oculi fuerũt: beati ſibi uideri ſunt ſoliti, una expectatione gloriæ, & rerũ omnium tuarũ. Ad patrem tuum ſcribere uoluiſſem, quando uenire nõ potui; ſed idoneum eſſe tempus non putaui. Matrẽ tuã confirma: ac uide, obſecro te, númquid meo nomine apud illos per te dici, fieri, ſignificaríue poſsit. Vale.

Pompeio Palatino, Lupias. CLVIII.

PROFECTIONEM patris tui audieram. Speramus illi fore, ut uolumus. quum redierit, facies, ut nôrit eſſe me ſtudioſiſsimũ ſui. Marianũ cole præceptorem tuum, quem ſalutes uelim meo nomine. Deerat nunc, ad illum quod ſcriberem; ac ne in tuis quidem literis erat, undè mihi naſceretur argumentum ad te ſcribendi. Nã, quod uota facis, ut incolumis uiuam, donec barbariem his ex locis tollã; nihil eſt, quod reſpondeã aliud, niſi te nimis longam mihi uitam precari. Equidem non is ſum, qui præſtare hoc poſsim, aut repugnãtibus moleſtus eſſe uelim; ſed qui amicos errare non ſinam?. Alij uerò magnũ ſe beneficium accepiſſe crederent, ſi noſtra cum ſtultitia nos eiectos atque exterminatos uiderent. Sed nos hæc, ut cætera omnia, à Deo curatum iri credamus. Vale. Nico-

Nicolao Craſſo, Lupias. CLIX.

EGO uerò ſiqua etiā poſteritas (quod tu uideris metuere) intellectura eſſet meā à ſceleratis hominibus uitā eſſe reprehenſam, nihil eſſe mihi glorioſius arbitrarer. Itaque, mi Craſſe, genus hoc ſermonis & doloris tui in totum omittas licet. Videro enim ego, ne iure, néue à bonis reprehendi poſsim: mali uerò, ut meis, & omnium hominū rectè factis, honeſtæque uitæ maculam aſpergere conentur. Nobiles aūt atque amantes noſtri, qui (ut ais) mihi ſucenſent, meo nomine rogabis, mihi ignoſcant, ſi nolo id, quod me arbitror, poſthac nulli præterea hominū poſſe concedere. Tua ad Theophilū epiſtola non malè ſcripta eſt; ſed nec illud uideo, qui putâris illā eſſe neceſſariā. itaque meliorē eſſe credā, ſi ille nō ſuperuacaneā iudicauit. Mea uerò ad illū tertia, ſcribe, quid factum ſit. cupio eſſe redditā. Verùm, heus tu, cartha dentata poſthac mecū. Diſpereā, ſi aut alia multa, aut illud potiſsimùm de oratore, quod rogas, legere potui. idē nunc & ſæpe aliâs, non te monuiſſem, niſi tua in litera ſemper ualde laborarē. Romā, Venetias, Patauiū, Bononiā quid ſcriberē, dubitare te, mirabar ego admirationē tuam. Vale.

Ioanni Paulo Vernalioni. CLX.

LEGIT mihi Bernardinus literas tuas, qui me rogauit etiam, ad te ut uellē ſcribere. Argumentum quoque mihi attulit eiſdem ex lite-

ris,

ris,ut de ſcriptis illius,quem tu noſti,aperirem,quid mihi uideretur. Me quidem ea re deterruit à ſcribendo potiùs,quàm incitauit. Etenim amicitia impedior,quæ erat illi mecum,& nimis longa minutiſsimis de rebus diſputatione,quin utrique ueſtrûm planè ſatisfaciam: facies tamen de paucis coniecturam. Hic enim, qui primus Italiam ad M.Tullij imitationē excitauit,& Res multiſsimas dixit, & Treis literas,& Comitia proximè fienda non uitauit. multa etiam huiuſmodi, quę pueri ferre non poſſent. Iam ergo intelligis,quantum neceſſe ſit eſſe peccatum ab eo in cæteris,quæ ſtudium requirunt. Quamobrem, te rogo,ne expectes à me plura. Nam,etſi libros illius haberem,quibus careo non inuitus,neque me aliquod ab ea re officium retardaret, nec ullum eſſet negotiū mihi tā multa colligere; facerem tamen impudenter,qui te doctiſsimū hominē iſtis de rebus admonerē. Amicitiā uerò,quod inire mecū te uelle ſcribis,equidē illud cogitare te uolo,uirtutū eſſe tuarū, quod diu antea amare te cœpi; humanitatis autem, quod me ames, tametſi ignarus ſummi amoris in te mei. Quare ego,quid ad mutuam hāc beneuolentiā addi,aut quid aliud amicitia ſit, fortaſſe nondū ſcio. Coniunctionem hanc tamen, quicquid eam tu uelis interpretari,ſpero in omne tempus eſſe duraturam. Bernardinum amaui,& quod bonis eſſe deditum literis puto,& quod diligi à te illum cognoui. Vale. Brundusij III.Id.Iun.

Donato

Donato Argentario, Vriam. CLXI.

ET profectò quidem (inquis) nihil eſt, quod doleam. totidem enim uerbis magno te animo eſſe oſtendis. Ego igitur mi Argentari nego uerius aliquid, uel ſapientius philoſophũ dicere potuiſſe. Nec dubito, quin ita ſentias, quemadmodum ornatiſſimè & grauiſſimè ſcribis in epiſtola tua; feráſque omnia fortiter, quę aut fortunæ temeritate & iniuria, aut naturæ lege & neceſſitate fiunt. Iſtorum enim, quę patiamur quotidie, neceſſe eſt, medicina prorſus carere, hominis eſt, neque ex literis, neque ex uita hominũ atque uſu aliquid aſſequuti: abundare autẽ & uti nolle, eius, qui ſponte hæc omnia exuerit, & pro ſapiẽtia ſtultitiã ſequatur. Quare tibi gratulor iſtã uirtutẽ, quã & antea mihi perſpectã, proximè et modeſtia et literis tuis illuſtriùs cognoui. Quòd ſi nõ ita eſſe conſiderẽ, hanc orationẽ, cõtra atque uolo, eſſe tibi acerbiſſimã, ex recordatione recẽtis adhuc doloris tui, arbitrarer. Nunc uerò libentiſſimè hæc ad te ſcripſi; nec dubia ſpe ſum, qui humaniter paucis ante diebus domeſtici uulneris acerbitatẽ tuleris, te eodẽ animo Victorij quoque Spinulæ amiciſſimi tui mortẽ ferre. Nihil enim ille, aut tu amiſiſti, quod priuatim exiſtimes tibi dolendum eſſe. Quòd ſi non ex ueſtra philoſophia modò, quæ naturæ maximè eſt accõmodata; ſed ex doctrina quoque aliorũ, qui extingui omnino homines pecudũ ritu in morte crediderunt, idonea ad conſolandũ multa olim dicebantur:

cebantur: profectò ſpes illa fruendæ Deorũ immortalium uitę, nunc affert plurima & maxima non ſolatia tantùm, ſed me hercule etiam uoluptates. Sed minùs creduli Deo ſumus, cuius ex oraculis hęc prolata ſunt: uel certè pluris eſſe ducimus breuiſſimũ hoc & miſerrimũ tẽpus, quàm lætiſſimũ illud & ſempiternũ, uiuere. Vtrumuis horũ, qui uel cupiũt, uel opinantur, ſciunt ſiqui religionẽ tenent aliquã, maximũ & poſtremũ alterius uitæ naufragiũ illis eſſe metuẽdum. Nã quid religioni tam contrariũ eſt, quàm ita uiuere, ita mori, ita lugere mortuos, ut ſi nulla poſt hanc ſit futura hominibus uita? Quid rurſus tantũ hæc tota rerũ uniuerſitas habet, quantum illud eſt, quod poſt hãc uſurã lucis in cœlo beatiſſimam cum Dijs immortalibus uitam nobis eſſe agendã ſcimus? Ac fuit illa quondam, mihi crede Argentari, conditio temporum miſerrima, quũ de ueſtris tantùm literis atque doctrina huiuſmodi rerũ conſolationes petere homines cogebantur. Nunc autẽ cognita, & patefacta noſtris animis in cœlũ uia, quid cauſæ eſt, cur mortis, quàm uitæ potiùs conſolatio ulla de religionũ libris quęri debeat? Noli enim, cui hæc non cogitata perſuaſaque ſint, eum literis, pietate, aut humano aliquo ſenſu præditum exiſtimare. Verùm ego magnã cœpi proximis ex literis, & magnitudine animi tui uoluptatẽ; nec dubito, quin Spinulæ fortuna tibi cõmodiſſima uideatur. Memini, quantam ſæpe illius fidem in rebus, animi integritatẽ, cæteráſque artes mihi pręd icare ſoleres; quibus artibus, ut Dij ſint,

ipſi

ipſi homines conſequuntur. Equidem ex taliũ hominum interitu non poſſum primò non commoueri: ſed, poſtquam ratio multa, & attentior cogitatio quædã acceßit, uidere in cælitum numero mihi ſępißime uideor cæleſti gaudio affluentes illos, qui ſplendorem ſolis etiam atque ſiderũ multis partibus antecellãt: His cogitationibus ita fruor interdum, ut ſolo mortis beneficio (ſic ut res eſt) perbeati mihi ſoleant iuſti homines uideri. Sed nimium hac de re multa, præſertim apud te, in quo ſtatuerim ſatis eſſe cõſilij, animi, firmitudinis; hęc tamen ad te ſcribens, me quoque ipſum conſolari uolebam. Vale III. Cal. Quintilis.

Antonio Mileto. CLXII.

DE amore tuo, perpetua in me beneuolẽtia, breuitate & intermißione literarum, quemadmodum ſcribis, nolim te laborare. Deſideraui diu literas, non amorẽ tuũ: nec de amicitia tua mihi unquã uenit in mentẽ, ut imminutũ eſſe aliquid ſuſpicarer. Ceſſandi enim à literis plures & honeſtę ſolent eſſe cauſę; &, quas attuliſti, grauißimas eſſe iudicaui. Quòd ſi tamen aliqua intermittendi literarum culpa eſt, eam conuenit utriuſque noſtrûm eſſe cõmunẽ. Nam toto hoc tempore ne meæ quidẽ ullæ ad te literę fuerunt, neque tamẽ de amoris mei conſtantia dubitare te uelim. Quare neque hactenus peccatũ eſt aliquid, & in poſterum confido amicitiã noſtrã ſanctißimè conſeruatũ iri. Genere autẽ ſtudij mei, quod te oſtendis delectari, etſi arbitror eſſe amoris tui, gaudeo

gaudeo tamen bonarũ eſſe te accenſum cupiditate literarum. Equidem nihil audeo in ſtudijs, aut ulla doctrina mihi uendicare; niſi illud, ut rectiſsimè uideã in noſtris ciuitatibus peruerſiſsimas eſſe de literis opiniones. Itaque quum genus ipſum literarũ ſequar doctiſsimis Romanorũ maximè accõmodatũ, quid in eo perfecerim, non puto eſſe meũ iudicare. Tu, ſi uideor is eſſe, quem in literis oſtendiſti tuis, fac tibi ꝑſuadeas, quicquid eſt in meis ſtudijs, illud tibi ſemper fore paratiſsimum. Cognoui in tuis literis non multũ abeſſe te ab ea forma, quã ego ſolã arbitror eſſe perfectã. Quòd ſi me audias, & paulò accuratius adnitâre, bonis etiam iuuenibus hanc à principio oſtẽdas uiã; præſtabo fore, ut gaudeas aliquando maximã te ex ea re laudem eſſe conſequutum. Repugnant mihi quidam, id quod te non dubito accepiſſe à multis. Quid moror? ſimultates etiam atque odia hîc ſuſtineo principũ uirorũ, qui grauiter accipiũt, quod ſua ſcripta laudare nõ poſſim. Deniq; fremũt, et irridẽt ſecuri, quod me Politiani epiſtolam, aut Eraſmi fulmina diſputationũ legiſſe me nõ arbitrantur. ſtultos ac demẽtes homines. Caue enim putes, mi Antoni, aliquid ea de re ſcriptũ eſſe, quod mihi perquiſitum lectúmq; nõ ſit, atq; ut alienũ à uero multis modis reprehẽſum. Prouehor lõgius, quàm uolebã, cui propoſitũ erat de mutuo amore noſtro & mea in te uolũtate. Me uerò tantũ amari à te credã, quantum literis ad me ſæpe mittẽdis, et in ſtudijs, rectiſsima doctorũ hominũ ſentẽtia delectabere. Vale. IIII. Cal. Quint.

Bernardino Balduino, Lupias. CLXIII.

AD XV. Cal.Sex. hoc eſt, nimiũ ſerò mihi red ditæ ſunt literæ tuæ. Superiores aũt, quas te multo ante ad me dediſſe ſcribis, eas ad me ſcito ne ſerò quidem fuiſſe perlatas. Nã, quod rogas, ut iam ad illas reſpondere uelim, videris mihi uoluntatem, aut negligentiã accuſare meã. Quare facies, ut ſciã, quid erat in ijs literis, ad quod reſponderi uelles; nõ deero uoluntati tuæ. Vereor etiã, nequid à Vernalione literarum interierit cum tuis. Tu, illud ſcias, me nihil ab eo hactenus accepiſſe. Vt uerear autẽ, facit, quod nihil ad me de illo ſcribis. fortaſſe enim ad eius me literas tacitus reiecisti. Quòd ſi non falſum eſt, quod ſuſpicor, quàm primùm de hoc uelim te ad eũ ſcribere. Denique utriuſque ueſtrûm literas uehementer expecto. Vale.

Eidem. CLXIIII.

ANTEQVAM eſſet, cui ſuperiores ad te literas darem, ecce altera à te epiſtola, plena querelarum, plena expoſtulationum. Non potui ſtatim reſcribere. is enim, qui illam attulit, ipſe ad me non uenit, miſſaque epiſtola diſceßit. uix meas literas dicebant illum accepiſſe. Itaque dubitauiſſem hactenus de ijs, utrum ſint perlatæ, niſi Craßi literarum ſignificatione quadã factus eſſem certior. Ac, ne longior ſim, acquieui, poſtquam tibi redditas eſſe cognoui. Nã apud te, hominem eſſe me non arbitrabar,

bar, qui ſimulaſſe tecum ſuperioribus diebus amīcitiam tibi uiderer, quòd deinde ad tuas literas nihil reſponderem. Nunc uerò intelligis non mea culpa eſſe factum, ut ne ſcriberem; ſed illius, qui tibi mentitus eſt improbitate, ut literas mihi tuas ne reddiderit. Nam tibi ſic perſuade, eſſe te mihi cariſsimum, et ſemper literas tuas, tametſi familiares ac iocoſas, maximum apud me pōdus habituras. Quòd ſiquādo fiet, ut ſeriùs ad te ſcribam; caue, tribuas hoc negligentiæ, uel obliuioni, ac ne occupationibus quidē plurimis, quibus diſtineor: ſed illud potiùs crede, me quoque tuarum deſiderio teneri interea literarum. Epiſtolam uerò, quam à te proximè accepi, qualem eſſe iudicârim, uides. nam remiſi illam cū his ad te literis. Omnino placuit mihi; nec dubia ſpe ſum fore, ut nemini inuideas laudem latinè ſcibendi. Vnum illud corrige, ſi potes. eſt enim difficile, ut qui natura feſtines omnia: iſtam præcipitatam operam, ſemper quidem, à literíſque omnibus, præcipuè tamen à rectè & latinè ſcribendo tollas, donec ſtilū confirmâris. Hoc ſi perſuadeo, ut, quàm maximè fieri poteſt, conſiderata ratione ſemper accedas ad ſcribendum; diligentiámque, tempus ac moram, quæ tibi inimica eſt, ſcriptioni adhibeas: nihil erit amplius, quòd tibi meo conſilio utendum putes, modò te ad auctores illos accommodes omnino imitandos, quos dicebam: et quacunque de re etiam aperta & leui, timidè aliquandiu, et ſuſpiciosè accuratiſsiméque ſcribas. Itaque mi Balduine, perges te Latinis literis; literas ue-

rò ipſas tuo ingenio & doctrina (ut facis) illuſtrare. Sed, ne te pluribus adhorter, facit, quod ad ſtudiũ antiquæ latinitatis rectiſsiméque ſcribendi tua te ſponte uideo ſatis eſſe incitatum. Quoties ad Vernalionem ſcribas, fac legitima quædã ſalutatio mea ad illum ſit in literis tuis, quem ſic amo, ut planè mihi cum illo uidear ægrotare. Vale.

Antonio Mileto. CLXV.

ORO te, mi Antoni, fac, ſciam de ijs literis, quibus reſpondi ſuperioribus diebus ad epiſtolam tuam. Vtrumque enim uehementer cupio, nec tibi ſuperbior uideri, & ſatisfacere uoluntati tuæ, qui tanta cupiditate mearum teneri te ſignificabas literarum. Quare illo ipſo die ſtatim, ut accepi tuas, epiſtolam ad te ſcripſi, amoris in te mei, quàm elegantiæ, quæ amãtiſsimè à te dilaudata eſt, pleniorẽ. Vtinam his in regionibus haberẽ plurimos, qui non tã literis, quàm bonis literis delectarentur. Tu fac, nos ames, & his in ſtudijs doctrinam & ingenium tuum; ſententiam uerò ac iudicium meũ ſequi uelis, quod tamen confido iam factum eſſe tuũ. Vale.

Leonardo Clementi. CLXVI.

LITERAS à te neque diu antea ullas accepi, neque proximè, quas te binas dediſſe ſcribis. itaque, iſtic quid ageretur, cognoſcere non potui. Nam de Ioannis Franciſci Petraroli obitu, ſuauiſsimi ac diuini adoleſcentis, audierã ſæpe à mul-

tis,

tis, & ἐπιτάφιον, quòd à me illius frater Camillus petierat, miſi; & æqualem penè cum patre illius dolorē accepi. Monebis igitur, ſiquid eſt aliud, quod dolendum ſit. Significabas enim uoluiſſe te alia quędam ſcribere, quæ nunc per ualetudinem non liceret. Scribis te φλεγματώδην eſſe factum, quod tibi inſtar mortis uitandum cenſeo. Noſti enim, quæ mihi uita eſſet eò tempore, quo tecum unà fui. illā tamen ſummam dicas fuiſſe ualetudinem præ ijs, quæ toto ante triennio tuliſſem. Quare iſti morbo tollendo, aut leuando, prorſus incūbas uelim. Rationē ſpeculi, quod tibi ad lippitudinē medici fecerunt, & genus ipſum lippitudinis tuæ, & num quod inde cōmodum ſit ualetudinis, cupio à te ſubtiliter doceri. Tu, ut ualeas, remitte aliquid de ſtudijs tuis.

Bernardino Balduino. CLXVII.

LECTIS tuis literis, planè mihi ſpem omnem libri eius, de quo ad te ſcripſi, ereptam eſſe cognoui. immo etiam, antequam tabellarius Brunduſio exiret, recordari cœperā meo puero anagnoſtæ illum à te redditum fuiſſe. Sed literas ad te ea de re meas ab eo repetere cupiens non potui. minimè enim uoluiſſem tibi moleſtiā afferre, ut uel meā iacturam doleres, uel mihi te ſuſpectum eſſe crederes. Nam et paulo momento temporis in ea cogitatione fui, & beneuolentia in te mea fretū eſſe te uehementer gauiſus eſſem. Nunc uerò doleo, et te dolere certò ſcio, amiſiſſe me id, in quo multis annis elaborauiſſem, nec

aliquid recolligere ex ullis cõmentarijs poſſe. quocirca do ſtultitiæ ac uanitatis meæ pœnas. Epiſtola tua ſcripta erat accuratiùs; puta etiam dixiſſe me latiniùs, & me hercule meliùs omnino, quàm cætera. Itaque breui (ut ante ad te ſcripſi) confido fore, ut uberrimũ cognoſcas fructũ conſilij mei; ſi feſtinationem, quæ in te à natura eſt, tibi diligentiſſimè temperandã putabis. Ad Vernalionem caue unum ſcribas aliquando uerbũ, quin ſalutatio diligens meo nomine prima ſit in literis tuis. Voluiſſem ad illum ſcribere, ſed ueritus ſum ne afflicta ualetudine incõmodũ ſuſciperet reſpondendi. Monebis igitur me tu, quũ uidebitur aliquid illi eſſe melius. Vale.

Paulo Manutio, Venetias. CLXVIII.

LITERAE meæ uereor, ut omnes ad te ſint perlatæ. ſuſpicor autem hoc ex epiſtola tua ad VIII. Cal. Maij data. quas tamen proximè dedi XIII. Cal. Iun. illæ erant huiuſmodi. Primùm doluiſſe me, quòd cognouerim arrogantiſſimos quoſdã homines inuidere laudibus, inuidere uirtuti tuę. Deinde illud à me probari, ſi obtrectatores tuos, uel rideas omnino, uel ſapientiùs ulciſcâre, quàm ſis ab illis prouocatus. Tum in literis, quibus tibi de tuis legibus agebam gratias, caput eſſe quoddàm, ad quod reſpondere te magnopere cupiebam, eáſque putare me redditas tibi non fuiſſe. Denique Aldũ tuũ amari iam à me uehementer; & diligi me ab eo, uel ex una illius epiſtola, me facilè eſſe cogniturum. Hæc

in proximis meis literis.nam,quibus ante (ut dixi) reſponderam,illarū nunc exemplū ad te mittere uolui.Expectabo igitur de cupiditate mea, quid tibi uideatur.illud mihi crede,omni diligentia atque opera eſſe curaturum,ut à doctis hominibus laudetur induſtria mea,& iudicium tuū.Præterea ego is ſum,qui cupiā te,& multos alios ea in re mihi Ariſtarchos eſſe,qui moroſiùs etiam leuiſsima omnia perſequantur.Vnus quidem tu fores mihi inſtar omniū, qui doctrina, & eloquentia unquā præſtiterunt; ſed noui occupationes tuas. quare mihi ſatis erit, ſi quid per amicos poſsis efficere.Ac ſcio te genus hoc ambitionis non reprehendere.recordor enim,quæ binis in literis tuis amantiſsimè ad me ſcripſiſti. Cupio etiam corrigere hîc ſtudia multorū,& hominū, & ciuitatū: cupio meas uires & doctiſsimorū de me opiniones ac ſententiā periclitari.Nam,ſi erunt hæc,ut uolumus: tum parebo conſilijs & auctoritati tuę.Verùm de his hactenus: nec aliud erat,ad te,quod ſcriberem.De amore enim in te meo,& obſeruantia, ac deſiderio tuæ Romanæ ciuitatis,non puto expectare te literas meas. Vale.

Argentario, Iuuenatium. CLXIX.

CESSATIONIS *mearum ad te literarū, ne inualetudinē quidē fuiſſe cauſam putabis. Quæ enim moleſtiæ,occupationes,aut ægritudo tāta eſt,quę mihi ad te ſcribere uolenti obſtare poſsit? neque tu es neſcius, quàm ſæpe æger ex lectulo,fe-*

briens & ultimo penè cum ſpiritu aliàs ad te ſcripſerim. Nunc uerò ægrotaui equidem toto Septembri, etiã ſalute omnino à medicis deſperata: ſed narraueram tibi, antequã diſcederes, quantus mihi, quantíſque de rebus timor iniectus eſſet. Credas uelim id, quod profectò credis, & mecum pro tua humanitate doles; illo accepto nuncio, qui pridie Id. Quint. fuit, antequam Vriæ te uiderem, nullos mihi vſque ad hũc diem ſenſus, nullam denique vitam fuiſſe, neque inuenire adhuc undè opem & auxilium ſperare poßim. Quantum enim tali meo tempore, mente et cogitatione valeo; ſic metu ac dolore propè iam exa minatus, omnia quum luſtraniſſem, in eam ſpem ueni, quæ ſola erat, vt qui morbus ab ærumnis & fortunæ iniuria mihi natus eſſet, is miſeriarum omniũ, id eſt vitæ finẽ mihi optatißimũ afferret. Quúmq; nec ipſa, quæ ſola poterat, mors opitulata eſſet; nec illud contigiſſet, ut patri tuo, quem unicè dilexi ſemper, comes è uita diſcederem, illiúſque fortunã, qua ſatis benigna ſemper eſt vſus, noua ex beneficio mortis, mea lætitia cumularem; uiuo nunc miſer & inuitus, ad meáſque calamitates adiũgo (ſic me Deus aliquando reſpiciat) lacrymas & dolorem tuũ. Volui ſæpe ad te ſcribere, ſed mehercule non uerborum & orationis tantùm, ſed nec memoriæ, et ingenij tãtulum eſt, ut uel formare literas poßim. Conſolari igitur te neq; poſſum, ut is, cui excogitari idonea cõſolatio nulla pọteſt: nec ſi poſſem, ea fuit uita, aut obitus patris tui, uel robur animi & doctrina tua,

ut

ut in hoc genere literas à quoquam debeas expecta re. Deceſsit enim is ætate non graui illa quidem, nec infirma; ſed integerrimè tamen ac ſanctiſsimè acta, quum floreret liberis, bonis adoleſcentibus, magno fructu ac ſpe virtutis & laudum tuarum; &, quod his temporibus fortunatiſsimũ eſt, quum in uita nihil uidiſſet mali. Caue, putes Argentari, hoc inter magna bona, magnáque ſolatia non eſſe collocandũ. Nam, ſi poteſt aliquid prodeſſe tibi exemplũ calamitatis meæ, luxi ego multum ac diu meos parẽtes: etſi patrem ne noui quidem, quem à prima infantia amiſeram; certè, ut taceam de Mediano fratre, matris obitum abſens tum Romę, dolore, qui poteſt eſſe maximus, integrum annũ, donec reuerti, triſtiſsimè acerbiſsimeq; tuli. Voluiſſem enim id, quod multo ante concupiueram, illi quæ vidua tot annos mea ac ſtudiorũ meorum cauſa magnis in anguſtijs rei familiaris laborioſiſsimè vixerat, triſtitiã ſuperiorum tẽporum aliqua referẽda gratia mitigare. Nec me pœnitet, ſaltẽ hoc animo fuiſſe in miſerã & optimã parẽtẽ: ſed uide, quæſo te, an longè triſtiora illã eſſent inſequuta, ſi vixiſſet. Biennio quàm Roma ſum reuerſus, à mari ſupero ad inferum in me locatas inſidias, & littora, portus, uiasque omnes occupatas, & præmia meis interfectoribus propoſita uidiſſet. Tanti fuiſſet illi uiuere, ut totis hæc triginta diebus pertimeſceret, & certiſsimam filij crudeliſsimámq; mortem aſsiduè penè oculis uideret? Age nunc ad huius temporis mei ſingula momenta, quoties illi mo

riendum eſſet? quæ profectò non dubiũ, quin ad primã nuncij uocem eſſet extincta. Verùm confido hæc à Deo gubernatum iri: & nunc intelligo meæ matri illo potiſsimùm tempore fuiſſe moriendum, quo mortem illius luctu maiore dignam arbitrabar. Spero equidem omnia tibi ſemper fore ſecundiſsima, et (prę ter breuitatem ætatis) quàm ſimillima patri tuo, quem iudico honeſtiſsimè & ſatis fortunatè uixiſſe: ſed nota tibi olim in rebus tuis hominum perfidia; in meis, quæ nunc impendent, nec audeo nominare; in omnibus, temeritas fortunæ ac temporum. Recordaris enim tu, quum leuia quædam dolores, me tibi dicere ſolitum, ualdè artificioſam magiſtram creandi periculorum eſſe fortunam; ſępiſsimeque afferre, quod doleas, undè nemo cogitare potuiſſet. Nam ſimultates ciuium, & odia, præſertim eiuſmodi hominum eſſe nobis contemnenda; mortes uerò cariſsimorum, uel amantiſsimorum, uel parentum, ſi & moriendum eſt ſemel, & nihil mali eſt in morte, & pleniſsima periculorum eſt omnis uita, & pijs animis aperta uia eſt expeditiſsimáque in cœlum, minimè grauiter, & humaniſsimè ferendas iudicabam. Hęc ad te ſcripſi, quod meum, (ut noſtra beneuolẽtia poſtulat) coniungere luctum uolui cum tuo, quem ne dubitas tu quidẽ mihi quoque tecum fuiſſe cõmunẽ; ut te ſcio etiam mea fortuna ualdè cõmoueri. Quia uerò in alieno dolore ferè prudentiores, quàm in noſtro ſumus, hæc non conſolandi tui cauſa, ſcribere nunc uolui, ſed monendi, ut ſoleo, quæ mihi uidebantur.

tur. Te uiciſsim rogo,in meis rebus ſiquid uideas tu, aut iſtic audiatur noui, aut undecunque afferatur; & quod conſilium capiendum putes. Vale. Vriæ.

Antonio Mileto. C L X X.

EPISTOLA tua quum reddita eſt, ea ualetudine fui, ut illam,& fratris mei literas legere non potuerim. Affuit uocatus ab amicis ipſe frater poſtridie; manſitque mecum, donec ſalutis certa ſpes eſt uiſa. tum de ijs,quæ ad me ſcripſerat, & literis tuis mecum egit. Ego, niſi poſt uiginti dies, uel unã facere literam non potui. Denique uiuere mihi quũ uiderer, & reſpondere ad quæ ſcripſeras, uellem; epiſtolam non inueni tuam, undè recordarer, quæ neceſſe erat. Quantum uerò tum malè ægrotanti narrauit mihi frater; hæc fuiſſe in illa uidebantur. Excuſabas lippitudinem, quod rarò ad me ſcriberes. Ego uerò cogites, uelim,te cariſsimũ mihi, & literas tuas eſſe iucundiſsimas, quarum intermiſsionem in eam partem accipio, in quam te cupio accipere mearum. Quantũ autem literis ac ſtudijs omnibus, quorũ te ſcio eſſe cupidiſsimum, quantum amori in me tuo; tantũ hilaritati ac ualetudini fac ſeruias. Secundum erat in iiſdem literis, de ratione ſtudij mei, in qua ego,quid ualeã, neſcio: certè illã ſtatuo ſolam eſſe, quã literarum aliquid conſequi poſsimus: cupioque ut cæteris, ita noſtris quoque hominibus cognitã eſſe & probatam. Poſtremò, neſcio quid de Paulo Manutio, idem

meus

meus frater ſcripſiſſe te dicebat: ſed arbitror, nihil eſſe eiuſmodi, ad quod reſponderi oporteat. Scripſit ille ſuperioribus diebus miſſurum ſe alterũ de ſuarum antiquitatũ libris, ad me, quum erit abſolutus. Nos omnino diligit: & ego illum iis omnibus, quos unquam habui cariſsimos, antepono. Illius tu ſplẽdorem orationis, & iudicium in literis cenſeo imitẽre: quod fruſtra monerẽ, niſi te iam nunc ſatis latinè & eleganter ſcribere iudicarem. Alij ſunt multi, ad quorũ iudicium conformari te uelim: ſed hac ætate nemo eſt, quem de Romana lingua literis, & perfectiſsima ueterũ eloquentia credam iudicare poſſe melius. Vale.

Donato Caualiero, Brunduſium. CLXXI.

PENE defuerat, ad te quod ſcriberem. Hominis uerò ſtultitia, cuius mentio erat in tuis literis, fecit, ut ne omnino deeſſet. Scripſit per literatũ neſcio quem, ſibi me hominem ingratiſsimum uideri. Quid aliud, niſi riſiſſem? rideo, quoties recordor. Quid enim illi facias, qui ſuam fidem non liberet, tuam criminetur? Nam illud quoque adiunxit, ſe non debuiſſe tantùm mihi credere. Hîc ergo mihi abs te ignoſci puto, in iactura quòd ridere poſſim. Poſtea non patiemur nos quidem ab illo irrideri; ſed ſtoliditate hominis interea fruamur. Nam illud etiam uide. ſcribi rogauit, paululum quiddam eſſe iam, quod mihi debeat. Adhuc tolerabilis impudentia eſt. Item illud: ſe

denariolos

denariolos decem ad me nuper miſiſſe per amicum ſuum neque mihi omnino, neque ſibi ipſi ualde cognitum hominem. Tu hæc diſtingue, quot uno in uerbo ridicula. Mihi pluris hæc ſunt, quàm ſi pecuniam ab illo acciperem. Nolo mihi, ne illa quidem deſit: ſed feramus ad Cal. Ian. tum neceſſaria mihi in illum erit opera tua, quam polliceris. interim irritatiunculis, quibus potes, hominem commoue. Dices ualde me iratũ eſſe, & ſibi iudicium minari; olei, fabæ, tritici, ſcire me quantum iſtic reliquerim, & quanti ad XVI. Cal. Octob. ea fuerint. Nunciabis, quaſi ab intimis quibusdam audiuerim nihil eorum adhuc eſſe uenditum; & uendi iam ampliùs nolim: dabiſque operam, ut credat me in iudicio frumentum à ſe, non pecuniam eſſe petiturum. Fortaſſe etiam diuino: ſed accipere aliquas ab eo huiusmodi literas, ualdè cupio. Nam is, cuius à me leuata ſæpe mendicitas eſt, auſus eſt me hominem ingratiſſimum dicere: nunc profectò ſcio, nec pecuniam reddet, & ſcribi conuicia rogabit, quæ ad Cal. uſque Ian. ut dixi, rimeamus. Vale.

Paulo Manutio, Venetias. CLXXII.

QVAS ad me literas Id. Sext. dediſti, eas ad Cal. Decemb. accepi. De Scipionis mei tarditate quererer, niſi potiùs diligenter eum feciſſe crederem. Iuris enim ciuilis ad me libros miſit cum literis tuis. fortaſſe igitur diu expectauit, cui tutò committeret. fortaſſe in nauigatione culpa fuit, quicquid

quicquid tamen ſit, ignoſces arbitror, quòd ſerò ad epiſtolam tuã. Inſaniam illius, de quo ad te ſcripſi, quòd nihil cures, gratulor tibi iſtam uirtutem. huiuſmodi enim ex rebus & doctrina, & grauitas, & & magnitudo animi ſpectata eſt à ſummis uiris. De ijs, quæ egiſti cum librarijs, ago tibi gratias. Mihi quidẽ eſt in animo, tantũ ijs dare, quantum ipſe ſcribis, modò tibi ita uideatur. Mea enim ijs de rebus, ut antea ad te ſcripſi, ne opinio quidẽ eſſe poteſt ulla. tantùm ſequar conſiliũ tuum. Illud uide, ſi fieri poteſt, neque tu aliter ſentis, ut libros illos quadraginta accipere nolimus. Librarijs enim ea benignitas non ualde ſplendida eſt, nec mihi neceſſaria. Hoc ſi uitamus, erit negotium minoris, puto, quanti libros æſtimabunt quadraginta. Sin ſcriptorũ hoc uulgare genus, uel auctoris exiſtimatio adhuc minimè clara, illis metum affert, uel omnino ſic neceſſe eſt, & tibi denique res probatur; ego, qui id nõ ſine cauſa uehemẽter cupio, nulla pretij magnitudine deterrebor. Verumtamen quod ad metũ illorum attinet, ut cætera non dicã, bibliopolæ noſtri, qui Brundusij, qui Lupijs, qui Barij, qui Tarenti negotiantur, quàm plurimos meorũ librorũ iſtinc auferent in Apuliã. Hoc etiã & curabo ipſe tũ diligentiùs, & iã expectatur à multis. itaque uidebis, & me certiorẽ facies. Ego interim dabo operã colligendis, emendandis, reijciendis etiã, quæ oportebit. his octo menſibus, aut anno fortaſſe mihi elaborãdũ in ijs erit. Etenim parati habeo adhuc nihil, & ſum à laboribus & moleſtijs minimè

nimè uacuus. Ad librarios autẽ, ut reuertar, illud maneat, ſumptũ pro illorũ uolũtate me eſſe facturũ; & maximè ratũ fore mihi, quicquid à te erit cũ illis conſtitutum. A te autem illud nõ petam, ut mihi ignoſcas, quòd hoc ſum auſus ad te ſcribere. feci enim & faciã ſæpe, fretus humanitate tua Etenim, quũ docti omnes te admirentur, doctos tu cõplectâre, me etiã non doctum quidẽ, ſed doctrinarũ omnium ſtudioſiſſimũ, his etiam rebus non dubito, quin libenter iuues. Tu uideas, uelim, nõ quo genere te remunerare poſſim. cupio equidem mihi aliquod offerri tẽpus, quo me quoque hominẽ eſſe, & non ingratum hominem, & tui amantiſſimum cognoſcas. Verùm hæc, et cupiditas mea ſcriptorum tuorũ, & amor in te ſingularis, & alia multa putidiuſculè iam ad te ſcribũtur. Quamobrem uale, & nos ama, ut facis.

Paulo Manutio, Venetias. CLXXIII.

EGO, mi Manuti, abſens, tecum uideor coniunctiſſimè uiuere. Amo enim te, & diligi à te tũ cupio, tum credo. Plurimus de te mihi ſermo cũ familiaribus, & diſputatio de ſcriptis tuis. Noli enim putare hactenus à te ſcriptum aliquid eſſe, quod ad me allatum non ſit. Denique feci etiam, ut multi ſpem adipiſcendæ antiquæ latinitatis in te locatam haberent. nec me pœnitet, quantum id ſit in hac noſtra utinam Scythia poſſem dicere. Quid quęris? frequens eſt in his locis, ſiquid reconditũ ſit, Manutio dignũ id uideri. Itaque ego uerſatus multũ ac diu in ſcriptis tuis, præter ſingularem tuã doctrinã,

cognoue-

cognouerã ex ijs, & amicorũ ſermonibus ac literis, quàm ualde, quantíſque in rebus, & quàm uarijs occupatus eſſes. quamobrem, ne rudem omnino fingas me in tuis rebus. Mihi præterea ſermo etiã non de te modò cũ cæteris, uerùm etiam me hercule tecũ eſſe ſolet. Acceperã igitur ſuperiores à te literas. reſcripſeram de conditione librariorũ timidè; ut ſemper. nihil enim tã erubeſco, quàm ſtudijs tuis & pulcherrimis cogitationibus obſtrepere. Literis nec dum obſignatis, ecce allatus mihi eſt ſubitò liber epiſtolarum tuarũ. illum biduò deuoraui totum. Non dico de ijs, quales mihi ſint uiſæ: tantũ illud, me ad hanc ſcriptionẽ poſthac (ut ſpero) ſi neceſſe ſit, minùs ineptũ fore. Quid præterea? te ſcilicet cognoui (id quod ante non dubitabã) rebus quàm plurimis & grauiſsimis diſtineri. Puduit me, ita uiuã, tibi meis ineptijs παρέχειν πράγμα. *At, quoniã ſemel cœpi, conſtem, neceſſe eſt, huic meæ impudentiæ, tuis præſertim literis, & benignitate inuitatus. Neque uerò ſi unus ego tibi moleſtus eſſe nolim, ideo tu liber à moleſtijs fores, quem docti homines Italiæ, atque Europæ, minimè liberum eſſe patiuntur. Quare, quum audio imbecillitatẽ ualetudinis tuæ, lippitudinẽ, ægrotationes familiæ, curã familiariũ, & affinium tuorũ, peregrinationes literas & ſalutationes amicorũ, interuentores quotidie à prima luce ad ueſperã, tibi equidem* συμπαθεῖν *poſſum & debeo; priuare me fructu et conſuetudine ad te ſcribẽdi, neque poſſum, neque tu pro tua humanitate paterẽre. Prudenter au-*

tem ſic à te inſtituta ratio eſt, quemadmodũ anno ſuperiore ad me ſcripſiſti, ut hæc tibi humaniter ferenda eſſe iudicares. Nunquam enim tanti apud te fuiſſet moleſtias uitare hominũ præſertim neque leuium & tui amantiſsimorũ, ut unũ te ad ornandã Italiã, reſtituendas literas, & illuſtranda ſtudia pœniteat eſſe natũ. quapropter ſcio etiam minimè odioſas tibi meas literas uiſum iri. De impreſſoribus ita ſentio, ut ſcribis. Aeris in folia centenis res agetur. Si quadraginta libros non dabunt, quos mihi certè nollem dari, negotium erit minoris, quanti ipſis uidebitur, & tu iudicabis eſſe uerum. Ego enim inſpexerã iſta ſæpius, ut pueri tamen ſolent, curioſè potius, quàm diligenter. Nunc uerò ex ijs, quę ad me ipſum, & duabus in epiſtolis ad M. Antonium Nattam ſcripſiſti, uideor eſſe admonitus μέχρι τινὸς, quid neceſſe erit. Sed tota de re tum erunt utriuſque noſtrûm literæ ſubtiliores, editionis tempus quũ uidebitur aduentare. Tu uale nunc, mi Manuti doctiſsime, & ſic tibi perſuade, me nullum huiuſmodi officiũ tã poſtulare à te, quàm id, quod mihi eſt præcipuum, ut me ames. Id. Decemb. Brundusij.

Nunc mihi uenit in mẽtẽ, ut te hominis amãtiſsimi tui, nomine ſalutarẽ. Ioãnes enim Carolus Bouius eſt hîc, Pontifex Aſtuneenſiũ. Bouiorũ eſſe Bononiæ ualde honeſtã familiã non fortaſſe ignoras. Aſtuneũ, ut ipſius nomẽ indicat, nõ uetus quidẽ, ſed clara & opulenta hoc tempore ciuitas eſt. uerùm hoc ridiculum ſit nũc ſcribere. Bouius ergo ad ſingularẽ Theologiæ,

logiæ, Peripateticorum, & rerum omnium abditiſſimarum ſcientiam, ſumma cum laude adiunxit humaniores quoque diſciplinas, itaque prorſus adiunxit, ut in his excellat. Græcis in literis & latina lingua, nec pares quidē habet multos. Hic mihi ad antiquorū hominū laudem, unum te iurat proximè accedere. Vereri enim quoque uidetur, ne ego etiam, qui Deum in hoc genere quendā te habeo, parū tribuam incomparabili ſcientiæ tuæ. Sæpius, ut tibi ſalutem ſuo nomine aſcriberem rogauit. Itaque homini digniſſimo, deque me optimè merito, hac præſertim in re, deeſſe non debui. Itáne, inquis, tuæ moleſtiæ mihi ſatis non erant? Ego abs te mihi puto eſſe ignoſcendum, ſi tua uirtus quàm plurimos tibi conciliat amatores.

Cornelio Muſſo Bituntinorum Pontifici. CLXXIIII.

QVAEREBAM diu, quid ad te ſcriberem, & inanē epiſtolam, nullo argumento, aut graui re aliqua impulſus mittere nolebam. Impediebar enim dignitate atque amplitudine tua, ne ſcriberem familiariùs, ut ſoleo: &, ne mentiar, omnino cupiebam aliquas eſſe ad te literas meas. Etenim mihi uidebatur, id, quod res erat, magnam acceſſionē poſſe fieri exiſtimationi ac ſtudiis meis, ſi tecum ſermone, aut literis, aliquid interdum cōmunicare poſſem. Equidē in his humanioribus diſciplinis, aut ulla ſciētia graui, interioribusque literis, uix arbitror me aliquid eſſe conſequutum, quod uel mediocribus inge-

nijs

nijs dignum eſſe credam; ſiquid tamē ſum,id tribuas licet,huic meæ uoluntati, ac propè ueteri inſtituto, quod tenui ſemper,colendi hominū illuſtriū ac doctiſſimorū.Nemo enim eſt,quē rectè exiſtimem ſentire de literis,quem paulò humaniorē ad coniungendásque amicitias propenſiorē eſſe ſciam,quem per locorū interualla,non difficillimum ſit literis prouocare, cuius beneuolentiā nō mihi putârim modis omnibus eſſe colligendā.Nunc uerò,quum te in primis cuperem eſſe,qui cū inſtituenda mihi aliqua ratio eſſet literarū,neque ullum eſſet argumentū,quo rectè mihi uiderer ad te uti poſſe; cunctationē remouit omnem Ioannes Antonius Pallia, & Donatus Argētarius homines utriuſque noſtrûm amantiſſimi,qui me, ut ad te ſcriberē,incitârunt. Arripui libentiſſimè occaſionē illam,quæ nec leuis mihi quidē uidebatur, & offerri aliā non exiſtimaui aliquando poſſe grauiorē. Quòd ſi me pro ſingulari humanitate tua non indignum arbitrabere,quem admittas ad ſtudia, eruditionémque iſtā,ac literas tuas, cuius etiā ſcripta interdū,cenſura quadam adhibita,ipſe legas, tū exiſtimabo,ad perfectū genus literarū & eloquentiæ,præter ingeniū & doctrinā, mihi rectiſſimè omnia eſſe conſtituta.Ego te,quū diu antea Bononiæ, et Romæ, florentē literis,doctrina,dicendi facultate,& rerum occultiſſimarum diſputationibus, Paulo III.Pont. Max.uidiſſem; non ſum tamen auſus illa ętate qua longè abeſſem à rectis ſtudijs, me in tuam doctiſſimi hominis familiaritatē dare.Poſtea uerò quàm altiſ-

ſimo in gradu dignitatis collocatus, frequens his in locis eſſe cœperis, uideo me non rectiſsimè facere, qui & tibi meũ in te animũ & obſeruantiã celatã eſſe patiar, nec mihi humanitatẽ ac literas tuas patêre ſinam. Neque uerò tarditatẽ hanc meã nunc potiſsimum accuſo, quod plus mihi uendicẽ doctrinæ, quàm olim, Romæ quũ fuimus: ſed quia non cõmittendum erat, ut ex iȷs omnibus, quibus excellens tua uirtus nota eſſet, meã unius ὁμιλητικὴν *quandã, ſeu etiã officia deſiderare poſſes. Denique ſic tibi perſuade, me et fortunã et honores tuos putare ampliſsimos eſſe illos quidẽ; ſed cupidũ eſſe amicitiæ tuæ, quòd pluris faciã dotes animi tui, quibus iſta bonorum & fortunæ commoda, ſeruire neceſſe fuit. Vale.*

Franciſco Antonio Strateio, Brunduſium.
CLXXV.

QVANTA de re tibi negotiũ à me datum ſit, non dubito pro tua in me beneuolentia te ſępiùs cogitare. Id profectò tantum eſt, quanta omnis ratio meæ uel exiſtimationis, uel fortunarũ, uel ſalutis. Quare certũ habeo te daturum eſſe operã omni diligentia atque ſtudio, ut mihi id perficias, quod nihil maioribus uotis ac precibus unquã à Deo ſumpre catus. Taceo enim hîc meas lacrymas, meã ſuſpiria, ægrotationẽ, qua unus tu potes efficere, ut nõ doleã, quod extinctus non fuerim. Itaque apud te non id dicã, quod eſt ſolenne, cognoſcã ex hac re amorẽ tuum; ſed Dei ipſius ac Diuorũ omniũ, quos iam ſex men-

ſes uotis omnibus fatigaui, hoc uno beneficio impetrato me eſſe cognituru. Sed, quu te ſciã intelligere, quãta de re agatur; & quàm facilè per te reſtitui poſſit mea ſalus, & toto in negotio tibi neque conſiliũ, neque fraternã in me beneuolentiã eſſe defuturã, faciendũ non putaui, ut pluribus ad te ſcriberẽ. Spero propediẽ fore, ut tibi gratias agã, & à me graue, & perpetuũ extet monumentũ amoris ac pulcherrimi, propéque diuini in me beneficij tui. Vale.

Franciſco Antonio Strateio, Brunduſium.
CLXXVI.

MEIS de rebus nũquid actũ ſit, ecquaſe ſpes, aut metus offerat, quàm primũ, & quàm diligentiſſimè certior à te fieri cupio. Videre autem nequid fiat, qđ nolim, prudẽtiæ eſt & amoris in me tui. Tamen ſiquid præter ſalutis meæ rationẽ, et uoluntatẽ accidat utriuſq; noſtrũm, cogitabis una re ſãtùm calamitates meas poſſe fieri maiores, ſiquid in ijs fiat quod ego ignorẽ. Quare expecto literas tuas. Vale.

Cornelio Muſſo, Bituntinorum Pontifici.
CLXXVII.

TVIS literis nihil humanius. Ago igitur gratias tibi de tua in me uoluntate: ne tamẽ egerim maturiùs, acerbitas coegit rerũ mearũ. ea tãta fuit, ut nunc etiam recordationes extimeſcam. Nunc, ut ſpero, liberatus omni metu, illud etiam gratulor mihi, probatam eſſe à te obſeruantiam meam. Sed Ar-

gentarius & Pallia, his de rebus tecũ. Ego poſthac plura per otium. Vale. Vriæ.

Ioanni Franciſco Rubeo, Lupias. CLXXVIII.

SVPERIORIBVS diebus quum ad uos acceßiſſem, ualdè me perturbauit, quòd homines cognoui nequißimos, & quòd vtriuſque noſtrûm mutua officia ſint impedita. illos ante non dubitabã eſſe mihi inimicißimos. Vtinam verò ſanguinẽ peterẽt. ſic enim & minùs grauiter mores illorum teterrimos ferre poſſem, & minore cum periculo uitare. Nunc mihi famã labefactare conantur; & me per inuidiã, ſcelus, inſaniã, ac proditiones, clàm in diſcrimen capitis adducere. Caue tamẽ putes metuere me aliquid ab ijs, quorum ego non minùs ignauiam & dedecus, quàm inſcitiam religionis & rerum omniũ contẽno. Illud tantùm doleo, per ſceleratos ac turpiſſimos homines non licere mihi illam, ad quã uideor mihi eſſe natus, innocentiã, & in ſermone ſcriptisq; omnibus manſuetudinẽ conſeruare. Expugnabunt enim fortaſſe non me, aut præſentẽ ſtatũ rerũ mearũ, ſed diuturnũ ſilentium, nimisque durã ac turpẽ patientiã meam. Hanc ſi uicerint, efficiã profectò, ut aliqua etiã poſteritas iudicet, utrũ ego ijs de rebus, an ipſi de ſe ac domo ſua non rectè ſentiant. Sed hæc uiderimus: aut is uiderit, cuia magis intereſt his de rebus tacere, ſuamque uitã nulli hominum eſſe cognitã. Redeo ad officia, & in te meã uoluntatẽ. Sic ſtatuas licet, nihil eſſe tam prõptũ ac tam para-

tum,

tum, quàm ſiquid ego tui cōmodi aut honoris cauſa poßim efficere. Illæ tuæ ſint partes prouidere, ne qui ſe homines inuidi meis officijs interponant. hoc aſſequeris tu, ſplendore, dignitate, copijs, gratia, & imperio, non ſolùm tuo, ſed etiam fratris tui. Quid faciendū, & quid in re lateat, uides. iſtos expectabo, ſiquid aliud loquantur. rectißimè tamen intelligis, quid tē tandū, quid moliendū ſit, ſapienterque omnia prouidebis. Expectauerā à te nunciū aut literas. noui tamen, quàm uehementer ſis, in tanta adminiſtratione rerū, tam diu præſertim, hoc motu bellorum, abſente collega, occupatus. Itaque excuſo, ſiqua mora facta ſit; & totum tribuo, negotijs prouinciæ, quā tibi cupiebā eſſe toto hoc biēnio pacatißimā. Iuliū Pyrrhinum, de quo ad te ſcripſerā, ſcio proſcribi oportere. Hoc ego nō peto, ut ne fiat: ſed, ut res paululū differatur. officij tamen & honoris tui rationē ſcito mihi eſſe antiquißimā. Sic igitur hominis cauſam tibi cōmendo, ut te aduerſariorū illius reprehenſiones uitare imprimis uelim. Meum uerò negotium ualde tibi commendo, cuius rei cauſa tabellarium cum his ad te literis miſi. Expecto his de rebus omnibus, quid tibi uideatur, de quibus eò minùs uideor eſſe ſolicitus, quod ijs uideo non defuturā eſſe opē, conſiliū ac prudentiam tuam. Vale. Vriæ.

Paulo Manutio, Venetias. CLXXIX.

SEX iam menſibus ne genus quidem aliquod à te literarū. expectare enim uolueras me librū quo-

que tuũ de Romana ciuitate; ſed nihil urgeo, et mihi grata etiam eſſe debet uehementer, diligentia tua. Meis epiſtolis, ut antè ſcripſeram, corrigendis tẽpus aliquod ponere uoluiſſem. Sed næ ego ſtultus, qui me ſperarem aliquando humaniter eſſe victurum. Quid queris? quum recordor me ad iſtam lucem eſſe à te inuitatum, non ualdè probo conſilium meum, qui tibi non aſſenſerim. Nunc autem ſera nimis fortaſſe peregrinatio foret, pluribúsque rebus impedita, quàm ante. Illud etiam incommodè, ſi neſcias, quam ad fortunæ ſpem proficiſcare. Si tamen erumpere aliquando hinc poſsim, intelliges me non auaritiæ cauſa peregrinari. De epiſtolis tamen uidero, atque ad te ſcribam. Bouios fratres eſſe ſcito doctiſsimos homines & cupidiſsimos tui; meque de illorum voluntate ſuperioribus in meis literis, tibi ſalutem aſcripſiſſe. Tu mihi facies gratiſsimum, ſi quid ad me ſcribere non grauere. Vale. Aſtunei pridie. Cal. Quin.

Paulo Manutio, Patauium. CLXXX.

TVAE mihi iucundiores literæ ſolẽt eſſe, quàm proximæ; eæ tamen (ut uerum dicam) fuerunt etiã periucundę. Nã, quòd ſignificares id, quod ego etiã ab alijs ante accepiſſem; tamen ualde ſum delectatus cogitatione innocẽtiæ & uirtutis tuæ. ſic uita eſt hominũ, ſic res humanę. Calamitates omnino ſanctiſsimis etiã hominibus, & Deo cariſsimis niſi ferendæ eſſent, neque plena forẽt omnia huiuſmodi exemplorum; tibi homini caſtiſsimo cœleſtis quædam uita

ta in terris deberetur. Atqui maiora magiſque intoleranda mala ac eos etiam penetrârunt, qui nunc recepti in Deorum immortalium numerum omnem in deſertis ad ſolitudine uitam egerunt. Iam non affero tibi, quæ hîc à noſtris diſputantur, quamuis hoc etiã illuſtrius ac ſuauius conſolationis genus tibi ſit magis notum, quod te non dubito ſæpiſſimè cogitare, et eſſe ſpe certiſſima, poſt Liuios, Tullios, Cæſares, Varrones, nunc æquales tuos, auguſtiorem cæteris tuis uirtutibus locũ inter ſanctiſſimos heroas, quos antè dixi, datũ iri. Ac uideor etiã his literis me ipſum conſolari, qui, tametſi tecũ nulla re conferri poſſum, laboribus certè, atque ærumnis me tibi facio parẽ. Mitto enim plurima & grauiſſima, certè quæ mihi naſcũtur domi, aut quæ ego non magis metuenda ab alijs, quàm à me ipſo crederem, neque minima eſſe, neque ulla prouidentia caueri potuiſſe uiderentur. Hæc non de preſenti, ſed toto de ſtatu rerũ tuarum à me dicta ſunt, quẽ multis modis, neque doctrinæ, neque ſapientię tuę unquam ualde accõmodatum cognoui. Verùm, ut dixi, aliquãdo fructum capiemus, & quidem maximũ, pulcherrimum, ac ſempiternum, ex ijs etiã, quæ nunc malorum omniũ extrema iudicantur: quod quum tu re ipſa melius, quàm ego oratione, præſtes, non mediocrẽ de tuis uirtutibus, conſtantia ac firmitudine animi capio uoluptatem. Aldus noſter (noſtrum enim cur non dicam?) ad me ſcripſit ornatiſſimè, cuius in adoleſcentuli amore, ac ſpe ſumma, non dubito

quin ponas plurimũ; ſperesque breui fore, ut illo in filio cæterisque bonis, quæ tibi uel ſtudiũ, uel natura elargita eſt, domi tuæ conquieſcas, & parta tibi immortalitate, in uitæ reliquum tempus lætére. De Bouijs fratribus quod ſcribis, illud affirmo, quando nos tibi aliquid uidemur eſſe in literis, te multo præclarius, atque excellentius illorũ ſtudia, doctrinas, & ſplendorem orationis eſſe laudaturum. Nam ego (fatendum eſt enim) magnã partem non dico illorum auctoritate tueor aduerſus inuidiam hanc barbariem, genus hoc literarũ; ſed poſt lumina illa ſcientiarum & eloquentiæ, quibus diu Romę, & Bononiæ ſum uſus, nutrior conſilijs, & informor quotidie aliquid eorũ ſermonibus ad dicendi ac iudicandi uias diligentiùs perſequendas. Ioannes quidẽ Carolus hîc Pont. ſcientiã rerum humanarum ac diuinarum omnium ornat his humanioribus ſtudijs, Gręcis pręſertim, in quibus excellit, quantũ ſuperioribus literis ad te ſcripſi. Iacobus pater ſtudijs omnibus, hunc ſequitur, ſed uoluntate erga te & admiratione literarum, & eloquentiæ tuæ, par eſt fratri. Literas ad me tuas, quum legiſſent; de ijs, quę benigniſſimè polliceris, ſic tibi gratias egerunt, ut cupere ſe dicerent offerri ſibi quoque, undè mutuæ inter uos officia extarent. Fructum quoque, ut ſcribis, tuorũ ſtudiorũ, præter eos, quibus eſt à te omnis penè Europa maximis ac pulcherrimis affecta, uehementer expectãt. Denique tibi illud præſtare poſſum, illos eſſe omnium, quos uidi, ſtudioſiſſimos literarũ, maximè

liberales

liberales homines, & amantiſsimos tui. Vale.

Aldo Manutio Pauli filio, Venetias. CLXXXI.

ACCEPI eodem tempore tuas, & patris tui literas. illius, apud me ponderis multũ; tuę, ſuauitatis plurimũ habuerunt. Illa enim patris tui mentio ac maiorum tuorũ, ſpecimẽ quoddam uirtutis & ingenij tui, quod uidimus, propenſio uoluntatis ad ſtudia, literæ tuæ elegantiſsimè ſcriptæ, ſingulari me quadam uoluptate affecerunt. Amaui ſemper unicè doctiſsimum & ſapientiſsimũ uirum patrem tuum: illius uerò iam pridem utor ſtudijs, amicitia, officijs, ac ſuauiſsima conſuetudine ſcribendi. Meus in illum amor, atque obſeruantia, non dicam ad te permanauit, quando illius maxima, minima omnia, neceſſe ſit eſſe mihi cariſsima. Tu ergo ſic exiſtimabis nihil eſſe, quod mihi te literíſque tuis carius ac iucundius eſſe uideatur. Quare dabis operã, ut quum ego te nunc amem, quia colui ſemper, ut dixi, patrẽ tuum, & ſcriptis tuis ſpem affers maximam, minimeque dubiam ingenij ac literarũ, poſtea firmata iã ætate ex tuis artibus, doctrina, moribus, literis, & eloquẽtia à cunctis hominibus diligâre. Summa hæc omnia facilè conſequi, ut poſsis, breue conſilium eſt, minimeque tibi (ut ſpero) neceſſariũ, patri tuo ſemper, omnibusque in rebus ſanctiſsimè, ut pareas. Caue putes eius rei aliquo in tempore ullum debere eſſe finem, aut modum; quod quia te non dubito eſſe facturũ, iam nunc uideor mihi, te inter doctiſsimos Italiæ

liæ atque diſertiſſimos poſſe numerare. Nunc amorem in me tuum ea ex re potiſſimũ ſpectabo, ſæpius ad me ſcribere, ſi non grauêre. Iucundiſſimas mihi fore ſcito literas tuas omnes: illas tamen iucundiores, in quibus diligentię plurimum ac ſtudii poſitum uidebo. Neque eſt, ut ſcribis, quod mea te infantia deterreat à ſcribendo. hoc enim dicere uideris in epiſtola, quam miſiſti; οὐδέ μύθοισι πεπείρημαι. *Equidem utrumque probaui; modeſtiam, & elegantiam literarum tuarum. Illud tuum ſępius mihi uſurpes nolim,* QVONIAM ME DEFICIT ARGVMENTVM. *Erunt enim, quę ſcribas multa, ſi me amabis; nec dubito, quin me ames. Ego ad epiſtolas tuas omnes reſpondebo, & crebris te literis excitabo ad ſcribendum. Rogo te, mihi par eſſe uelis, eoque in officio patrem tuũ imitêre. Vale.*

Argentario, Vriam, CLXXXII.

VT rogas, ita à me fiet diligenter. hominem conuenero. artificia omnia ſum ante meditatus, quibus illum capiam. ſcis hęc mihi, quæ ſcribis, dolere magis etiam, quàm tibi. Ne dubitâris igitur planè à me tibi ſatisfactum iri. nemo eſt enim, cui rectius hanc rẽ totam mandare potuiſſes. geram tibi in hoc morem ſumma uoluntate mea: nec erat, cur tã multis uerbis me rogares. Illud non ualdè ſpero, ut is frugi eſſe uelit. qua tamen facilitate & in me animo eſt, nõ dubium prolixè mihi omnia. Auferunt illũ tamen ipſius faciles mores, prior conſuetudo uitæ, ad

agendum

agendum timiditas quædam (ſi hoc potes credere), & mehercule indulgentia matris; ſexcenta. quid hîc facias? altas iam hæc radices egerunt. Quare tuis, & eorum, qui te proximè attingunt, rebus equidem timui ſemper. Tibi tamen perſuade, me ex animo, ac diligentiſſimè cum illo eſſe acturũ. denique credes me quoque ſperare profectum iri aliquid. ſcribam po ſtea hac de re tota (ut confido) commodiores literas. Patrem tuum amaui ſemper unũ maximè omni um qui mihi cariſſimi fuerunt. Inſcriptionem ſepulchri illius, quam à me petieras, cũ his ad te literis miſi, pleniorem, quàm conſuetudo antiquitatis ferat; inaniorem, quàm uirtutes ornamentáque illius poſtula bant. Scripſiſſes tu certè melius; me tamen honorare uoluiſti iis rebus, quibus ego delector. Tu ſatis hoc rectè: uide etiam, ut rectè ego ſcripſerim. nam facio plurimi iudicium tuũ. mutabimus, tibi ſiquid non placeat. Non uenit in mentẽ, nunquid aliud ſit in tuis literis. Redeo ad priora, quæ tu doles more tuo, id eſt (niſi me erga te meus amor fallit) miſerè. Mihi ita uidetur fortaſſe, quia dolere te nihil uel lem: & ualde moueor dolore tuo, quẽ puto eſſe meũ. Tamen dolere, iraſci, cruciari, eſſe in metu, calamitâte, miſeria, hæc ſunt diſtinguenda omnia; uidendúmque rectè, quibus ex rebus uel miſeri, uel calami toſi homines fiant, quæ metum, uel cruciatus, uel irã uel dolorem afferant. Dicam tibi, quod ſentio. manſuetudo naturæ tuæ, ſępius te impatientem reddit, ut uideâre tibi cruciatus etiam ſuſtinerẽ. Quòd ſi co

gites,

gites, uno te uerbo res tuas omnes poſſe conſtituere, iſtam calamitatem ridebis. Laudo tamen te, atque hortor ad eam, quã dixi, manſuetudinẽ amoremque fraternum, propter quem doles. Fortaſſe enim, ut dixi, corrigentur multa, atque ad id uterque nauabimus operam. Sin ita non fiat, tu hoc facies, quanti is cuia intereſt magis, quàm tua. Scio, unã times aduerſariam: denique tamen illa ſentiet cum domo reliqua, unũ te eſſe, cui iſta moles incumbat, quique ferre illam poßit, & uelit. quid hîc tantopere dolendum? Ego quæ ſum paſſus iã annos propè uiginti, ſunt eiuſmodi, ut excuſem te, quia credere nolis omnia. Si cum his, iſta conferre audebis, næ ego uidebor tibi maioribus iniurijs eſſe dignus, aut nimiũ amabis tu dolorem tuum. Nunc uerò mihi conſtitutum eſt, non habere ampliùs admißarios contumeliarum, undè quotidie etiã iniurias accipiam. Quid queris? uideor mihi aliquando eſſe uicturus: quam uitam iã nunc prædico tibi, nolo à quoquã ullo tẽpore mihi eſſe impeditam. unum hoc tibi à me negatum iri ſcias. ualeat concordia, undè aßiduæ digladiationes eſſent. Sed ex dolore tuo ſum delapſus ad meum. Verùm, amabo te, mi Argentari, exuamus iſtam conſuetudinem dolendi, & uiuamus aliquandò. ſerò iam, ſed erit hoc ipſo etiam iucundius, quod reliquum eſt uitæ. Meorum nullus eſt, qui ad me ſcribat. timeo quid in meis rebus fiat. commoue ſi quem potes. Corradum excita. Moſcello ad ſuccidendum agrum, ſi quem tu potes nummum: nihil urgeo. Hoc

ipſum

ipſum ignoſce, quod excidit. Tu per fidẽ atque Hippocratem tuum, aliquam ad me literam, uel tuam, uel meorum. tuas nimium deſideraui diu. Faſciculũ ad te miſi totum. uide, quid his de literis fiat, ad meos præſertim. Joannem Paulum expecto ad ſcripturam. Quatuor iam diebus naues in portũ uenerant, eæ onerari ſunt cœptę. Caputę neſcio quid habent rerũ ad me. Cupio, ſi quid commodè Paulus, quum ueniet. Ego de te, tuiſque rebus cogito plurimum. Suſpicabar primùm, neſcio quid moleſtiarum: nam tuas literas, quum reſignauiſſem, primis ex uerbis, intelligere uidebar mihi, de ciuibus te noſtris queri. id accepiſſem grauius. Caue enim putes illorũ animos nõ diligenter eſſe retinẽdos. Ego enim (quod liceat inter nos dicere) ſic puto, bonã tibi ſpem iſtic locandam eſſe fortunarum. Magnam ubicunque: fateor, & gaudeo: at iſtic maiorem. Aliás iſta ſumus ratiocinati: at nunc prouideo etiam certiora. Ac, ne ſim longior, in ſequentem annũ, nihil te uelim petere noui, aut certè non multũ. Veteranenſiũ conditiones, aut cæterorum, oportuit ijs ante fuiſſe cognitas, quàm uenires, nequid indè poſtea ſuboriretur inuidię. Hoc genus, cætera, pedetentim ac leuiter. ita fieret, ut ſic inſtituendis rebus animiſque hominũ tractandis, gauderemus aliquando mihi obtemperatum eſſe. Aeſtate proxima timeo, nequi ſint clamores ex ijs rebus, quę petitę nobis non ſunt à ciuitate, quaſq; illa una ſignificatione uerbi admonita conceßiſſet. ſic inuidorũ ſermones cauiſſemus. Nunc, obſecro te,

prudenter

prudenter omnia, ut ſoles. Tu agnoſcas, licet, ex his amorē in te meum. Vale, & fac, nos mutuo ames. XIIII. Cal. Febr. Aſlunei.

Argentario, Vriam. CLXXXIII.

VEL à Spinulis eripere tēpus aliquod debueras, quo ad me ſcriberes. Notæ ſunt meæ ſuſpitiones tibi. ſola tuarum crebritate literarū ſpecto amorem tuū. hoc tu reprehēdis: ne ego quidē laudo, ſed quid facias? Vnū hoc meū peccatū leuius eſt negligentia tua: non dicam obliuione mei. ſcribe, ſi me amas, uel de meis rebus, uel de tuis. Frigent mea puto omnia, ut ſemper. hoc fato ego ſum natus, iſtos procuratores ut ferā: ſed euigilâro fortaſſe aliquando. Verùm ad tua, in quibus eſt etiā, quod ſuſpicer. Is, de quo ad me ſcripſeras, nondū uenit. miror. ex tuis enim literis uidebatur affuturus poſtridie. Illius mihi tu homo μάλα ἱπποκρατικὸς *Lethargum dederas curandū. Ad ripturā non eſt uiſus. ægritudine illius te cōmoueri tuæ mihi literæ nunciabant. uereor, quid conſequutū ſit, & tu nihil ad me ſcribis. Facies, amabo te, ut ſciam aliquid. perſuade enim tibi, te ac tua omnia mihi eſſe curæ, perinde ac mea. A te amari cupio. Vnū ignoſce, in quo ſæpius repugnare tibi ſum ſolitus, quòd te multū dolere nolim. Amo enim te, ut dixi, & habes tu ualde familiare meum in hoc genere ante oculos exemplū. Expecto à te ſuauiores literas. De ſepulchro patris tui doce me, quid egeris. Matri ex me ſalutem. Vale. V. Cal. Febr.*

Argentario, Vriam. CLXXXIIII.

SCRIPSERAM, *antequam reddita eſt epiſtola tua. fuit ea mihi periucunda. & profectò ſic à te ſcripta eſt, ut ego uolebã. Grauis enim & prudens, minimeque triſtis uiſa eſt. hilaritatẽ ſcis mihi placere. Quòd ſerò ſcripſeris, ita cenſeo tibi faciendũ fuiſſe, ut ante Veteranenſium tabellario literiſque ſeruires. Aegrotũ illũ iuuenẽ mihi, ut ſcripſiſti, quàm primùm dari uellẽ. paro me ad illius morbum quotidie. meã quidẽ certè cognoſces non defuiſſe diligentiã. Meos urge ſemper, ut ſcribis. uideo profectũ eſſe à te hac ratione multũ. Moſellus enim rectè, ut ex literis ipſius. Hîc tota de ratione agitur uitæ. incumbe igitur. Tibi ἐπιγραφὴν cupio placere. ſed non ſoles tu mihi adulari. cogitabis tamẽ, ſi quid fieri poſſit melius. De rauduſculo eſt nihil, quod moleſtè feras. facies enim, quũ libebit, & erit cõmodũ. Recordor me uſũ eſſe nũmis tuis diutius, & pluribus. caue mihi poſtea tã accuratas excuſationes, quod ſit inter nos putidè. De Põponio fratre aliter, atque erat ante à nobis cogitatũ. Doleo et iraſcor uanitati quorundã hominũ. uellẽ rectè me docuiſſes, quid ille facere potuiſſet. nominatim ab eo petendũ erat, quod nobis eſſe utile putaremus. Nunc is, qui nocuit, arbitror ſentire nos; uult noſtrã cauſam à ſe uehementer eſſe adiutam. occidi mallẽ, quàm iſtis modis ab ullo hominũ irrideri. Dicebã me ſuperioribus diebus cogitare, quibus uel literis me de ſimulatione illius, ineptiſ-*

ineptiſque blanditijs ulciſcerer. tibi non uidebatur. ego uerò ſic puto, illũ hac una re potuiſſe excitari. ſin grauius eſſet cõmotus; mihi crede familiaritaté uaniſsimi hominis atque auari mihi uehementer moleſtã eſſe. Sed rectè aueo ſcire, qualẽ ſe nobis præſtiterit. errare hîc nolim: rei tamen exitus non placet, quicquid is fecerit, & ego leuitatem illius non fero: tametſi nos adiuuiſſet. Actum ІↃↃↃ milibus æris: quid ſi nihil amicitiæ dediſſet? Cum Medo cognoſce, oro te, & doce, quid conſtitutum ſit. Iſtos non intelligo, & aiunt ſe neſcire. Sed nimiũ Thomas dominatur in mea uilla, tantũ illi non dederã, ut arbitratu ſuo, etiam de finibus uteretur. Quare, ſiquid ab re mea prætérque uoluntatẽ actũ ſit, id ratũ eſſe nolo. Millies enim mandaui agrũ ad Medi fines ampliari. Vale. Cal. Febr.

Argentario, Vriam. CLXXXV.

SPES *iam ſe mihi offert nonnulla, fore, ut ſuperioribus in literis aliquid à me erratum ſit. putare me aiebã, nolle eſſe frugi eũ; de quo ſcripſiſti. Primò enim, ſiquid fortaſſe aliud, neſcio: uoluntas certè mihi non uidetur eſſe accuſanda. Longo ſermone inter nos actum de rebus, cõſtitutúmque, id licere mihi facere, quoties libebit. denique iniuriæ loco eſſe mihi debere, ſi quo modo hac in re alienus ab illo iudicer. Coràm igitur, & per literas iiſdem de rebus inter nos agetur ſæpius. confido tamen ita fore, ut uolumus; nec ualdè meum conſilium, aut obiurgationem*

tionem

tionem eſſe neceſſariam. Nunc ait nihil ſibi eſſe antiquius imperio & uoluntate tua. ambulationibus, uenationi, cæteriſque rebus nullũ ſe dare tempus, quod à rei domeſticæ cura ſit ereptũ. dolet eſſe ſe otioſum. optat ſibi dari à te quotidie ſingulisque horis, in quo ſua opera poßit eſſe occupata, idque ſummis precibus contendit ab utroque noſtrûm. Ex tuo ſe ait imperio ac nutu ſuſpenſas habiturum uoluntates cogitationesque omnes. ergo periclitemur hanc uiam. Vnum, de ueſtitu mihi uidebatur eſſe ſpißius. cætera uero, ut dixi liberalißimè omnia. De rebus domeſticis ſemper cogitare ſe reſpondit, eamque curam in animo ſibi eſſe maximam, aut ſolam, etſi non ualdè in ſermonibus uſurpatam. Hoc mihi ita probauit. tectum habeto mi Argentari, quod dicam. inſuſurrauit enim mihi in aurẽ, neque emanare ad te uoluit. Ait ſuperioribus diebus in animo ſe habuiſſe γαμῆσαι oblatam ſibi diuitem quidem, ſed ἱερέως θυγατέρα. Hoc, una re ſibi fuiſſe placiturum, quo fratres adiuuaret. denique tamen relinquere ſibi uelle integram fortunam, & interim ſperare à ſe tibi cumulatè ſatisfactum iri. Ego huiuſmodi literis, & ſermonibus agam tecum & cũ illo ſæpius. docebis me poſtea, quid profectum ſit; &, quid facere me uelis. Vos amo. Vale.

Argentario, Vriam. CLXXXVI.

COGIS me ſæpius queri de intermißione literarum. ipſum hoc ignoſce ſaltem, quod queror. Nollem tibi afferre moleſtiã. ſcio enim, quàm ſis, occupatus:

cupatus: quo fit aliquando, ut uerear te interpellare literis. dabis tamen aliquid amori meo. ſin te ita uelle intelligam, iam nihil poſtea ſcripſero. Nunc uerò, quando cœpi obſtrepere, cupio languentem illum ac lentum hominem ad res excitari, de quibus ad me ſcripſeras. mihi quidem eſt uiſus uoluntatem ſequi uelle utriuſque noſtrûm. docere me debueras, ecquæ ſpes tibi ſubeſſe uideatur. Hîc paucis diebus illum expectamus. tum uidero, ſiquid neceſſe ſit. Meis uerò de rebus uelim cures, quæ de Stoica domo coràm tecum egi. niſi enim id fiat, contignatio putreſcet. habitetur ſanè gratis, nec inuitò me ad Sextilem; at uitetur, quod obeſt mihi plurimùm, prodeſt nemini. Videntur mihi partes quædam uelut honorarij iudicis à te eſſe ſuſceptæ. at uerò, etſi nihil perſequar equidem; tamen eſt, in quo mihi uelim te eſſe æquiorem. hîc non dicam plura. Si uis, ego inſanio. Præter meas, quas amori tuo condonatas eſſe uolui, comendâram tibi iniuriam ſororis. nihil es commotus. an illa etiam inſanit, aut alijs honorem, ueſtes, et gloriam inuidet mecum? actum poſtea quid ſit neſcio: certè ſuperioribus diebus queſta eſt per literas. tu uerò ſaltem is eſſes, qui tecum hęc ridere poſſes. Nihílne habes aliud hoc in arbitrio tuo, quàm, ut me condemnes. ſed afferet ipſa dies multa; & is, qui eſt mecum, denique ſuum ius obtinebit: & nunc ea in re nihil eſt, quod ſe mihi ſtomachum facere arbitretur quiſquam. Egóne iraſcar ex ijs, aut doleam? ſcilicet ea ſum natura, moribus, & inſtituto, ut mori

ri

ri ex his poſſim. Nec ſcio iam, nec utor quotidie fidibus, quibus antea me ſemper oblectabam: & miſeriæ me totum atque angoribus dedi, quia diuiſione illa, occultum inueteratumque meum odiũ ſaturare non potui. Iſthæc, mi Donate, non ego, ſed is uiderit, cui miſero ac perpetuo in luctu uita omnis agitur. Nam, quod requiro nunc officium tuum, id ſignificare uolui; intelligere me nihil eſſe à te creditum, aut magni æſtimatum ex ijs, quæ multos annos eſſe me perpeſſum, centies narraui. Cæterùm ego nõ hæc tantum, quæ rideo; ſed illam quoque fortunam, quæ bienniũ impendet, quámque exultantes inimici minitantur, ſorbere canens inter muſicos, atque hilariter poſſem. Ipſo metu quidem fortaſſe queam perturbari, ſed quod ad dolorem attinet:

Omnia uel medium fiant mare.

Itaque, ut cò redeam, opera uolũtate, ac fide tua magis, quàm humanitate aliorum, aut euentis officiorum tuorum uti uellem. Cupiebã his de rebus uni tibi agere gratias; quod tamen fiet, ſi oſtendes illũ mihi animum tuum, quem ſoles, optimoque iure nũc debes; tametſi confici à te nihil poſſet. Vale.

Paulo Manutio, Patauium. CLXXXVII.

NEC ualde mihi occurrebat, quod nunc ad te ſcriberem; & eram in uia, quũ certior ſum factus eſſe, qui iſtuc nauigarent. Itaque properans, miniméque uacuus ad te ſcripſi. nec me pœnitet, quãtum hoc ſit. aliud enim erat nihil, quod uellem, niſi

te ſaluum eſſe, deque ſtatu rerum tuarum ſcire ex literis tuis. Spero tamen, & opto aut eſſe iam, aut inſtare, quod tibi poßim gratulari. hoc me, ut doceas quàm primum te uehementer etiam atque etiam rogo. Aldum tuum optima ſpe adoleſcentulum amo, ut ſemper. reſpondi ad illius epiſtolã circiter Non. Ian. eodem tempore ad tuam. Hortare, ad me ſcribat ſæpius. nunc uale, & ſalue. Brundusij. VI. Idus Mart.

Q. MARII CORRADI EPISTOLARVM

LIBER VII.

Paulo Manutio, Patauium. CLXXXVIII.

DEDERAM ad te ſuperioribus diebus breuem, ac nullo argumento epiſtolam, rebus uacuam omnibus, plenam feſtinationis. ſcribebã enim ſubitò, atq; opera ſanè quàm impedita, ſed amori meo deeſſe nolui. Nunc item, etſi magis liber, quæro tamen ſiquid mihi ueniat in mentem. illud fortaſſe. quæ Patauio XVI. Cal. Septemb. ad me ſcripſiſti, gratiſſima fuerunt. Nam ualde iucunda etiam mihi ne acciderint omnia fecit, quòd & audieram ipſe, & tu incommoda de te quædam nunciares. illis te perfunctum ſpero iam, & patriæ, liberis, ſtudijsque tuis eſſe reſtitutũ: minimè etiam dubito fore, ut ſuauiſſimas à te accipiam hac de re quàm primùm literas. Nã qui amantiſſimè dediſti, quod ego tecum magnopere dolerem; idem afferes etiam, undè tibi queam gratulari. Audio enim hîc diu nihil; & à Scipione meo, poſtquam is tuam ad me epiſtolam miſit, nihil accepi deinde literarum. Redeo, ut ad ea reſpondeam, quæ ſcripſiſti ſæpius, probari meam tibi rationem & genus quoddam latinæ ſcriptionis. Pudore ſum impeditus, ne

quid antea hac de re dixerim: nunc autem illud uereor, ne ex meo ſilentio plus etiam arrogare mihi uidear, quàm tributum à te ſit. Ego enim is ſum, qui ſolum in tuo integerrimi, doctiſſimi, ac diſertiſſimi hominis iudiciò poſſum acquieſcere. Quamobrẽ non arbitrarer eſſe me aliquid in literis; niſi (& id iure quidem) plus tibi, quàm ipſi mihi crederem. Capio igitur illa ex parte literarum, ac teſtimonio tuo magnum fructum ſtudij ac laborum meorũ. Quid enim honorificentius mihi accidere potuiſſet, quàm à te ornari, eo præſertim genere laudis, quod ego præclarũ ſemper putaui, & uni tibi, aut cum paucis, liceat rectiſſimè cognoſcere? Sit enim alijs commune tecum aliquid in doctrinis, hiſtoria, literis, in quibus ne conferre quidem tibi audeo quenquam; certè hanc laudem latinè dicendi & eloquentię ita iudico eſſe tuã, ut, quum tot ſeculorum homines uiceris, ne ſperandũ mihi quidem uideatur fore aliqua in poſteritate, qui tibi ſe ſimiles eſſe glorientur. Quare te nunc maiorem in modum oro, & obteſtor, perque amicitiam rogo, ut, quum antea non pœnitere me uolueris omnino laboris mei, poſthac moneas etiã, ſi quod eſt in ſcriptione mea genus, quod tibi nõ probetur, aut multum à perfecto abeſſe uideatur. Sic enim te uolo exiſtimare, hoc mihi multo fore gratius, quàm laudes, illæ, quæ à te mihi gratiſſimæ fuerant. Ego quidẽ certè lumina & uirtutes omnes oratoris, quum iudicem eſſe difficiles ad imitandum, & tribus ijs tamen, quæ ſunt propria illius, aptè, ornatè, ac diſtinctè dicere,

cere, illud primum, ut aptè dicamus, maximi cuiuſdam mihi uidetur eſſe ſtudij, & exercitationis. Locum ſcilicet tibi indicare ex his uolui, ubi maximè ſolam eſſe timidus: ſed tu ſcrutabere, ſiqua ſunt etiam maiora, & me diligenter & amicè, quũ erit otium admonebis. maximum te mihi putabo ex hac re beneficium dediſſe. Bouijs fratribus gratiſſima accidit memoria ſui in ijs, quas proximè ad me ſcripſiſti, literis, & ſignificatio tuæ in ſe uoluntatis. ſummè tibi agunt gratias, ſalutemque aſcribunt. Carolus Pontifex in urbem proficiſci parabat. Iacobus te rogat, & ego illius rogatu, ſiquid eſt librorũ tui ſtomachi. ſcire cupit, ecquid putes eſſe Mureti fines. num quis Lucretium è doctiſſimis, num Plautum correxerit. Muretus neſcio quid in eo laboraſſe ferebatur. Quæ probâris, ei, qui tibi has literas reddidit, ſatis erit monſtrauiſſe. is enim cętera cõficiet, ſine moleſtia tua. De ciuitate Romana, aut aliquid omnino de tuis antiquitatibus expecto. Excuſo tamen huius anni fortunam, aut laudo potiùs diligentiam tuam. Vale. Brundusij. XVII. Cal. Apr.

Carolo Sigonio, Patauium. CLXXXIX.

QVOTIES ad Manutium ſcribo noſtri amãtiſſimum, mihi uenit in mentẽ dare aliquid ad te quoque literarum. Etenim, quum tu illum ames, quem ego ex omnibus facio plurimi, & ille cariſſimũ habeat utrunque noſtrûm; fieri non potuit, quin uehemẽter ego te amarem. Antequam enim uel te,

uel quæ ſunt à te ſcripta diuinitùs, aut literarũ genus aliquod uidiſſem, hoc ipſo impellebar ad amorẽ tui, quòd illi te coniunctiſsimum eſſe cognoſcerem. Namque his literis quum te ſcirem eſſe deditũ, quas ego cupiditate magis, quàm ſcientia deuoraſſem, ſingulari quadam doctrina ac uirtute tua adductum illum facere uidebam, ut te diligeret, ſuisq́ue in ſcriptis honorificè, & quàm ſæpiſsimè nominaret. Poſtea uerò quàm tuos faſtos, orationes, & ius antiquum Romanorum, & cętera ingenij monumenta uidimus, quæ ſunt à te pulcherrimè mandata literis: tum, non equidem plus meo, quàm Manutij, iudicio credidi: ſed iuuit tamen, meo etiam ſenſu, atque oculis, eum te uidere, quem ab illo ante accepiſſem. Præterea etiam fruor nunc ingenio & copia, quam dixi, ſcriptorum tuorum; teq́ue ipſum penè audio mecum ſæpe grauiſsimis de rebus diſſerentem: ut fateri neceſſe ſit, multas inter nos neque leues neceſsitudinũ has omnes eſſe cauſas. Equidem his moueor plurimùm, & diu quum antea fuerim ſtudioſus famæ ac uirtutis tuæ, eorum qui te propter ingenium ac doctrinas diligunt, concedo nemini. Nunc igitur uolui hanc meæ inductionem uolũtatis, atque amorem tibi eſſe cognitum: & uehementer confido fore id, quod imprimis cupio, mutuò ut nos ames. Vale. Brundusij. VII. Id. Apr.

Sed uide adhuc συγκύρημα, & quàm ea neſcirem omnia, quibus impellerer ad amorem tui. Hanc epiſtolam quum ad te ſcripſiſſem, nauesq́ue morarẽtur,

egit mecum Carolus Bouius de te multa. Studia ueſtra & amicitiam commemorauit, quę Bononiæ, atque etiam Mutinæ annis abhinc XVII. uobis fuit. illi ſuauiſsima eſt memoria illorum temporum, & mutui amoris ueſtri. Bouiorum familiæ, quæ Bononiæ ſatis clara eſt, arbitror te recordari. Hic Pontifex eſt nunc Aſtuneenſium; & his humanioribus literis, doctrinis omnibus, & eloquentia ad eos proximè accedit, qui nobis hęc omnia pepererunt. Extabit aliquis propediem fructus illius ſtudiorum. parat enim multa, & præclara. me admodum diligit; ego illum obſeruo. Mandauit, ſuo ut te nomine ſalutarem; rogaremque, uideres, num qua in re ſuum ſtudium atque operam tibi putes eſſe neceſſariã. Scio, uoluiſſet etiã ad te ſcribere, ut ad multos Italię doctiſsimos ac principes uiros conſueuit, quibus cum uel mediocris illi uſus intercedit. Ratione tamen dignitatis ac perſonæ grauiſsimæ, quam ſuſtinet, nunc illum ſuſpicor impeditum, ne ſcriberet, qui neque literis, neque alijs rebus eſſet prouocatus. ſiquid tamen laceſsiuerimus, ego ſpondeo fore, ut nos minimè pœniteat illius epiſtolarum. Verùm hæc tu cogitabis; ego eò redeo, ut læter hanc etiam ſubitò cauſam extitiſſe, qua mihi ſis carior, quòd illi tecum amicitia ſit, quem ego ſolũ his in locis clarisſimum & doctisſimũ uirũ iudicaui dignum obſeruantia mea.

Donato Argentario, Vriam. CXC.

MISIT Bonauentura, qui à me reciperent literas tuas. reſpõdi te quadraginta iam dies ne

ad me quidem ſcripſiſſe aliquid. Pallia uerò de te queſtus eſt etiam diu antea. dicam liberè apud te; rectè quæritur. Quare ego Veteranenſium iſtorum nomen à te præſertim inuitus audio. Eſt etiam apud noſtros in inuidia, quòd ab illis palàm dicitur; medicus noſter. Caue putes me ſomniare, quæ ſcio. amo enim te, odoror multa, nec fallor. ſaltē illa ſint prolixiora ab ijs, quæ in uia Germanarum egi tecum pridie, quàm diſceſſi. ſed longiùs diſcedo etiam à literis. Laborum excuſationes iam nullas accipio tuorum: utinam uerò ſolus, nec ijs inuiderent multi. ſcripſeras tamen fortaſſe ad Hieronymum Gallum de meis rebus. Certum neſcio: ſed mihi perſuadeo non contēni à te meū timorē. ſed ego tantùm præſtare poſſum officia mea. Vt enim cætera non ſint ingenij, nec uirium mearū, illud certè ſtudui ſemper, ut diligi à te poſſim. nunc tamen literas ad Gallū tuas mihi ſcito non eſſe neceſſarias. accepi enim à Bouijs nunciū, unde gaudeā immortaliter. Sed ad me de ſenſu & opinione Galli ſcribet etiam Pallia. etenim, quum à te nimis diu illas expectarem literas, ea de re illū rogaui, antequam aliquid ſcirem. Nunc ſcribe, oro te, etiam ſi nihil habeas, etiam ſi non uacet, aut non libeat. Ac de caligine mea ne cogitas tu quidem, & probata uehementer Sauonarolæ εὐφροσύνην *rides. Nam morbi cauſam ſcire, quòd malles, ſi imbecillitatem eſſe morbū uolumus, ea quid aliud, quàm defatigatio eſt longior? Quæ mihi conſulere ſolent, aut ſpecula, aut ueſtes, aut capitis fomenta, quibus*

perpetuò utendum ſit, mori ego malim, aut cæcus fieri. In diem & in horas producere tot adminiculis ualetudinem, oculos, aut tempus uitæ? Sed ò ſapientiam antiquā. iraſcor enim ueſtris hominibus, quòd nondum poſſunt eruere, aut nec in mētem ijs ueniat quærere, quibus olim rebus deficiētē ſenectute aciē, aut laboribus detritam adiuuarent. Quid enim? illi poſt quinquaginta aut centum annos ætatis, non legebant ampliùs, aut nō ſubtiliſsimis in artibus uerſabantur, quum ſpecula, paſtomidesque iſti (ut loquuntur) nondum eſſent à uobis inuenti? Admirabilium præterea, quæ memorāt quadrigarū ex ebore, quæ muſcæ, & nauis, quę apiculę alis tegeretur; ſolus Myrmecides is, qui illa fabricatus erat, ſpectator fuit? Quatuor & uiginti libros Homeri, ſic tenui litera ſcriptos, ut in nuce clauderentur, is tātùm qui illos ſcripſit, lectitauit? Nihil per ſe ipſos Romani ueteres, nihil Græci aut Plato, aut Hippocrates ueſter, nihil cæteri homines docti, inclinata iam ętate, legere aut ſcribere potuerunt? Sed uos hæc uideritis; equidem nihil uidero propediem, ſi perges mihi uitream hanc medicinā laudare. Quamobrē cogita, obſecro te Argētari, καὶ κατὰ τὸ πρακτικόν uide. Nam θεωρίας iam tædet, quam tibi philoſopho reſerues licet. Mihi uel γραϊκὸς medicina ſatis eſt, modò proſit. Video nunc etiam à ueſtris multa ac προχειρότατα probari. Si doctrina illis, & mēs defuit, nonnulla conſolatio erit, mihi ſolos deeſſe oculos. Vale. Aſtunei. V. Non. Maias.

Donato

Donato Argentario, Vriam. C X C I.

NE *per fratrem quidẽ tuum à te litera? doleo, quòd mihi etiam iſtuc animi non ſit. nam ſæpe deſiderares tu quoque meas. Non uideris multum peccare, quòd in hoc mihi par nũquam fuiſti, niſi totos menſes etiam ceſſes? ulciſci poſſum ego te, ſi uelim: ſed ſcis me nolle. at idem tu noli. iniquitatem amiciſsimi hominis. ubi enim viuimus? Fratrẽ quoque ad me uenire paſſus es uacuum literis tuis? noctu credo is, & à te clàm diſceſsit. immo erubuit adoleſcens hæſitabundus, quũ te de literis neſcio quid excuſaret. Tuum denique mihi tabellarium fac mittas ſtatim, ſi uis me uiuere. nam curationes auidè, quas alijs ad te ſcripſi literis, & conſilia, & uolumẽ denique à te expecto literarum. Vale. Aſtunei. Nonis Maij.*

Ioanni Iuueni, Tarentum. C X C I I.

A G O *tibi de tua in me uolũtate gratias: de meis uerò ſtudijs, etſi nimis fortaſſe magna opinio tua, fuit tamen ea quoque mihi gratiſsima. Nam te ex eo & bonis literis deditum, & mei amantiſsimũ eſſe cognoui. Quamobrem ſic habeto, officia mea fore tibi paratiſsima, operæ, diligentiæ, uoluntatis. Quòd Lucius Fouetanus quum Tarenti eſſet, benè de me ſentiret, & honeſtè loqueretur, gaudeo habere me in hoc teſtimonium tuum. Cupio enim rumuſculos inueniri falſos, qui ad me de illo afferuntur. Et*

profectò doctum hominem atque innocentem, nec à me aliquando re ulla prouocatum, non adducor, ut credam alijs detrahendo famã aucupari. Præterea, credo etiam literis illius, quas ad me Vriam Tarento ualde liberales miſit. Verùm ego ne illorum quidem moueor ſermonibus, qui apertè etiam meo nomine abuti ſolent. Ipſa enim dies, ut ſpero, mea, & illorum ſtudia, literas, conſilia, mores, ac uitam deniq; omnem explicabit. Tu uerò me fac mutuò diligas, credaſque, tibi nullum genus officij mei eſſe defuturum. Vale. Aſtunei. X. Cal. Iunij.

Carolo Bouio, Bononiam. CXCIII.

MANDARAS mihi diſcedens, ad te ut ſæpe ſcriberem. ego uerò antè conſtitueram id ſumma uoluntate mea. Scribam igitur poſthac multa, quibuſcunque de rebus ſcire te uelle arbitrabor. Nunc uerò illud pro humanitate tua, & beneuolentia in me ſingulari, non dubito, quin uehementer aueas doceri, nũquid actum conſtitutúmue ſit in meis rebus. monuiſti etiam amantiſſimè, quid me in ijs facere oporteret. Paucis igitur diebus, quàm profectus es, hominem conueni. ſcis quem dico; Siculum uidelicet hoſpitem tuum. Recordare illius, qui inter cœnam ſuum ius Pontificium, te inuitum, me etiam fremente docere cupiebat. Cũ illo ita ſum colloquutus, ut eum par eſt, qui neque infantiſſimus omnino ſit, neque ignarus, quid cauſa poſtularet, & de ſumma rerum ſuarũ agi putaret. Ille uerò multis uerbis, ac

ſuo

ſuo quodam genere ſermonis nihil ad ea,quæ erant à me propoſita, & quò illum ſæpiſſimè reuocabam; ſed in mearum laudum prædicatione laborabat. Quoties ego de re ut diceret aliquid, petebam; toties amorem in me ſuum, obſeruantiam ac fidem odioſiſſimè narrabat. noli quęrere.diem conſumpſiſſet etiam recitandis literis, quas Neapoli,quas Roma,quas tota ex Europa ſe anno ſuperiore accepiſſe diceret.Hîc opinor,ſuſpicaris etiam genus quoque literarum.Quum ſæpiùs id ſtomacharer; ille ſæpius, oro te, inquit,audi hoc etiam.Quum eiuſmodi literas maximè quæreret,méque ad cœnam inuitaret; illum neſcio an planè ſalutatum reliqui.Magnam enim diei partem domi eius quum fuerim, perficere nullis rationibus potui, ut illum ſuę improbitatis, ſtultitiæ,ac tantę fatuitatis puderet.Quare id cogitaui,quòd feliciſſimè ſucceſſit,ut alia uia meis rebus proſpicerem. Neq; tamen puto committendum his literis,quid egerim;& tu ſoles eſſe minimè curioſus,qui hoc uno potes eſſe contentus, quòd is, quē omnes omnium hominum auctoritates,argumenta, preces, miſeriæ, aut orationis æquitas minimè flectere potuiſſent; coactus eſſet ipſe ad preces, cęteráque omnia confugere,etiam ſi ego ſuas iniurias ultrò ferre noluiſſem. Denique res omnis eò loci eſt, quò uolebamus,nec ſperare ego auſus eſſem. Quare ita gaudeo, ut ſiquis uerè (quemadmodum urbanè tu illuſeras) νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας. Mittam ad Robortellum literas,quum planè reſpiráro. facio

enim

enim plurimi & clariſſimi uiri ſcientiam, & mandatum tuum.interim cupio, ſiqua tibi uideatur ſignificatio apud illum meæ in ſe uoluntatis.Fratribus tuis eruditis, optimíſque iuuenibus ſic utor, ut uolo:Cæſare quidem humaniſſimo,Iacobo mearũ quoque ſocio literarum. Expecto à te uehementer literas, & tales quidem,quales eſſe ſolent. meam uerò hoc in genere (quod ſolum audeo promittere) diligẽtiam,non deſiderabis.cumulatè ſatisfaciam uoluntati tuæ. Sed plura per otium. Vale.

Carolo Bouio, Bononiam. CXCIIII.

ERAM Vriæ toto penè Sextili,longè à libris, minimè ocioſus. redibo ad fratres tuos mei amãtiſſimos,ineũte Septembri.Intelligis ex hoc id,quod ego uolo maximè,cur adhuc minùs ad te ſæpe ſcripſerim.his confectis negotijs,non deero ne ijs quidẽ ipſis,ad quos me ſcribere ipſe uoluiſti. inuitus enim faciam nihil,quod tibi placere ſciam. Nunc præterea,noui habebam nihil, quod ad te ſcriberem. nam de obitu Braccij Martelli Sanctiſſimi hominis & amiciſſimi tui,non dubito tibi nunciatum eſſe literis familiarium tuorum. tuli ego grauiter illius mortẽ, & dolorem tuum.Ea enim humanitate fuit, ut me quoque diligeret; ea doctrina, eloquentia,literis,ut uni tibi amantiſſimè cederet;ijs moribus, religione, atque omni uita,ut eſſe tibi æqualis uideretur; & illum tu ex omnibus cariſſimum haberes. verùm nõ committemus,ut dolendo,immortalitati illius inui-

dere uideamur. Aliud non erat, quod ad te ſcribere deberem; & id ipſum, quod attigi, fortaſſe fama etiã ante acceperas, & literis multorum: ſed temperare me nõ potui, ne de ſummi uiri morte, ipſe quoq; tecum non magnopere dolerem. Vale.

Scipioni Aleandro; Vriam. CXCV.

QVVM res eſſet nulla, de qua ad te ſcriberẽ, & deeſſe officio non poſſem, inanibus his literis nunc quidem facere hoc uolui. Promiſſo enim, tanquam uoto quodam, puto me teneri, quòd ſuperioribus diebus tã liberaliter tibi omnia pollicerer, nec tamen deinde tu aliquod officij mei genus uidere potuiſti. Sed te ſpero poſthac meũ animũ, quẽ in uos habui ſemper, amorem, obſeruantiam, atque fidem non dubiè eſſe cogniturum. Colui multos annos Hieronymum (ut ſcis) Aleandrum patruum tuum, domíq; illius, ut unus de uobis, diu ac ſuauiſsimè uixi. Laudabat hic meum adoleſcentis ingenium, quoties meis de ſcriptis aliquid uideret. vidit autem is multa, cui etiam Romę librum uerſibus à me factum dedi. Itaque ab homine liberaliſsimo, fortaſſe nemo plus me accepit eorum, qui plurimi ad illius beneficia confluebant. Accepi enim ego, idque ſæpius, teſtimonium doctrinæ ab eo, qui propter ſcientiam rerum omnium, ſummamque uirtutem, illius collegij princeps, & lumen Italiæ, iure optimo exiſtimatus eſt. Equidem illius indicio de me, & opinione literarum, ſic incendebar ad eloquentiam, ad cætera ſtu-

dia,

dia, & ad laudem, ut ſiquid eſt in me; quod ferre docti homines poſsint, id omne occultis adhortationibus, artificijsque illius putem eſſe tribuendum. Mihi denique ſummi uiri memoria, & recordatio, non poteſt eſſe, ut debet, ſuauiſsima, niſi uos amem, quos illi ſciam iucundiſsimos fuiſſe. Tu uerò domeſticum illius exemplum tibi eſſe propoſitum putabis ad imitandum; à quo ſi (ut facis) nunquam diſcedas, ſpe certiſsima eſſe te uolo, fore, ut illius quoque ornamenta, & ampliſsimum dignitatis gradum conſequâre. Sed redeo ad illud, quod ante propoſueram, ſic me laudibus illius, omnium ueſtri beneuolentia, et uirtute ac ſplendore tuo delectari, ut dignus uideri poſsim, quē tibi nonnulla ſtudiorum & neceſsitudinis coniunctione adiunctum eſſe uelis. Vale.

Antonio Marinario, Theologo. CXCVI.

COGNOVI *ex tuis literis, me ſi non falsò, certè negligenter ſcripſiſſe. utrum falsò, tuę doctrinæ eſt, ac ſapientiæ iudicare. ego illud ſcio, meum errorem (ſi ita uis) non ſatis à me explicatum fuiſſe. Ac primùm, niſi fallor in hoc etiam,* τὴν ἀρχὴν *loco nominis poſitum, uix uni tibi, auctoritatíque tuæ poſſem concedere. Eſſe enim aduerbium poſtulat grę ci ratio conſuetudóque ſermonis. Sic enim apud illos eſt ſæpiſsimè,* τοὺς ὅρκους τὴν ταχίστην ἀπολαμβάνειν. *et magis proprium genus illud frequens exemplorum* τὴν ἀρχὴν ἴσως ἂν οὐκ ἐξημάρτησα. *Erant hæc & plura in ſuperioribus etiam literis. Serò autem nunc recor-*

dor, me hoc non ſimpliciter, ſed χρονικὸν ἐπίῤῥημα dicere debuiſſe. fuit hoc negligentiæ meæ. De eo autē, quod eſt tribus in ſequentibus literis ὅ,τι nullum uerbum feci; & omiſſum eſt, quod per magni ſcribere retuliſſet, motū uidelicet eſſe me interpretum auctoritate latinorum, non quod, ſed qui, latinè uertentium. Quūque accepiſſe mihi à græcis uiderer, ut τὴν ἀρχὴν referatur ad rationem tēporis; audi, obſecro te, quid ego ſomniarem. tu rideas, licet, ineptias, uel audaciā, hominis tamen amantiſſimi. Etenim corrigi à te, ſiquid minùs rectè ſentio, mihi duco eſſe pulcherrimū. Putabam igitur Chriſtum Iudæis rogatum, quis eſſet, ita reſpondere uoluiſſe. Ego ille ſum, qui à primo ortu mundi uſq; ad hodiernum diem, antea quidem per uates ac ſanctiſſimos homines maiores ueſtros, iampridem uerò per me ipſum de me, ac meo aduentu, ſalutis ueſtræ ac generis humani cauſſa, ſæpiſſime ſum colloquutus. Hæc ridiculè fortaſſe cogitaueram, quæ utinam ſcribendo ſaltem complecti oratione potuiſſem. Nunc uerò, ſi ita eſt, ut ſcribis, quòd equidem puto eſſe uteriſſimum, uideo mihi cum ſtultitia, turpem quoque infantiam eſſe coniunctam. Referre tamen iterum uolui ad iudicium tuum. quid ſentire debeam, arbitror mihi cognoſcendum ex tuis literis. nihil adhuc eſſe uolo ſententiam meam. Hoc tamen ſcripſi, quia illam tibi non ſatis putabam ſuperioribus meis literis fuiſſe explicatam. tantùm de uerbis dicebam, neque omnibus, neque ullam ad ſententiā accōmodatis. Ac de eloquentia illorū hominum,

minum, quibus noua adhuc religio credita eſt, nō ual de equidem laboro. Perfectè loquutos eſſe illos dicebam, & id dico in oratione perfectum, cui nihil deſit ad ea docenda, quæ uolumus, atque ita, ut græcè dū loquimur, à gręcis rectè intelligi poßimus. Quare neceſſe eſt Ioannem, id quod ante diximus (niſi græcè omnino loqui noluit) aliqua ex græci ſermonis conſuetudine protuliſſe: hanc ego, ſi ea non eſt, quam dixi; alia quę ſit, non facilè poßim inuenire. Verùm te propediem expectamus. tum hac de re licebit à te audire multa. Sed moleſtè illud accepi, quod à me diuinatum eſt (ut ſuperioribus diebus ad te ſcripſi) ut poſthac longius aliquò proficiſcâre. certè tamen confirmo, te nullis terrarum, uel temporū ſpatijs, à meo animo unquā, & cogitatione eſſe abfuturum. Vale. Aſtunei. Prid. Non. Octobris.

Carolo Bouio Pont. Romam. CXCVII.

LITERAS, quibus reſponſurum te ad meas ſuperiorum dierum epiſtolas, fratres mihi tui dixerunt, cupidè expectabā. Ex ijs enim admoneri cupiebam, quid ad te ſcribere deberem; mandatoq́ue tuo, crebris ut te prouocarem literis, parerem. uerebar denique fore, ut (niſi à te literas accepiſſem) mihi deſit argumentum ad te ſcribendi. Verùm ego nec laboro iam ea re ampliùs; & nunc quidem libero te moleſtia reſpondēdi ad ea, quæ poſt diſceſſum tuum, trinis (ut arbitror) literis ad te ſcripſi. Nunc enim id accidit mihi, ut à te peterē, quod

non huic modò tuarum cupiditati literarum; ſed officijs ac meritis erga me tuis omnibus anteponã. Noſti iam tot annos familiariter uerecundiam, ſeu (ut uerius dicam) timiditatem meam. Quare grauiſſimas eſſe cauſſas neceſſe eſt, quibus adducar, ut oblitus naturę, ac ſummi illius pudoris mei, aliquid à te audeam flagitare. itaque rẽ breuiter cognoſce. Marcellus frater meus Romã ijs de rebus miſſus eſt, quæ noſtro collegio & ciuitati poſſunt eſſe maximæ. iam intelligis hunc non rerum modò urbanarum, uerùm etiam cauſæ ipſius magna ex parte neceſſariò eſſe rudem. Nam & Romæ nunquam antea fuit: & res, quarum gratia miſſus eſt, non quidem obſcuræ ſunt ad explicandum; ſed tenuitati ac fortunæ ciuitatis noſtræ contra potentiam aduerſariorum difficiles ad obtinendum. Hominem igitur tibi commendo ſic, ut maiore ſtudio non poſſim; & cum illo, multo uehementiùs exiſtimationem collegij, ac ciuitatis uidear commendare. res enim eſt eiuſmodi. Vriæ Pontificatum ac diœceſim, quæ ampliſſima eſt, malo ac triſti fato noſtræ dignitatis, Brunduſino cum Pontificatu coniunctã non ignoras. Pontificatus duo ſemper habiti ſunt, neuter alteri ſubiectus, aut inferior; ut ne legatus quidem Brunduſini Pontificis homo Brunduſinus, Vritanam aliquando diœceſim ante Cobellum Voltanum adminiſtrârit. Hic primus à noſtris hominibus receptus eſt, quòd Vritanũ ſe ciuem, & Vriæ natum prędicaret. Paulatim poſt, & Brunduſinorũ Pontificum iniquitate, & noſtrorum hominũ negli

gentia

gentia eò res ducta eſt, ut neque Pontificatum, neque diœceſim nobis Brunduſini eſſe ullam arbitrentur. Itaque ſuperioribus diebus, quum Franciſcus Aleander Pontifex eſſet mortuus, rem nouã & iniquiſsimam tentare ſunt auſi, ut in ciuitates Vritanæ etiam iuriſdictionis legatum mitterent. Erat hic Ludouicus Scommaſora, quem Francauillę noſtri ſi eſſent conſequuti, mirum niſi occidiſſent. turba denique ac tumultus poſthac deeſſe non poterunt. Quãobrem nunc amiſsis iamdiu rebus, ornamentisque omnibus, illud miſeri & afflicti homines petunt, ut ſibi reliqua dignitate ſpoliatis, etiam Pontifice Brunduſinorum uiuente, legatum liceat habere ſaltẽ, Vritanæ iuriſdictionis; quemadmodum uſque ad hodiernum diem, interregni tempore, habuerunt, quo non una, ſed duæ diœceſes eſſe uideantur. Hoc ſi aſſequuntur (quod uideo, quàm facilè & ęquum ſit) à tantis iniurijs putant ſe eſſe liberatos. Tu interim animaduertis opinor, quantum integritati tuę ac fidei tribuam. Non ignoro enim Brunduſinos multis nominibus eſſe tibi coniunctos; confido tamen iuſtitiam atque unam uirtutem eſſe tibi coniunctiſsimam; ut, ſi tu ciuis etiam, aut Pontifex eſſes Brunduſinorum, minimè hoc à te petere dubitarem. Nam, qui iuſtitiam habet antiquiſsimam, is, ne à ſuis quidem, alienos leui etiã iniuria affectos poterit negligere; quid ſi à cupidis hominibus per iniuriam innocentes homines ac boni uiri ne hominum quidem loco ducimur? Quapropter magna ſpe ſum fore, ut, quibuſcũ

que rebus poteris,ope,conſilio, gratia,fratrem meũ, & cauſſam denique omnẽ complectare. Scito enim & mihi ueteris meæ in te obſeruantiæ maximã gratiam hoc uno beneficio perſolutam, & ciuitatem noſtram in perpetuum tempus tibi maximè deuinctã fore. Alias adhuc res non minùs graues habet in mãdatis frater meus,quas ut libẽter ac benignè audias, tueriq́ue uelis,tam te rogo,quàm ſi pro ſumma capitis exiſtimationisq́ue meæ rogarem. Vale. Aſtunei.
1561 Cal. Ian.

Carolo Bouio, Aſtuneenſium Pontifici, Romam. CXCVIII.

SVPERIORIBVS diebus rogabam te per literas,ut fratrem meum commendatũ haberes; &,quibus rebus poſſes,noſtræ ciuitatis negotiũ adiuuares. Res eſt eiuſmodi,quę ſi minùs proſperè iſthic etiam ſuccedat,nec uſquam ius retinere noſtrum poſſumus; in poſterum non iam de dignitate cũ Brunduſinis,ſed de libertate nobis dimicandum erit. Denique me putes,uelim,nunc etiam iiſdẽ precibus agere,quibus ſuperiore epiſtola tecum egi, ut rebus omnibus fratrem meum,remq́ue omnẽ tueri uelis. Sed, quoniam res hæc multis aliis nobiliſſimis uiris commendata eſt, & ego iam duabus tibi illam epiſtolis cõmẽdaui,quia nemini omnia debere malim; uenio, ut illud à te petam,quod multo mihi eſt maximum, nec habeo niſi te unum,undè id queam impetrare. Quamobrẽ te rogo, quantum de re maxima rogare debeo,

debeo, ut, quũ paulò altiùs rẽ explicauero, benigneque audiueris, quid facere neceſſe ſit; eam mihi operam accõmodes, quæ aptiſſima ſit non obſeruantiæ in te meæ, ſed religioni ac pietati tuæ. Eſt igitur Vriȩ extra portam Brunduſinã haud longè à mœnibus Franciſci Aſſiſiatis templũ, & in eo collegium, ex illius familia hominũ religioſorũ. Maxima loci religio eſt & ſanctitas, ut eò ingreſſus, ſentire cũctis ex partibus uim numinis quandam tibi uideâre. Hunc enim ipſe quondam Franciſcus delegit, petiit, ab noſtraque ciuitate accepit, & ſanctiſſimè uiuendi in eo diſciplinam inſtituit. Ipſe cum paucis hominibus aliquandiu hîc uixit, et monumenta nobis quædam, & ſatas illius manu arbores oſtendunt. Sed acceptũ ab eo locum, & religione conſecratũ, non de opinione uulgi, ſed grauiſſimarũ ex auctoritate literarum cognoui. Vixerunt hîc poſtea ſanctiſſimi homines, quos, tametſi non publica (ut ego quidem exiſtimo) religione; at publicis cõmentariis, & maximorum quoque Pontificũ teſtificatione accepimus, in Deorum immortaliũ numerũ eſſe tranſlatos. Vnus fuit ex his Franciſcus Dyrrhachinus, cuius plurima etiã ſupra humanitatem, naturamque hominum facta diuinitùs leguntur. Corpus illius eodem in templo, tribus cubitis altè à terra, uetuſto ac mediocri ſepulchro, nonnullis etiam cum diuinis honoribus ad hodiernum uſque diem, pro refrigerata iam religione hominum, ſeruatur. Ita duobus in cœlo gratioſiſſimis patronis quum Vritani ciues uterentur, publicè &

 priuatim

priuatim prædia ſatis ampla, ruſtica & urbana illis donauerunt. Denique facultates erant eiuſmodi, quæ niſi quotidie à multis dilapidarentur, ualde locuples templum haberemus. Auaritia enim et ſcelere eorũ, qui illius adminiſtrationem emere conſueuerunt, nõ bona ſolũ direpta ſunt ac fortunæ, ſed uetus etiã indè religio fugata. Cænacula, periſtylum, horti, cubicula, templum ipſum, omnia penè collapſa; nec ſpes ulla, ſeu conſilium, aut reſtituendi aliquid ex ijs, quæ iam corruerunt; aut ſaltem ruina prohibendi, quæ labefactata ſunt, uitiumque fecerunt. Collegio præeſt hoc anno uſque ad Id. Apr. Franciſcus Corradus frater meus, homo ualde honeſtus & induſtrius, à quo ciuitas quum ui deat aliqua iam nunc eſſe reſtituta, & magnam uim lapidum ac materiæ comparatam, rationem inire cupit, qua ſaltem in ſequens triennium illi adminiſtratio prorogetur. In tanta igitur ambitione hominum & corruptela, quum deſperet ſe aſſequi poſſe, quod plurimum ſua ad honeſtatẽ & religionem intereſt, ſitque Romæ Franciſcinorũ familiæ patronus, uir nobilitate & religione ſumma Rodulphus Pius Cardinalis Carpenſis, ad eum magiſtratus & Decuriones ciuitatis noſtræ, ut allegationem idoneam inuenirem, maximis à me precibus cõtendunt. Ego, quum illorum pietati non obtemperare nefas eſſe ducerem, te unum habui, quem de re maximè neceſſaria rogarẽ. Quapropter oro te, & obteſtor, non meum, non fratris mei, non ciuitatis noſtræ; ſed homo caſtiſſimus apud hominem ſanctiſſimum,

obiit a. maj 1564.

Diuorum,

Diuorum, quos dixi, & Chriſti negotium ſuſcipias. Illud te admonitum uelim, ineunte Aprili rem confectam eſſe oportere, ut nequid Idibus ad Franciſcinorum comitia ſecus, ac neceſſe eſt, de fratre meo & hac tota de ratione decernatur. Hoc erat unũ, quod mihi hac epiſtola petendum erat: ſed intelligere te uolui priùs, quantum minima in re momenti, quantum ponderis, quantũ difficultatis eſſet. Itaque ſcias me tibi plurimum ex ipſa re, ſed multo magis ex animo & uoluntate tua, ſi hoc libentiſſimè feceris, eſſe debiturum. Vale.

Carolo Bouio, Aſtuneenſium Pont. Romam. CXCIX.

NON uereor, ne tibi moleſtæ ſint literæ meæ. etſi enim te occupatiſſimum eſſe ſcio, recordor tamen, quòd mihi diſcedens mandaſti, ut ſæpius ad te ſciberem. Quare, niſi inualetudo tua me retardauiſſet, etiam crebrioribus tecum literis egiſſem. Proxima epiſtola commendabam tibi apud Rodulphum Pium, Franciſci Corradi negotium fratris mei. Nunc uerò ſic ſtatuo, nihil à te petere aliud, niſi ea de re priùs accipiam à te literas. Vide igitur, ut hoc uno ex officio tuo ad maiora etiam à te petenda mihi uidear eſſe prouocatus. Vale. III. Cal. Mart.

Ludouico Grauinæ Theologo, Vriam. CC.

CREDO iam te intelligere, iſthic maximè neceſſariam eſſe operam tuam. mihi quidem res

nulla tam certa atque explorata eſſe poteſt, quàm diuino te nutu ad iſta loca ductum eſſe. Quare illud ego te nõ dubito (quæ tua religio eſt) gaudere uberrimam tibi oblatam eſſe materiem, in qua Deo, hominibusque approbantibus, exerceri tua uirtus poſsit. Sic enim habeto, nullum in Salentinis, ac ne in tota adeò Apulia omnino eſſe locum, ubi tanta non cæterarum quidem rerum omnium, ſed certè ſacrarũ (ut dixi) ædium negligentia uideatur. Namque homines eiuſmodi ſunt, ut inertia & rerũ ignoratione delinquãt magis, quàm audacia, ſcelere, aut immanitate: admoniti uerò, pauloque grauius reprehenſi, facillimè ad officia reuertuntur. Scio tamen excuſabunt ærarij difficultates, & inopiam ciuium; cui tu loco ita occurres, ut ea neges eſſe uera; quę ut uerißima ſint, hoc tamẽ ſingulare ac certißimum eſſe remedium, quo & facultates, & amiſſam urbis antiquißimæ dignitatem recuperare poßint. Quòd uerò iam quadringentis annis aduerſißima ſint uſi fortuna, non tam in bonis fortuniſque ciuium, quàm in publicis ornamentis, & ſplendore ciuitatis; illam nõ dubitârint eſſe caußam, quia ſentinarum loco, delubris omnibus turpißimè abutantur. Iube enim tibi oſtendant religioſa loca, olim pietatis ergô, à ſanctiſſimis hominibus, maioribusque noſtris inſtituta, quo cultu, frequentia, ſtudio, ſacris, cerimonijſque cuſtodiant. Iube duci te à ſacerdotibus, à legato Pontificis, à magiſtratu, ac decurionibus ciuitatis, ad Gregorij, ad Stephani, ad Viti, ad Crucis, ad Andreæ, ad

Caterinæ,

Caterinæ, Blaſij, Antonij, Martini, Petri, Nicolai, Benedicti, Ioannis, Luciæ, Chriſti Seruatoris, ac Diuorum templa plurimorum. Non dubito forè, ut illi modis omnibus repugnent, nec te permittant uidere ea, quæ ne barbari quidem, uel Turcæ ipſis in Chriſtianorum templis ferre poſſent. Mitto ea, quæ ſuburbana ſunt, Georgij, Barſonuphrij, Magdalenæ, Lau rẽtij, Iacobi, Leonardi, Matris denique Virginis mul ta, quę noſtra, aut patrum noſtrorum memoria funditus collapſa, eò tractantur minùs fœdè, quò deteſta biliùs eſt pati, ab hominibus, quàm à beſtijs, ſacra uiolari. Intra mœnia uerò, quum ex templis Diuorũ ipſi homines cloacas fecerint, utinam illud ſaltẽ aliquando cogitarent, quàm graues Deo, eius rei pœnas dederunt. Nam ciuitas noſtra, quę olim una fuit Salentinarum longè omnium clariſsima, nunc ſpoliata ornamentis omnibus, amiſsa dignitate, iam propè amiſſo, nullum ob delictum, Pontificatu, priuata nuper munitionibus & inſtrumento belli, nudata magna etiam parte agrorum, obſcura & uacua ciuibus, non plures habet ferè hominum domos, quàm fana ſunt illa Diuorum, quæ fœdiſsimis iam ſordibus obruerunt. Non aduertunt miſeri, neque ſentiunt, quanta ſint hæc mala; neque habent ea loco malorũ; neque accepta referunt huic impietati ſuę. Quod enim aliud ob facinus, tanta cum turpitudine, atque ignominia, diuinitùs ab ijs tanta pœna repetita eſt? Dixi profectò antequam iſthuc uenires (id quod te ſcio poſtea præſentem cognouiſſe) noſtros homines,

alijs

alijs in rebus omnibus naturâ minus eſſe uitioſos, quàm cæteri. Quare dubium nemini eſſe poteſt, hoc uno delicto, quod maximum eſt omnium, iram numinis ac Diuorum in illos eſſe concitatam. Denique ſuperiore triennio, Regius prædo (non enim dicendus erat Prætor) qui tum fuit, pecuniam infinitam conciliare quum excogitauiſſet ex ijs ciuitatibus, quę redimere ſeſe uellent; urbis noſtrę, quæ ſolet in metu belli perfugium eſſe reliquarum ciuitatũ, muros atque arcem, loci natura atque omni apparatu munitiſsimam, dirui mandârat. Equidem illo tempore, cogitabam homini ſtulto, & bellicę diſciplinæ ignaro, furorem à Deo immiſſum, quo ſe de nobis uindicaret, ut urbs antiquiſsima iam inde à Minoë Iouis filio, iudice apud inferos (ut eſt in Poëtarum fabulis) nunc denique ex omni memoria hominum tolleretur. Neque uerò hoc antè deſinam uereri, quàm ijs perſuaſum à te uidero, ſtare diu urbem non poſſe, aut non debere ullam, ex qua pro ſacris, cantu ſolenni, thure, atque odoribus incenſis, centum ex tẽplis, rerum fœdiſsimarum teterrimi odores in cœlum ferantur. Quid enim eſt in ciuitate noſtra tanti, ut ei uel hoſtes, uel ipſi amici, ſiqua res incidat, parcere cogantur, in qua tanta neglectio ſit ſacrorũ, & profanatio fœdiſsima ædium ſanctiſsimarum? Noſmetipſi animos hoſtium, aut crudeliter dominantiũ religione ſoluimus, ne qui metus obſtare ijs queant, quò minùs illam tantis ac tam ueteribus ſacrilegijs contaminatã, calamitate, ignominiaque maiore affi-

cere,

cere,uel funditùs tollere uereantur. Sed, quantum hoc delictum ſit,quantæ,& undè,qualéſue huic pœnæ debeãtur,tuum eſto potiùs uidere: quod quũ rectiſſimè exiſtimaueris,illud cura potiſſimum, quod erit officij tui,ut diſſoluti homines à te admoniti,his de rebus corrigendis,iam tandẽ aliquando incipiant cogitare. Nec mihi excuſent ciuitatis, aut hominũ (ut dixi) tenuitatem. Nam & ſumptus eſt eiuſmodi,quem ferre ipſa (ut ita dicam) mẽdicitas poſſit; & ſi qua tenuitas eſt,eam huius maximi delicti pœnam eſſe recordentur.Conferãt igitur publicè quotannis non plus H-S CIↃCC.inſtituantur boni uiri de plebe & collegio Sacerdotum,qui pecuniæ,frumenti,olei,ac rerum cæterarum,in capita ſtipem rogẽt. Ita in me recipio fore,ut in ſingulos annos plus pecuniæ colligatur,quàm ad urbani cuiuſque templi reſtitutionem ſit neceſſe.nam de ſuburbanis, quæ dixi eſſe quàm plurima (ſi tibi ſic uidetur) nullam iſtis hominibus moleſtiam afferamus. Expecto hîc literas tuas,& tales quidem,quales ab homine doctiſſimo, ac ſanctiſſimo de re una omnium perditiſſima eſſe oportebit. Vale, & nos amá, ut facis. Aſtunei. Idibus Mart.

Carolo Bouio, Aſtuneenſium Pontifici,Romam. CCI.

NON deerat, quod ad te mea cauſſa ſcribere deberem. nolui uerò aliud à te petere,nondum pfecta re fratris mei. quare ſcio admittes me quàm primùm ad cætera officia tua. Nunciat enim Mar-

cellus

cellus frater quiddam eſſe melius à te cogitatum, quàm id erat, quod ego de Rodulpho Pio ſcripſerã. Incipiam igitur iam nunc tibi agere gratias. Illud primum eſt, ut quum res eſt adhuc integra, ante Id. Apr. confecta ſit. etenim poſt illum diem putamus negotiũ ſpiſſius futurũ. Nunc uerò ante ea comitia, poteſt ſine moleſtia cõfici cuiuſquã. Expecto literas à te, undè tibi maiores, quàm antehac ulla de re alia agam gratias. Docui enim alijs literis, quanta res, et quantæ religionis hîc agatur. Vale. Aſtunei. XIII. Cal. April.

Carolo Bouio, Romam. CCII.

AGO tamen tibi, utî debeo, gratias. verùm is, ad quem ſcripſiſti, Leonardus Sanctamaura nihil poterit in negotio fratris mei, eo præſente, qui ſummam teneat illis in comitijs poteſtatem. Is eſſe dicitur Ioannes Antonius Delphinus, quem ſcribis noſtra culpa conuentum à te Romæ, & rogatum ea de re non fuiſſe. Nunc vide, obſecro te, quid fieri uelis. etenim res eſt eiuſmodi, quam templi ac diuorum, quos dixi gratia, ciuitas putat eſſe ſibi modis omnibus petendam, etiam inuito fratre. Denique mihi nõ ſumo, ut uelim te docere, quid hîc fieri oporteat. Nã de triennij etiam tempore, id quod ſignificabam primis in meis literis, ſcio te recordari. Vale.

Donato Argentario, Vriam. CCIII.

HAEC ad te poſtridie, quàm uenit frater tuus, ante lucem. quare nec literas tuas reddiderã. Statim

ſtatim Bouios eram conuenturus, ut illuxiſſet. De cane uenatico ſum ſolicitus, nequid accidat, quod ſcribis. uniúsne beſtiæ cauſſa tot inimicitiæ? tāti metus? Aleandrum tamen uidêris mihi ſolum nominare. Hunc, ſi eſt ſolus, ita aggrediêre, quēadmodum ego te, aut me Bouius, aut illum Roma frater, aut hunc ipſum Hippolytus Eſtēſis Romæ. Etenim iuuenis eſt optima natura, et qui facilè precibus capiatur, aut oratione tua. Hoc ſi non aſſequimur, præcluſa eſt omnis uia, ut ne furari quidem poßimus. Itaque, ſi ea ſpes nō ſit, quam ego puto, furtum debebit eſſe prius, aut ſolum. Sed minùs timidè mihi tuæ literæ uidebantur, quas ad Bouium ſcribis: ad me uerò pleniſsimæ ſuſpicionum fuerunt. Quare ſic tecum ſtatuas, me, ut hoc quidem tempore, amiciſsimorum hominū uoluntati ſeruire cupiam; tamen rebus tuis omnibus ſemper eſſe proſpecturum. Malitiam commendo tibi planè plus, quàm debeo. Erat enim illius opera mihi ualde neceſſaria; ſed eum denique ex hoc morbo rectiùs cognoui. Meæ domus limen haud ſcio, an uidebit amplius, niſi quum tibi uidebitur. ac ſcio fore, mihi in primis ut proſpicias. Proxima in epiſtola tua ἀδελφῷ διόρθωσιν (ut ſcribis) nō uideor mihi ſatis intelligere, niſi ea ſit anni ſuperioris, quæ frequens erat in literis vtriuſque noſtrûm. Hoc ſi rectè accipio, facies ut ſciam. Cætera ſcripta erant commodiſsimè. ſpero tibi παρέλκυσιν diſcedere. Cognoueram ex fratre & extrema epiſtola tua, minùs uacillantibus ſcripta literis. Attulit Scipio mihi à Sigonio literas Patauio.

tauio. ſubſtitutus erat enim paucis ante diebus in Lazari Bonamici locum. Ipſius ad te miſi epiſtolam ſua manu ſcriptam. remittes hanc mihi, quum deſcripſeris. Ego enim obruor moleſtijs, nec ad te nunc exarauiſſē, quicquid hoc eſſe interpretēre, niſi aſcripſiſſes in epiſtola tua, ne occupationum quidē mearum excuſationes te eſſe accepturum. Confectione tamen adhuc eius libri diſtineor, de quo ante ad te ſcripſeram. nullus quidē hîc eſt, ut ſcias eſſe meum; ſed concurrunt omnia mihi incommoda atque aduerſa. nunc deerat hæc ſolitudo. iraſcor facilitati meæ. Illi impuro adoleſcenti oro te meo nomine, quæ me uelle, quæque oportere intelligis. ſcio enim undè hoc genus morbi contraxerit; & cōtagionem timeo, ne qua ab eo emanârit. Fabius tamen videtur mihi ſatis bellè habere; qui ſi eſt (ut ſpero) ſanus, non uideo equidem, quid aliud timendum ſit. Cogites hîc uelim, quantum me amas. eodem in lectulo ad ineūtem uſque Decembrem ambo fuerunt. Subtiliſſimas his de rebus expecto à te literas. Vale.

Donato Argentario, Vriam. CCIIII.

DE Malitia ſum ſolicitus ex literis tuis. mea tamen cauſſa ſum perturbatus, & meorum. Valetudo adhuc ſatis firma, præſertim in puero: nōnulla hinc ſpes videtur. Illius verò facillimam eſſe curationem, reſpondebant. unis aut ſummum trinis curationibus incolumen fore. Ad ἐξαρθρήματα *mihi frater miros cruciatus fecit, nec perfectum eſt aliquid.*

Illum,

illum, quid faciendum ſit, monebis, et ad me ſcribes. Mitto Sigonij ad te, quæ dixeram. Vale.

Aldo Manutio, Pauli F. Venetias. CCV.

ACCEPI *à te literas, quum de patre tuo inciperem nõnihil eſſe ſolicitus. nam Scipionẽ meũ, undè cupiebam aliquid audire, nondum mihi contigerat, ut uiderem. ſcripſit aliquando ad me, ſed nihil ad quæ uolebam. Nunc uerò, lectis tuis literis, magnam partem illa cogitatione ſum leuatus. omnino autem acquieſcere non potui. Quòd enim ab eo ſalutem nunciari ſcribas in epiſtola tua, fuit illud profectò gratiſsimum; ſed literæ utriuſque ueſtrûm iucũdiores fuiſſent. Nam pupugit me, quòd ſignificares illum ſcribere non poſſe. ſilentium uerò illius Muſarum non iam ego ſolus miror. Verùm confido læta fore omnia, & illum eruere interim de ſtudijs dignum aliquid ſcientia ſua, memoriaq́ue hominum ſempiterna. Librum de Ortographia tuum rectiſsimè ſcriptũ, uehementer probaui. Siquid poſthac erit eiuſmodi uel à te, uel à patre tuo, fac memineris, nihil ueſtris literis mihi uel perfectius uel iucundius uideri. Has quum ad te literas dediſſem, ipſo in portu naues captæ ſunt à piratis. in ijs utinam plus damni ab alijs factũ non eſſet, quàm à me literarum. pars ego nulla fui. Hoc ſcire te uolui, ne accuſanda tibi mea negligentia uideretur. Scribes ad me, & de antiquitatibus appinges aliquid patris tui. pudor obſtitit, quò minùs illũ de ijs rogarẽ. Vale. Brunduſij. Cal. Maij.*

Paulo Manutio, Venetias. CCVI.

SI uales, gaudeo. Suſpicabar aliquid ex diuturno ſilentio tuo. nihil à te peto, aut urgeo inſolenter. Nam uoluptate etiam ac fructu ſcriptorum tuorũ, æquo animo (ſi ita uis) carere poſſum: tamen illud uide, ut anno toto undecunque nuncius, litera, aut ſignificatio ſaltem de te ſit aliqua. Itaque nunc mihi planè ſatisfecit Aldus puer. is tametſi quædam ſignificaret, quę ego cuperem eſſe meliuſcula; eorum tamen iuuit me non eſſe rudem. Non miror enim amplius ſilentium tuum: & ſpero, uotaque facio de tuis rebus: nec affero tibi moleſtiam (ut antè) ad me ſcribendi. utar enim Aldi interim literis: tu uerò ſcribes, quum per ualetudinẽ aut occupationes licebit. De me uerò nihil eſt, quod nunciẽ, undè gaudere poſſis. Domo abeſſe non patiuntur me diu inſtitutæ rationes meę: ſuperioribus tamen diebus non uoluntas mea, ſed caſus tulit quidam, ut Venetijs ad te nõ fuerim. Miſsis enim Roma literis, accerſebar Tridentũ ad munus, quod tu ſcilicet mihi gratulatus eſses: literæ uerò mihi redditę non fuiſſent unquam, niſi antè ad alium res delata eſſet. Quare nunc, ut cętera non doleam, quid principes uiros de me credam exiſtimare? Cupiebam præterea, & ſpes erat, mihi datum iri aliquid ad ſcribendum. ſed hoc fato latinè di dicerim, ut: pudet loqui cætera. Fortaſſe uerò nimis arrogo mihi, nec ſatis expediat me, literaſque meas in luce hominum uerſari, ſi diu carere domo poſſem.

Verùm

Verùm ad te redeo. me ſolicitat ualetudo tua. ad hãc tuendam ſtultè adhortarer ego te. Illud uide tamen, ut, ſi fieri quidem poteſt, ſcriptioni illam ac ſtudijs anteponas. hoc unum credo hactenus à te prætermiſſum. ignoſces amori meo. Aldi uelim eſſe crebras ad me literas. illius epiſtola cum libello de Ortographia nuper fuit mihi periucunda. Vale. Brundusij. Cal. Maias. f. 1561.

Carolo Sigonio, Patauium. CCVII.

SVMMAE *uoluptati mihi fuit, quod erat poſtremum in epiſtola tua, ſummum tibi locum Patauij, atque munus datum eſſe docendi literarũ. Itaque gaudeo uehementer, nec ſolùm tibi, ſed omnibus rectiſsimis ſtudijs, atque Italiæ, externarumq́ue gentium iuuentuti uideor mihi poſſe gratulari. Equidem ſic mecum ante ſtatueram, deberi mutuò ſibi illũ honorem, & literas, eloquentiã ac uirtutes tuas. Nunc uerò minimè dubia ſpe ſum fore, ut bonis literis omnibus, ac latinę linguę, non doctor modo excellentiſſimus, aut cultor ſumma diligentia, ſed patronus etiã acerrimus deeſſe non poſſit. Vtrunque enim rectè, et puriſſimum tuum dicendi genus ex tuis libris, & cõtra ſtultos homines ex oratione quadã, de latina lingua ſententiam cognoui. Ac ſcito mihi illam orationem luculentiſſimam rectiſſimè habitam, & iſtis tẽporibus, atque indoctorum hominum inſolentia, maximè neceſſariam eſſe uiſam. Contigit mihi etiã aliquando, ut iſtorũ inſania prouocatus, de re tota accuratiſſimè cogitarem; & amicis, qui id à me petiuiſ-*

ſent, multis uerbis reſponderem. Credas mihi uelim, altiùs omnia ac ſubtiliter perſequutus, planè uidi ac perſpexi, tanquam ea quæ ipſis oculis cernuntur, nihil ab iſtis nouis doctoribus in latinam linguam, nihil in res humanas diuinasq́ue omnes, ſtultius ac dementius dici potuiſſe aut cogitari. Dolebam antea latinitatis cauſſam à pauciſsimis, uix uno aut altero è doctis hominibus, neque ſatis uehementer hactenus eſſe defenſam, ut iam erubeſcere inciperem, quòd mihi penè ſolus eſſe optima in ſententia uiderer. Poſtea uerò quàm te mihi præterea & Manutium repentè animaduerti ea in re factos eſſe duces; non dico reſpiraui, ſed riſi potiùs me, quòd iſtos mihi tãtis ex deliberationibus diu cognitos unquam hominum loco duxerim. Tuli enim, ac laudaui etiam Speronem, quòd homo literis & ſcientia clarus ita diſſentit à nobis, ut modeſtiam ſeruet; neque, ut cæteri, linguam latinã putet obeſſe ſtudijs, & auferendam prorſus cenſeat oportere. Intelligis ergo me non hunc aut ſimiles ita contemnere, quanquam ab ijs omnino diſſentiam: ſed illos tantùm, qui in latinitatis nomen ſunt inuecti, quosq́ue animaduerti à te eſſe reprehenſos. Denique eò reuertor, ut honorem tuum atque munus gratuler ſtudijs, & eloquentiæ Romanæ, cui ex iſta urbe ſperamus te doctore ac patrono ueterem dignitatem atque ornamenta reſtitutum iri. Carolo Bouio Pontifici ſtudioſiſsimo tui, paucis diebus, quàm ad te de illo ſcripſi, Bononiam ad ſuos contigit neceſſariũ iter. Romæ nunc meditatur ſumma illa, de quibus Triden

ti ſummo in concilio deliberandum erit. Te magnopere diligit, & niſi diſceßiſſet, nec tantis rebus nunc eſſet impeditus, nō dubium, quin magnus inter uos renouatus eſſet uſus literarum. Tu uale, tibiq́ue perſuade, à me non uulgariter amari. Brundusij. VI. Non. Maias. M. D. LXI.

Data multis ante diebus epiſtola, naues quę iſthuc nauigarent, à prædonibus captæ ſunt. Equidem, acceptis tuis literis, ad te ſcripſi, quum primùm poteſtas eſt uiſa.

Iulio Cæſari Loffredo, Caruinium. CCVIII.

TVA epiſtola quū eſt reddita, ſolicitabar quotidie literis, ac nuncijs meorum, qui me domum ad res maximè neceſſarias uocarent. Reuerti, arbitror, decimoquinto abhinc die, minimè uacuus à labore & ſummis cogitationibus, ad moleſtias; quas eſſe leuiores crederem, ſi eas probare ſaltē iniquis in me hominibus poſſem. Mitto enim plurima, nec ſtudia dico, aut ſcribendi laßitudinem, aut ea, quibus obruor aßiduè: tot literis certè amicorum ſæpißimè accidit, ut uix ullum ſit otium legendis. Credas mihi uelim affirmanti, nullu[m] adhuc fuiſſe diem hac ęſtate, quo die non multas eodem tempore inchoatas in palympſeſto, aut ſchedis epiſtolas haberem. Etenim reſpōdere uni alicui dum paro, & literę interueniunt aliæ aut grauiores, aut amici, cuius ratio maior habenda ſit; cogor id, quod cœperam exarare, aliud in tempus differre. huic uerò dum inſtituo reſcribere, præſtò ſunt mihi literæ ab alijs, ac denique dum ſemel ur-

geor à multis, remanent mihi ſemper domi in lituris plurium initia epiſtolarum. Noli quærere: deſideratur à multis officium meum uel ſcribendi, uel (quod magis dolendum eſt) humanitatis. Aequiore animo hæc ferrem, niſi etiam qui nôrũt occupationes meas, quaſi otio abundem, ut ſibi leuiſsimis de rebus reſpondeam, præfractè ac ſæpius flagitarent. Sic enim ſcire te uolo, ſi hęc ad meas moleſtias nõ accederent, meã tibi ac tuis æqualibus operam nullo loco fuiſſe defuturam. Nec deſpero tamen poſthac fore, ut poſsis in me aliquid reſidere humanitatis atque officij exiſtimare. Nunc uerò tibi ago gratias de mirifica tua in me uoluntate, quam ex tuis amantiſsimè ſcriptis ad me literis cognoui. In ijs mihi fuit præcipuum, quòd ſignificas te ingenuarum artium cupiditate ac ſtudio teneri. Scito enim ex tuis tantùm uirtutibus, & ſcientia literarum, te à prudentiſsimis hominibus, dignum iſto loco, fortuna, ſplendore, tuorumque maiorum rebus geſtis & gloria iudicatum iri. Arma igitur aut equos tractare, aut multa, quibus nimium ſunt hoc tempore, non æquales modò tui, uerũ tenues quoque homines dediti, non per ſe honeſtatem habẽt ullam; ſed tum denique laudantur, ſi in actum prodierunt, & ciuibus ac reipublicæ opem attuliſſe uidebuntur. Literarum uerò nullum tempus aliud expectandum eſt, quo uel honeſtæ ſint, uel cõmodæ, uel iucundæ; ſed illarum æterna ſunt omnia: quarũ non doctrina modò ac fructus; uerùm diſcendi etiam ipſe labor eſt pulcherrimus; nec aliquid poteſt in uita

ſine

ſine ijs, pace aut bello, rectiſsimè adminiſtrari. Quã obrem ſic tibi perſuade, mi Cæſar, fuiſſe te mihi ſemper antea ex tuis moribus & natura cariſsimũ; nũc uerò magnum acceſsiſſe cumulum ad amorem in te meum, ex tuis, quas proximè miſiſti, literis, & iſta in bonas artes propenſione uoluntatis. Meã tibi operam officiaque omnia ſcies tibi in omne tempus eſſe paratiſsima; Vale. Aſtunei. IIII. Cal. Quint.

Decio Romano, Tarentum. CCIX.

QVAE mihi ad latinam linguam tuaque ſtudia pertinere uidebantur, longum erat, hanc ipſam in epiſtolam includere. Itaque alijs in literis collegi ea, quæ utinam literati omnes, utinam egomet ſeruare queam. Facilè eſt enim & breue, ſumma omnia præcipere: ſed longiſsimi ſtudij, exercitationis, nec mediocris eſt ingenij, oratione facienda conſequi ea, quæ ipſe præceperis. Nam ut latinè, eleganter, aptè, diſtinctè, ornatè, breuiter, dilucidè, ſplendidè, ſuauiter, probabiliterque dicamus, & his difficiliora, ſingulis uerbis præcipere ſolemus, quæ pauciſsimi à primo ortu eloquentiæ & ſermonis ad hodiernũ uſque diem preſtiterũt. Quamobrem, quum hæc omnia exercitatione potiſsimùm conſtent, illud maximè te monendum putaui, ut quum dicendi & eloquendi præcepta cognoueris, contra difficultates omnes remedium eſſe ſingulare, ſi difficultates aſsiduè eſſe maximas recordêre. Genus quoque perfectum latinæ dictionis, te uelim exiſtimare pauciſsimos qui-

dem homines,etiam ſalua rep. Romanorum,eſſe conſequutos; uerùm nihil eſſe,quod aſsidua opera, magno ſtudio, & accurata diligentia uinci teneriq́ue non poſsit. Declarat hoc, quòd ętate noſtra plurimi excellentesq́ue uiri,quum rectiſsimè,quę dico, intellexerint,illos etiam qui ſtatim poſt Octauiani Auguſti imperium ſcripsêre, hac dumtaxat latinè loquendi elegantia uicerunt. Quocirca magno errore ac ſtultitia ij tenentur, qui uſum latinę linguæ clamitant relinquendum eſſe; quia, præter alia multa, quùm in conſuetudine uulgari ac domeſtica non ſit, rectiſsimè illam diſcere non poſſumus. Vides enim,ut Italiæ ac totius Europę innumerabiles uiri doctiſsimi,diuinate loquendi,elegantia, & omni apparatu orationis,probant iſtos homines inſanire? Quid uerò noua lingua ipſi moliuntur,qui nec latinam auferre de ſacris & profanis rebus omnibus, & toto ex orbe terrarum; nec ſuam ex tam anguſtis finibus Italiæ ad nationes exteras ullis unquam ſeculorũ ætatibus poterunt mouere? Fuit hoc Athenienſium, fuit Romanorum; qui non colonijs tantùm, ſed imperio, ui,atque armis hoc facere potuerunt: Illi enim apparatus bellorum,illi duces,illi faſces, illa imperij maieſtas,illi præfecti fabr. illæ machinæ, illi cuniculi, turres,uineæ,arietes,illæ uictoriæ,ac triumphi, latinam linguam exteris nationibus,etiam illo tempore inuitis,reliquerunt. Quòd ſi nobis hæc adeſſent omnia,quæ triſtiſsimo fato Italiæ, miſerrimam in ſeruitutem ſunt commutata: non tamen effæminati iſti

laudà-

laudatores mulierum poſſent ſpem habere ullam fore, donec erunt homines, ut uel unũ in uicum ſua lingua à Tranſalpinis hominibus recipiatur. Nam Romani illis temporibus hoc fecerunt, ut linguam Romanam dilatarent, quum alia liugua uel ipſis Romanis, uel nationibus exteris non erat, quæ in omni ſcriptorum genere, in diuinis humaniſque legibus, in religionum libris, ac denique in cœlo (propè dixerim) tam altas radices egiſſet. Quamobrẽ te laudo Deci, quod extricare te ab iſtorum ineptijs, & falſis opinionibus; ad latiniq́ue ſermonis dignitatẽ, atque amplitudinem, qui tibi ab ineunte ætate, opera doctiſſimi uiri patris tui, fuerat rectiſſimè cognitus, denique redire uoluiſti. Errore enim à noſtra lingua defeceras non tuo, ſed omnium, qui ſtultiſſimè nobis aduerſantur. Iſti nanque molles ac delicati homines illud ſpectant maximè, quòd ſe pro literatis hominibus latinè ſcribendo, neque mulieribus, aut exoletis, neque in tonſtrinis, aut lupanaribus, neque in principum ac Regulorum domibus uenditare poſſent. Verùm enimuerò Deci, ſic te uelim exiſtimare, non tanti eſſe non modò ignauiam illiteratorum Principũ, & eorum qui in ciuitates, qui in prouincias, qui in populos ac regna habent imperium, ſed ne ipſa quidẽ regna, & orbem terrarum, quanti linguam noſtram teneri à cunctis mortalibus, qui religionem ſeruant Chriſti, & eſſe, quemadmodum eſſe neceſſe eſt, ſempiternam. Nam, quòd aiunt etiam non eſſe noſtram; illam uerò ex his, quæ dicta ſunt, apparet, magis noſtram

ſtram nunc eſſe, quàm olim Romanorum fuit. Quòd ea lingua ſcribendum putant, in qua ſimus nati, reclamant omnes omnium gentium ac populorum ex ultimis terris docti homines, qui græcè aut latinè omnes ferè ſcripſerunt. Affirmo denique, ab iſtis, qui noſtram linguam ſunt inſectati, patronis uidelicet omnis imperitiæ, & corruptoribus Italiæ iuuẽtutis, ac ſtudiorum omnium, nullum denique argumentũ, neque uerbum aliquod eſſe contra nos dictum, quod diſputando magis, quàm ridendo, ſit neceſſe refutare. Eſto enim, recens hæc lingua Italię placeat, laudetur, & iure etiam laudetur: quorſum tamen attinet latinam lædere, ac temerè omnibus humanis rebus perfunctã iactare, de naturę humanæ terminis uelle eijcere, tam falſa colligere, præcipiteſque ferri, tanta in nos rerum inanitate pugnare; quum, ſi illa extingueretur, ſuam ipſi tenere non poſsint? Vtrum dolere me fortaſsis putabunt, & inuidere felicitati linguæ ſuæ? Primò, nihil eſt illo quidem nomine, quod doleam; ſed quòd latini ſermonis (ut dixi) æternitate queam gloriari. Deinde, ſi non ipſo cum genere hominum atque mundo illum durare cogerent cauſſæ, quas dixi, ſempiternę; gratias Dijs immortalibus agendas putarem, quòd alterã denique in Italia linguam eſſe uoluerunt, quæ ſpirare ſine ope noſtræ linguæ non poſsit, ut uel cauſſa illius noſtram quoque Itali homines in tempus perpetuum ſeruare cogerentur. An illud dicere audebunt, quod uideo à multis eſſe iactatum, poni ſcilicet nimis longum tempus la-

tinis literis diſcendis, quod alijs diſciplinis dandū eſſet? Sed quid non audet arrogantiſſima, indoctorum hominum impudentia? aiunt enim, ſi repudiato uſu noſtri ſermonis, tantùm ſua lingua ſcribatur, nobis in Italia Theophraſtos ac Platones quàm plurimos non eſſe defuturos. Ego uerò non ſum neſcius quoſdam ex iſto grege hominum, qui dementiæ quoque in ſuis ſcriptis cognomine gloriantur, hoc ſolere dicere; ac de ſe, tanquam rectiſſimè in ea lingua ſcribāt, magnificè ſentire. Sed profectò illi errant uehementer: et neſcio, an plus requirat ſtudij ac temporis illorum ſermonis perfecta cognitio, quàm latini. Non neceſſe habeo diu hîc argumentari, quum res loquatur ipſa. Quotus enim quiſque eſt ex ijs, quem dicas rectiſſimè ſcribere? ne illi quidem, qui fiducia nouæ eloquentiæ, uarijs modis in latinitatem ſunt inuecti. Siquis tamen hoc in numero haberi poteſt; interroga, utrum à nutricibus (ut aiūt) eam linguam didicerit, in qua ſit natus; an penè quadraginta annorum ſtudio ſit uix omnino conſequutus? Qui uerò latinè hodie ſcribunt multi, quàm plurimos eorū (ut dixi) qui media in latina lingua & uſu domeſtico ſunt nati, uicerunt. uerùm inſulſitas iſtorum hominum ac ſtultitia non hoc loco à me reprehendetur. Quamobrē tu Deci, ualebis, mihique ignoſces, quòd maturiùs ad te ſcribere, ut à me petieras, de ſtudijs tuis non potuerim: &, quo tempore cum latinitate in gratiam rediJſti, quæſiſſe te meam amicitiam recordabere. Cal. Quint. Aſtunei.

Anto-

Antonio Mileto Brunduſium. CCX.

PAVCIS accipe ad literas tuas. denique uiderer mihi apud te eſſe turpiſsimus, niſi cognitus eſſet aliis etiam ſummus in te amor meus. Scripſiſti duobus arbitror abhinc menſibus; diſperean, ſi conſequi interim labore ac ſtudio potui, ne aliis quoque multis, maioribusq́ue officijs deeſſem. Literarum genus ac ſtudij tui ſcis mihi probatũ ſemper fuiſſe. Perges tu hanc uiã ſequi, undè eſſe te in iſta hominum opinione ſcribis: fore ſpondeo, ut collaudẽre ab omnibus. Tuam uerò in me beneuolentiam, ſi mea quidem officia ſpectes, eſſe nullam; ſin uoluntatem perſpicias, non dubitâris eam eſſe debere minimè uulgarem. Vale.

Sergio Paſaniſio, Manduriam. CCXI.

SIC habeto ad literas tuas. Si res tanti eſt, quãti ipſe ſcribis, penſio ſtatim ſoluetur pro quadrãte; reliqua ſumma ad Id. Nouemb. nihil eſt, quod poſsim amplius. Quòd ſi hoc non fiat, aliud cogitemus, aut res tota relinquatur. uide tamen oro te, ſi quid eſt aliud, quod ad meas rationes poſsit accommodari. Fortaſſe uerò plus, quàm dixi, pecuniæ ad priorem penſionem aliunde expreſſero; ſecunda ſit fortaſſe ante illas Idus. Plures tamen ſumo dies, quòd maximè cauendum puto mihi periculum fidei meæ. Scribes ad me tota de re ſubtiliter. Delphino meo ſalutem meis uerbis. Vale. Vriæ.

Paulo

Paulo Manutio, Romam. CCXII.

NVLLVM adhuc tēpus fuit, quo magis aut cuperem, aut uererer ad te ſcribere. Nunc.n. tibi & commodiorem eſſe fortunam ſpero, quam ſcire aueo ex tuis aut Aldi literis: & ereptam ſuſpicor aliqua ex parte poteſtatem familiariter, & ſæpe (ut conſueueras) ad me ſcribendi. Confido tamen occupationes apud te nullas unquam fore tanti, ut curſum impediant atque officia beneuolentiæ & humanitatis tuæ. Non debui nūc eſſe longior; Marcellum tamen commendo tibi fratrem meum. Huic iam anno toto iniqui homines & auari, fortaſſe etiā corrupti à noſtris aduerſariis, dubiam quotidie ſpem afferunt recuperandi iuris non æquiſſimi ſolùm, uerùm etiam maximè neceſſarij, ciuitatis noſtræ. Hoc ſcire te uolui, ut ſi quid forte meus frater à te petat, quod per amicos poſsis efficere; ciuitatem noſtram in optima cauſſa laborare, & illum ab homine tui amantiſſimo tibi eſſe commendatum recordêre. Vale. Vriæ. VIII. Cal. Decemb. ſ. 1561.

Caſtorio Sorano, Mandurium. CCXIII.

EXcuſationem, cur tandiu ad me non ſcripſeris, accepi tuam. Calamitates uerò tuas & pericula ita dolui, ut ſi fuiſſent mea. De beneuolentia ac perpetua tua in me uoluntate nec dubitaui unquā; & ago tibi, uti debeo, gratias. In ſtudiis autem ac literis uide, quibus te rebus adiuuare poſſim. Quòd meis

meis te ſcriptis eſſe adiutum prædicas, eſt hoc amoris in me tui. Epigramma ſatis cultum putaui. Hęc raptim nunc ad te. ſcribam pleniùs, quum aut plūs erit ocij, aut res poſtulabit. Vale. Vriæ. prid. Non. Ian.

Marcello Corrado fratri. CCXIIII.

INtellexi iā binis ex tuis literis dubitare te, an rectè de noſtrorum hominū uolūtate ſentiam. Denique frater, ſic exſtimabis in te uno ſpē eſſe poſitam noſtri iuris uel retinēdi, uel recuperandi. Quæ enim hactenus ad te ſcripſi, ea et uera ſunt omnia; &, nequid nos lædant, ſæpiùs ac multùm laboraui. Perficiā profectò, ac iam perfeci potiùs, ut diſpliceat his prudens illud ſuum conſilium reuocandi tui, & ſibi ex ea re turpiſſimi eſſe uideantur. Illum, quem tibi ſucceſſorem eſſe cupiebant, feci, ut crederent res noſtras aduerſarijs eſſe uenditurū: obſtinatiores autem puderet his de rebus aliquid me præsēte loqui. Noli igitur laborare: uidero enim hæc; &, quando illa etiam fregi, quæ decreta erant, nequid ſtultè in poſterum, aut malitiosè decernatur, modis omnibus prouidebo. Cōſilij quod putas aliquid eſſe in quibuſdam hominibus, uide etiam atque etiam frater, nequid iſta opinio obſit noſtris rationibus, obſit officio tuo. Nihil omnino hac quidem in re ſtultius, nihil dementius ne fingi quidē poteſt. Nā δύω κοσμήτορε de quibus ante ſcripſeram ſæpe, diſcordias inter se nūc ſimulant, & quales mecum ſermones haberēt, ante

quam

quam ipſis iraſci cœpiſsem. Dij immortales tantáne ſtultitia eſse quenquam, ut ea ſentire aut loqui poſſit? Sentina autem collegij, pallida ſemper ora fame, non diſsimulanter ſeruitutem in concilijs, & in compitis omnibus laturam se eſse potiùs, quàm unius teruncij ſumptum, clamabat. Quanti fuiſse tum putas in diſsenſionibus illorũ, id quod mihi erat frequẽs ἦ μέγα πένθος ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει. *Nũc uerò ſunt modeſtiores, quando etiam (id quod rideo magno cũ dolore mecũ) prę ſe ferre ipſi principes uidẽtur, territi iã meis clamoribus et literis tuis, quò nobis gratum faciant, bona fortunáſque uel ſuas, uel ciuitatis omnes habere se paratiſsimas ad rem perſequendam. Caue enim putes tuis literis, quas à me ſuperioribus diebus incitatus miſiſti, aliquid fuiſse ſalutarius. Scribes illo modo ſæpiùs; & ſtultos homines, quantis de rebus agatur, admonebis. conficere tamẽ ex his quàm primũ aliquid maximè te uelim. cupio enim aliquid extare iam, quo tua prudentia, fides, opera, induſtria, & me hercule etiam pietas laudetur. Literas atque interdictum de conſeruanda nobis poſseſsione dignitatis quotidie expectamus. Spero, quod miſsum eſt pecuniæ, ad rem conficiendam fore aliquid. Sed uenio ad res domeſticas. Aes alienũ tuũ quod times, uix ∞ H-S fuit. id uerò iam omne diſsolutum eſt. Putamus hornotini olei fore tibi amphoras ad centum. præclara enim oliuatio huius anni, deterior facta eſt improbitate Mutioli et Malitiæ aduerſariorum tuorum. huic malo occurrere te*

uelle

uelle ſcripſiſti. Vini quicquid eſt ubique natũ, præter agri noſtri naturam, dulce eſt, ut perdurare ad æſtatem id non poßit. duo procurator tuus dolia putat ad Quintilem poße ſeruari. Equi ſalui ſunt, & pecudes cæteræ, quas tu uenire cupiebas. De cõtrouerſia Philippi et Aſcanij tantùm dico, illius negotij procurationem Donato Palmerio eße datam. Vrgebo hominem ſæpius, & denique, ita mihi ſi uidebitur, integrum de his rebus ad tuum aduentum potius ſeruari mandabo. Etenim ſunt res per ſe, in tanta præſertim iniquitate hominũ, difficiles ad explicandum: et hi, quibus credere neceſſe eſt, amici tui ſic tibi uellent inſeruire, ut aliorum auaritiam ne læderent. Aſcanius eſſe hæredem negat ſe auunculi ſui: non tamen recuſat, quò minùs rationẽ tibi reddat eorum omnium, quæ ad illũ pertinebãt. Philippo nihil impudẽtius, qui ſuperbia illa fretus, quam didicit à ſocru & ſorore illius, leges etiam & iura contemnit. Rem Scipioni Aleandro commendabis. Sed uide, num placeat illud, miſsis à Pontifice Maximo dirarũ literis, cogere auaros homines occultis de rebus confiteri. Thomas conductas habet hoc anno oleas tuas quadrante, quemadmodum aliquãdo à te ipſo illas accepit. Pollicetur fore, ſuã operã atque fidẽ laudare ut poßis. De ſemente huius anni & conditione cum emptoribus noualium tuorum, alijs ad te ſcribam literis. Nunc ad ridicula non puto eſſe ueniendum. ſunt enim multa, quæ non hanc in epiſtolam includentur. de his ergo, quum aderis.

Nec enim lubet nunc ridere,& publicis de rebus timeo,quid agatur: recreor tamen,quum recordor animum tuum ad illas accenſum non minùs,quàm meũ, aut cuiuſq; noſtrûm. Sed literas tamen: obſecro te, quàm primùm de ijs mitte frater, undè reſpiremus. Allucinari ſoleo in meis literis, quoties ad te ſcribo; iterum ergo ad tua. Priuatam pecuniam,alia quædam excogitanda ratio eſſet, ad te mittendi. Scripſit ſuperioribus diebus ad te procurator tuus, quantum in ea re hoc anno ſumptum feceris; non dubito, quin mirêre. Sed binis centeſimis hîc ad Spinulas permutatio eſt: gratis permutaturum ſe Fabritius Neapoli ſæpius dixit: at indè noſtram pecuniã Romæ neq; ſe minoris, neque alium poſſe quemuis permutare: idem Spinulas Romanenſes argentarios credo eſſe reſponſuros. Quòd ſi tantum eſt in collybo detrimenti, uide,quid poſthac fieri uelis. Paulo Manutio meam à te, quam paucis ante diebus miſi epiſtolam, reddi uelim: hîc uereor,quòd neſcio quid mihi uiſus es excuſare; omnino autem,niſi me diſsimulare uelis,iſtũ non laudo,mihi cognitum ex tuis literis omnibus nimium pudorem tuum. uide, ne eius rei poſsis iterũ accuſari. Literas Aleandri de tuo Sacerdotio ad te miſi: quum erunt redditæ, facies, ut ſciam. erant enim aliæ grauiſsimis de rebus eundem in faſciculum coniectæ literæ,et ſyngrapha Spinularum. Tuus aduentus quum appropinquabit, ſignum aliquod mihi cures uelim, Chriſti(ut ad te antè ſcripſeram) cruci ſuffixi, opere pulcherrimo; ſed morte in primis ac

maciẹ, quæ uera eſſe uideatur: aut huiuſmodi ſit, aut nullum. noſti hoc in genere faſtidium meum. Pontificis Maximi literas reliquis de rebus ſcito uehementer eſſe neceſſarias. nonnullam facis iacturam, quòd miſſæ adhuc illæ non ſint, quamobrem matura, quantum potes. Hieronymi Gazæ negotium tibi non inuitus commendaui. eſt enim is à Nicolao Granapheio auo ſuo mihi commendatus: & Scipioni Aleandro, cui tu debes plurimùm, ualde carus. Vides ergo, quibus hominibus gratum fiat, qui ambo optimum iuuenem & ſtudioſiſsimum utriuſque noſtrûm curæ nobis eſſe uoluerunt. Fabius eſt mecum, tibi ſalutem aſcribit, à me diligitur, literulis operam dat: ingenio, moribus, & natura eſt eiuſmodi, ut agnoſcas Mediani filium. Quærenti, quid aliud ad te ſcribam, illud mihi uenit in mentem, quod ſcire à te uelim. Parietinas domi habet Fabius, de templo, ut ipſe noſti, conductas; harum ſcis trigeſimo quoque anno concipere nouam locationem oportere. Nos igitur docebis, an eo tempore concepta ſit, quum à te poſsidebantur. conductæ ſunt autem annis abhinc, ut arbitror paulò minùs quinquaginta. Homines de collegio Tarentino, qui uobis illas locauerunt, adhuc non loquuntur. uereor, nequid noui de ijs cogitent. De Sacerdotum teſtamentis ualde ſolicitus eſt Barſonuphrius, quòd ij, quibus earum rerum cognitio datur, legem non eo modo accipiunt, quemadmodũ ipſe ſcribis: immo ne iudicant quidem aliquid ex lege, quòd homines cupidi non cognoſcendi aiunt poteſtatem ſibi

bi eſſe datam,ſed prorſus bona ſacerdotum omnia auferendi. Scire cupit, númque ratio ſit, qua iſtorum latrocinijs reſiſtatur? non dubium eſt enim hîc fieri quotidie multa,præter ius à Pontificibus conſtitutũ. Ages cum Cæſare Bouio, quemadmodum ſuperioribus ad te ſcripſi literis. Nunc enim,quibus modis poteſt, itur obuiam meis commodis: & Romæ etiam quæruntur,per quos fieri hoc poßit. Maxima fit iniuria lenitati & innocentiæ meæ:non quòd damnum inuri ex ea re mihi credam aliquod,ſed quòd patienter non fero id, quòd ab amicis re nulla prouocatis eo conſilio fit, ut meis rationibus repugnetur. Mihi clarißimum uirum diligentißimè ſalutabis;facieſq;, ut intelligat, meam in ſe,fratreſque ſuos obſeruantiam apud me fore,quæ ſemper fuit. Quòd libertate mea uereris,ne quorundam animi à me & à cauſſa publica alienentur, mihi crede,ut in tanta ſtultitia atque inſulſitate hominum, nihil poteſt me fieri modeſtius. Sed utar conſilio tuo, & obiurgationes meas leniam ſæpe nonnulla ſuauitate blanditiarum. Scis me non inuita Minerua hoc facere, quùm uolo: cur autem nolim, ſi neceſſe ſit? quare nihil metuas hinc mali. Meis in literis omnibus ad te uehemens incitatio quædam & uoluntas fuit ea de binis legatis.credas mihi,uelim,affirmanti;nihil eſſe,quod magis contendere debeamus; nihil quod facilius,aut iuſtius concedi poßit. Pontifex ergo ut creatus erit, nulla tibi ſit mora conueniendi illius. Primus rẽ grauißimam illi expones,tumultus plenam,periculi,&

Pontificem non Romanum, sed Brundusinum intellige

iniquitatis. Animos ciuium ita ad optimā cauſſam inflammatos,ut bonis fortunisq́ue ſuis,liberis & uita, quàm dignitate per iniuriam ſpoliari ſe malint. Rem eo loci, ubi nunc eſt,noſtrorum hominum patiētia, & ſuperiorum Pontificum iniquitate & auaritia eſſe deductam: at ea ſublata,fore,ut ſuum cuique ius reddatur;& duæ ampliſsimæ ciuitates diuturnis diſcordijs, & periculis maximis liberentur. De Pontificum uerò commentarijs exempla ad te miſimus literarum, quibus ex literis apparet ſeparatim legatos ad noſtram diœceſim adminiſtrādam eſſe miſſos. Denique frater,poſſum affirmare,hac in re tibi oblatum eſſe tempus,quo facilè poſsis de patria,ornamentisq́ue publicis, & nobis omnibus immortaliter mereri.Vale.Hæc ad te ex lectulo ante lucem exaraui. Id.Ian.

Q. MARII CORRADI EPISTOLARVM

LIBER VIII.

Paulo Manutio Aldi F. Romam. CCXV.

QVAS proximè accepi à te literas, mihi, ut ne mentiar, iucundiſſimæ omnium fuerunt. ſuauis enim ſignificatio eſt illa amoris in me tui, qua ſimul & doles te fructu mearum carere literarum, & humaniſſimè eam in partem accipis intermiſſionem huius officij mei, ut etiam querâre nimiam haberi à me rationem occupationum tuarum. Nam, quod ad fructum attinet (ut ſcribis) & uoluptatem, quam capias legendis meis epiſtolis; id ego mihi ſumma in laude pono; & maximum duco eſſe fructum ſtudiorum ac diuturni laboris mei. Quòd autem humanitatis ac modeſtiæ ſcribis eſſe, quòd tibi maximis ſtudijs, ſummiſque negotijs diſtento, quatuor iam his menſibus noluerim eſſe moleſtus; agnoſco lenitatem, & amorem tuum; qui & temporis breui ſpatio, nimis diu carere credas te meis literis: & uirtuti tribuas, quod potui fortaſſis neceſſitate, aut negligentia peccare. Non me accuſo equidem, quaſi indiligens fuerim ad ſcribendum, ad te præſertim, cui me officia omnia debere profiteor: ſed amo facilitatem inge-

nij tui, qui neque expectâris excuſationem meam: & ultro me atque amantiſsimè incitâris, ut ad illam redirem, quæ tibi longo interuallo (pro tuo in me amore) intermiſſa uidebatur, conſuetudinem ad te ſcribendi. Nunc de beneuolentia, & iſta liberali tate animi tui, ago tibi, utî debeo, gratias; polliceorque fore, ut (quando ita uis) hoc in genere deſidera re non poſsis officium meum. Attulit à te mihi frater meus duos Reginaldi Poli Cardinalis ampliſsimi, & ſanctiſsimi uiri libros, unum de concilio, alterum de religione in Britannia ab illo reſtituta. Fuit uterque mihi in ijs, quæ ſunt à fanaticis hominibus in religionem concitata, ualde commodus, & ad memo riam, quam de Polo ſemper habui, periucundus. Aldus noſter ad me ſcripſit breues literas, quibus li teris petijt, ut inſcriptiones antiquas ad ſe mitterem, quæ hîc repertæ eſſent. Collegi ex ijs, quàm multas potui: neſcio, an illi fecerim ſatis: me quidem certè tibi quoque ſum ratus gratiſsimũ eſſe facturum. Tu perges, nos (ut facis) amare: & ſaluebis à Marcello fratre meo; is ſcire te cupit ſemper fore ſe cupidiſ ſimum tui. Vale. Vrię. Prid. Cal. Sext.

Petro Perpiniano, Romam. CCXVI.

MArcellus frater meus, qui ſuperioribus diebus Roma ad nos redijt, miros de te mecum ſermones agitat quotidie; & omnino tibi uix unum, aut alterum confert, plurimarum artium ſcientia, ſplendore orationis, acumine iudicij, aut omnium elegan-

tia.

tia & grauitate ſtudiorum. Ventitare ſe ait conſueuiſſe ad te, & frui ſuauitate caſtiſsimi ſermonis, optimi ingenij, & incomparabilis doctrinæ tuæ. Narrat mihi ſæpius meditari te, & ſcribere de illa parte Dialecticæ, quæ pertinet ad inueniẽdum, præclara quædam & admirabilia, quibus non ſperat unquam ſe uiſurum eſſe meliora. Denique me his in ſtudijs ab adoleſcentia uerſatum, & nunc M. Tullij, Ariſtotelisque ea de re ſententiam rectè coniungere cupientem, impulit, ut ad te ſcriberem. Pollicetur enim fore, ut (quæ tua eſt humanitas atque doctrina) acutiſsime libentiſsimeq; reſpondeas, quid tibi de ſenſu duorum hominum, quibus nihil in terris æquale unquam fuit, iudicandum eſſe uideatur. Quamobrem te etiam atque etiam rogo, non tã, ut ſeruias: quàm, ut libenter ſeruias cupiditati, ne dicam etiam huic neceſsitati meæ. Illud ſcire te uolo, quæcunque erũt ingenij ac ſcientiæ tuæ, illa à me uni tibi accepta referre, omnes homines, quibus uidere mea ſcripta contigerit, eſſe cognituros. Non ſoleo enim aut ingratus eſſe rectè admonentibus, aut inuidus alienæ laudi. Miſi capita quędam ad te rerum, quas mihi uelim explicari: non dubitat frater meus, quin poſsint hæc à te paucioribus illuſtrari, quàm ſunt à me propoſita. Quòd ſi pluribus ea uerbis elucidari ſit neceſſe, tamen cogitabis id, quod profectò cogitas, nec ſcientiæ tuæ quicquam, nec uitæ, quam ſanctiſsimè habes inſtitutam, magis quàm huiuſmodi officia, & in omnes homines beneficentiam conuenire. Vale. Kal. Sept. 1562.

 Aldo

Aldo Manutio Pauli F. Romam. CCXVII.

ACtum eſt à me de inſcriptionibus mandatoque tuo, quàm potui diligenter. libentiſsimè enim id ſuſcepi, in quo ſeruirem commodis ac uoluntati tuæ. Doleo tamen fuiſſe nihil, ubi ualde laborarem: etenim ipſa res erat eiuſmodi, quæ adiuuari minimè poſſet ſedulitate atque opera cuiuſquã. Quæ igitur mihi antea erãt in promptu, uel à familiaribus miſſa, uel à me inueſtigata, omnia cum his ad te miſi literis. His enim in locis, & hanc ſtudij partem curat nemo; & pro tanta urbium uetuſtate plurimarũ, paucisſima ſunt ueſtigia antiquitatis. Nam, quis ita crederet, Hydrunte, Gallipoli, Soleti, Manduriæ, Tarenti, Egnatię, Rudijs, Metaponti, nullam omnino eiuſmodi literam hactenus eſſe uiſam? Aliquid à nobis, aut per nos inuentum Brunduſii, parum Lupiis, nonnihil Vrię. Hîc lapides fracti ac penè contriti omnes, aut ruinis obruti. Itaque illud mirum, alijs de Salentinorum urbibus, quæ tantùm ſemel ſunt euerſæ, faciem antiquitatis omnem prorſus eſſe deletam. Manduria enim, ut à Q. Fabio Maximo, aut ab aliis diruta eſt, ſaltem ipſo in ruinarum puluere ad proximos uſque trecẽtos annos quieuit. Reliquę uerò tres nunquam ampliùs reſtitutæ, neque ex iis aliquid ad uicina loca urbes aut uillas translatum eſt. Nihil enim eſt uſquam, quod deportatum Egnatia, aut Rudijs, aut Metaponto queas iudicare. Apud nos autẽ plurimæ ſunt, & quidem graues cauſæ, cur non an-

tiquitas modò, uerùm ipſius etiam fundamenta, nomenque urbis omnino ſit extinctum. Non enim, ut cæterarum, ſic noſtræ quoq; urbis una tantùm euerſio fuit. Nam, ut peiora multa & uetuſtiora non dicam, intra hos ducentos annos, poſt longas obſidiones & uaſtationes agrorum, poſt cædes, & abductos in ſeruitutem homines, aut proſcriptos ciues, ſepties eſt uel diruta, uel incenſa; ut mirandum ſit, ex tantis ruinis adhuc extare aliquid, undè hîc aliquo tempore habitatum eſſe ab hominibus poßit quiſquam ſuſpicari: utcunque tamen hæc, uidero poſthac, ſiquid erit aliud, quo tibi ſatisfaciam. Nunc de peregrina inſcriptione, quæ poſtrema fuit omnium, cupio ſcire, quid homines docti ſentiant, atque in primis quid uideatur patri tuo. Illud ſcio pro ſententia Galatei, Pontani, Actij & Hermolai de uetere lingua Meſſapiorum neminem dubitare treis hominum ætates ante Bellum Troianum conditam fuiſſe Vriam à Cretenſibus, qui deinde mutato nomine Iapyges Meſſapij dici maluerunt. Tibi enim qui opera ac diligentia patris tui in Muſarum cœtu atque ſinu à prima infantia eductus fuiſti; ἡροδότου πολυμνία *cecinit ſæpius,* καὶ μεταβαλόντες, ἀντὶ μὲν κρητῶν ἰήπυγας μεσσαπίους γενέσθαι. *Hinc deductæ coloniæ, hinc urbes aliæ uel habitatæ, uel conditæ: illud linguæ genus latè diffuſum uſque ad linguæ Doricæ initia conſeruârunt, Iapygiæ quidem nomen regioni uetus reliquerunt. Tantas uerò fuiſſe quondam res noſtras* διηγεῖσθαι *pergit Muſa,* Ἀπὸ δ' ὑρίης πόλιος;

τὰς

τὰς ἅμας οἰκῦσαι. *Verùm & noſti tu reliqua, & ego doctorum hominum, quos dixi, ſententiam, & Meſſapiorum linguam, & inſcriptionem ac literas, quas ad te miſi, ab ijs quę ſunt coniunctiſsima, urbis noſtræ præſenti calamitate & dolore, & antiquiſsima gloria ac rebus geſtis ſeparare non potui. Tu uelim à me liberiùs petas, quicquid pręſtare ſummus amor poßit. Nunc enim, etſi uerecundia etiam petitionis tuæ mihi fuit ſuauiſsima; tamen uereor, ne pudore tuo fiat interdum, quo tacitus deſideres genus aliquod officij mei. De his literis, quum erunt allatę, uelim à te ſtatim fieri certior. Vale.*

Ioanni Antonio Pallię. CCXVIII.

NImis diu ceſſatum inter nos eſt, ut equidem nō poßim non dolere, tam crebras mihi undique moleſtias afferri, quibus retardetur ſæpius officium meum. Orationem igitur Ferrarij (ut aliquando reſpondeam ad literas tuas) legi occupatiſsimus. Queſtus es enim tuo & Ferrarij nomine, quòd non ſingulis de partibus ac figuris orationis reſponderim, quid mihi uideretur. Quæſo te, mi Pallia, ignoſce aſsiduis meis laboribus, fortunæ iniurijs, rebus nulla dū ex parte conſtitutis. Vtinam aliquando mihi otium detur, quo ſeruire amiciſsimorum hominum uoluntati poßim, non ita fluctuante ſtatu rerum mearum. Huius quidem anni difficultas maior, quàm cæterorum omnium eſt inſequuta; nec ſpes ualde magna in poſterum tempus. Quare doctus euentu rerum &

conſi-

conſiliorum meorum, puto minùs ſtultè mihi ac ſtudijs proſpicerem, ſi non longa & inani ſpe, conſtitutóque peculio; ſed in diem potiùs mallem, auium ritu, uiuere: ſed cogere me uix poſſum, ut ipſe mihi credam. Verumtamen de oratione ut dicam, mihi quidem uiſa eſt eſſe pulcherrima. Breue autem de illa meum iudicium fuit, quòd & occupata eſſem opera, quum eſt allata, nec ualetudine ſatis firma, & (quod ſcis maximum apud me pondus habere) non latinè ea ſcripta eſſet. Fuit enim ſignificatio nonnulla beneuolentiæ in uos meę, quòd illam tamen adduci potui, ut legerem. Scis tu Pallia, me non laude inani, rumuſculis uulgi, & leuitate noſtri ſeculi: ſed antiquorum ſapientia, & uirtute captum, antiquas etiam linguas omni labore ac ſtudio à primis annis eſſe complexum. Neque eos reprehendo, qui noua Italię lingua ſcribunt: etſi ferendos non puto eos, qui de latina ſtultiſsimè ſentiunt, & loquuntur. Quamobrem ego, qui & mea ſponte ſcirem, & ſapientiſsimorum omnium iudicio & auctoritate, in ſententia confirmatus eſſem, non tantùm multitudinis infimę, aut mulierum, aut principum indoctorū; ſed omnis philoſophiæ, ſed diuini & humani iuris, ſed bonarum artium & omnium ſcientiarum, ſed ſacrorum & religionis, cęteris cum gentibus communicādæ cauſſa, linguas eſſe diſcendas: iſtorum hominum falſis pernicioſisque diſputationibus & ſtupiditate prouocatus, cœpi eo loco ducere linguam, & ſcripta illorum, quo ipſi ueteres linguas omnes, precipueque

latinam,

latinam,quam rebus humanis omnibus,ueluti ſolem eſſe quendam,ijdem ſapientißimi homines nunc magis,quàm florente Romano imperio,confitentur.Has tu grauiſsimas & maximè neceſſarias linguarum diſcendi cauſſas, & meam ſummorumque de ijs uirorum ſententiam auctoritatesque, pro ſapientia & æquitate animi tui, non dubito, quin laudes.Noui enim diu ingenium doctrinamque tuam; noui mores,iudicium, facilitatemque naturę,tum nullo prauo ſenſu, nulla pertinacia perfuſæ, tū ad omne eloquentiæ genus rectißimaque omnia accommodatæ. Non enim, quia iſtorum lingua ſcribere conſueſti,luſus quosdam propterea latinam linguam putas, uel inutilem,uel extinctam, uel de naturæ finibus eſſe exterminandam. Illud enim rectißimè uides, quod inſanißimi non aduertunt, ſceleratißimi nō curant, communionem quoque religionis hanc toto ex orbe terrarum neceſſariò eſſe interituram, ſi quo exitiali fato unquam Romana lingua auferatur. Denique tibi homini docto, & ueſtra in lingua totaque in controuerſia iſta linguarum à ſtultis cōcitata,diu ſapienterque uerſato, unum ex tanto numero poſſum conferre,Speronem Speronis F. pari doctrina & nobilitate hominem, qui duos Alexandros minimè imitatus,his de rebus multa diſputans,nihil ſit in latinitatis cauſam inuectus. Ex illis uerò alter ſcurra tātùm ineptißimus, alter bardus mulierum philoſophus, in ſulſitate ſtultitiaque ma mollé effeminatamque Italiæ inuentutem,ut crederet, adduxerunt, nullas ue-

terum linguas, id eſt nullum humanarum ac diuinarum lumen rerum omnium tanti faciendum eſſe, quãti ignauiam, meretricios cantus, & unam ſcortandi diſciplinam. Vt enim ſint nobis et latinæ linguæ omnia aduerſa, illis contrà fecundiſſima, nemine etiam ex noſtris doctiſſimis hominibus illorum furioſis conatibus eunte obuiam, quid aliud iſti tanta diſputationum contentione uolunt, aut quid poterũt multis annorum millibus efficere, niſi ut ſuis æqualibus rerum omnium ignorantiam nutriant, & in tonſtrinis, mulierum uel thraſonum laudes canant? Hic mihi philoſophiæ & literarum omnium ignarus, philoſophos in ſua lingua habiturum ſe eſſe minitatur, & ſcientiarum libros omnium; ut nec Theophraſti, nec Platonis, nec antiquorum ſciẽtia amplius indigere uideamur; & tranſalpini homines, ex noua Hetruſcorum (ut aiunt) lingua ſcientias omnes diſcere cogantur. Scilicet cum linguæ amplitudine tanta, quantam eſſe ipſi arbitrantur, Athenienſium quoque uel Romanorum habent imperium, quo ad externas etiam gentes, & ultimos orbis terræ fines; mittere ſuã linguam poſſint. Non cogitant enim ignari homines, uel multis alijs cum gentibus communẽ eſſe debere linguã, uel imperio quondam hoc eſſe factum à Græcis; nec aliam præterea fuiſſe rationem, qua fieri poſſet à Romanis, quàm ut per colonias, per ſocios, per uictores exercitus, per magiſtratus, iuriſdictionemque omnibus in Europæ, Aphricæ, atque Aſiæ partibus, tanquam una in ciuitate, una tantùm Romana lingua,

magno

magno etiam cum honore ab omnibus audita mitteretur. Aries me hercule Romanorum ille, qui terror cunctis gentibus fuit, non maiore impulſu urbes hoſtium diruebat; quàm linguas illorum latinitati cedere cogebat. Nunc uerò iſti, à quibus oppugnari latina lingua nuper cœpta eſt, quid unquam ſomniare poſſunt, quo tranſalpinæ exteræque nationes nō ſuā potiùs barbariem in urbes Italiæ ſe ſperent et optent iuſtiùs ac faciliùs (quod Dij omen auertant) eſſe introducturos? Denique Pallia, contrà quàm ſtultiſſimi homines loquuntur, nunc latinam linguam diſcunt pueri multo ſplendidiorem, quàm illis etiam tēporibus (quando hoc in dubium uocant) quum ea nondum Italiæ eſſe, aut urbis Romæ propria deſiuiſſet; & noſtra eſt nunc magis, quàm illorum fuit, qui nobis illam pepererunt; & ſi præter Græcam alia ſit, quam poßis cum illa conferre, linguarū eſt omnium præſtantißima; uel (quod eſt uerius) nunc ſola eſt, quam linguæ numero queas iudicare. Nam, quòd paucos aiunt nunc eſſe, qui latinas literas colunt; oro te, mi Pallia, & obteſtor, uel mea amicißimi hominis caußa, rectißimè hoc uideas, quale eſſe argumentum putes; quum & ſint plurimi in Italia, innumerabilesque tota in Europa ſtudioßimi latini ſermonis, & ſapientißimi quique illum, ut lumen quoddam humanarum diuinarumque rerū omnium ſequantur. Paucos uerò eſſe illos putāt, à quibus abſint homines indocti, inanes, libidinoſi, adulatores: et ſi paucißimi forent, nō arripiendum hoc eſſet ſtatim pro

pro exemplo;ſed exiſtimationis Italiæ,religionis,& literarum omnium interitus, planctu & lamentatione deplorandus uideretur. Quamobrem temerarijs hominibus ne illud quidē exprobrari nūc uolo,quòd nihil habet illorum lingua, quod à noſtra acceptum non ſit,ideoq; interire illam ſit neceſſe, noſtra ſi auferatur; ſed cæcos illos atque amentes iudico, quum illud non uideant, neque æſtiment, ſeu ratione & cauſa hoc fiat, ſeu ui ac fato diuino quodam latinitatis; ij maximè præſtare ſolent ingenio, copia orationis,& abditiſſimarum rerum omnium ſcientia, qui peritiſſimi ſunt latinæ linguæ. Iſti autem noui ac ſtultiſſimi doctores,de linguis,& altiſsimis grauiſsimisque de rebus,non ex illarum uel cōmodo,uel amplitudine, uel paucorum,id eſt ſapientiſsimorum iudicio atque ſenſu; ſed opinione multitudinis, paucitateque rectiſsima ſequentium, putant eſſe ſtatuendum. Ego uerò, quum ſint hæc omnia huiuſmodi, ut à nullis improborum hominum ingenijs conuelli unquam, labefactaríue poſsint; nolo tamen prodeſſe latinitatis cauſæ, niſi illud ſit multo grauius, quòd bonæ artes, quòd hominum uita, quòd humana & diuina omnia,quòd uis Pontificium,quòd religio,quòd leges,& tradita nobis à Chriſto uiuendi diſciplina, ſola ope latini ſermonis, aut cognoſcere,aut retinere, aut cæteris cū gentibus cōmunicare poſsimus. Quando igitur hæc ſunt ignorata ab imprudentibus, malè accepta ab indoctis, formidata ab ignauis, diſputata à fatuis,neglecta ab impijs;eò dementiæ uentum eſt,

ut,

ut, qui opinione ſunt etiam nonnulla ingenij & doctrinæ, capti nouarum cupiditate rerum, nouam linguam ſtatuere cupientes, latinam auferri diſputent oportere. Ego uerò cum doctiſsimis & clariſsimis uiris, meiq́ue amantiſsimis, Lazaro Bonamico, Romulo Amaſæo, Paulo Manutio, Carolo Sigonio, opponere me inſaniæ, reſiſtere diſputationibus, & à lingua illorum, in qua tam inſolenter ſe iactant, disiuncta habere mea ſtudia omnia conſueui. Habes igitur Pallia, cur Ferrarij orationem non dico legere noluerim (quid eſt enim quod tua, aut illius cauſa nolim?) ſed lectam ſæpius demonſtrare ſubtiliter, indicareq; uobis, ut eius linguæ non ualde gnarus, qualem eſſe exiſtimarem, æger præſertim, rebusq́ue uarijs diſtentus non facilè potuerim. Tu uelim, credas nihil eſſe mihi te carius, neque iucundius; meaq́ue officia non orationis legendæ unius, & iſta uulgaria atque uſitata; ſed quæ à ſumma beneuolentia proficiſci poſsint omnia, tibi eſſe paratiſsima. Amo enim ingenium, amo doctrinam & modeſtiam tuam; qui ut prudentiſsimè æſtimas omnia, ita de communi lingua orbis terrarum, donoq́ue cœleſti ac ſempiterno, nihil cogitare aut loqui ſoles, quod quisquam uel mediocri accuſatione reprehendat. Itaque deuinctũ eſſe me ſcito non officijs modò tuis, quæ mihi ſolent eſſe periucunda; ſed moribus, doctrinæ, ac uirtuti tuæ. Honeſtate præterea delector generis ueſtri, nec minimá in laude pono principem eſſe te omnium Palliarum. Legi enim ſumma cum uoluptate, nec mino-

re

re admiratione, ad Cæſarem Gonſagam librum à te pulcherrimè ſcriptum. quo in libro de familijs quædam ueſtræ ciuitatis breuiter quum diceres, de maiorum tuorum laude, rebusq́ue geſtis (quæ tua uerecundia eſt) maxima quæque diſsimulans, ſanctiſsimi tamen uiri Nicolai Palliæ; in Deorum numerum translati, nomen, religione cogi te putaſti, ne taceres. De ſcriptis ergo tuis cognoui ab Hetruſcis, atque Vmbris publica religione Peruſiæ ſepulchrum illius coli: & gentilibus tuis poſt uitam ſanctiſsimè actam in terris, locũ inter Deos immortales ita certum eſſe datum, ut nefas, & inexpiabile ſit crimen, id non cõfiteri. Hieronymum Gallum fero in oculis. Gregorium Ferrarium uel ex illa oratione doctum quoque hominem eſſe iudicaui. utrique meo, & Argentarij nomine ſalutem. Tu uale, & nos ama, ut facis.
Vriæ. prid. Cal. Oct.

Scipioni Antelmo, Aſtuneum. CCXIX.

EVridices epigramma remittam, ſi latinum facere, poſsim, ut uolo. Nunc, affecta ualetudine ac uiribus, ualde mihi diſplicebam; idq́ue prædixeram fore, quum ad me fuiſſes: & rectiſsimè à doctis omnibus difficillimum putatur, hoc genus. Cætera uel εὐριπίδου uel aliorum Iacobo reddes Bouio, cui ſpero non σολοικιζόμενα prorſus uiſum iri. Saluere meo nomine illum iubebis, & expectare, dum à ualetudine uidebor mihi eſſe firmior. De me uerò atque iis, quæ loquuti ſumus inter nos, expectabam, quid actũ

eſſet, nec ſanè diu pendere animi, uelim. Prolixa fore putabā omnia ex tanto concurſu, quem domi Bouiorum ſuperioribus diebus ad me factum noſti. Ego tantis hominum precibus, querela, & proximè literis etiā quotidianis fieri non potuit, quin mouerer. Nūc unus euertit omnia? & unus, et is, quem ego minimè putauiſſem? Hoc accipe, ut uoles: equidem non potui adduci, ut crederem niſi Bouiorum literis. Illo biduo quo apud uos fui, ſeorſum illi dicebam, haberi à me in illo negocio rationem ſui; id quod multi fortaſſe cognitū ægrè tulerunt; & nuper domi meæ, hæc ſe negligere aiebat, & alia cogitare, ad quæ meam operā rogaret. Reſpondi me tempus libentiſſimè obſeruaturum, ſiquod poſſem. Denique, ita à me tum diſceßit, ut credere me uellet eiuſmodi ſuam uoluntatem, & quæ ſemper antè credidiſſem. Nūc uerò ex illius uel mutata mente, uel cogitationibus tum occultatis, me tuo, nequid mihi faciēdum ſit incoſtāter, ueriùs quàm ſuperiore anno, quum fides mea requirebatur, quam ego nemini dediſſem. Sanè ſum perturbatus, & mori centies malim, quàm offenſiones animi tales, aut maleuolentiam ferre. Videbis, obſecro te, ut hæc auctoritate alicuius, et allegatione, ſiqua poteſt, corrigātur. Hoc niſi fiat, ut meum quidem hunc animum reſpicere nolitis; rem tamen ueſtram quoque uidetis hoc anno maximas habituram difficultates. Sed quàm ſapientiùs uni mihi obtemperauiſſem. Nunc mihi integrum eſſe uellem, perq́ue uos aliud conſilium capere liceret. Quantum me amas, cogita, nequod moleſtiarum

rum genus mihi nouum paretur. Iacobus mihi in officio ſit, perquam uelim. Expecto de iſtorum, quos dixiſti, uoluntate ac tota de re quàm primùm à te literas. utinam ea refrixerit. Vale. Vriæ Pri. Non. Ian.

Camillo Petrarolo, Aſtuneum. CCXX.

EXcuſatione tua illud perfectum eſt, quod maximè cupiebam, ut mihi te non moleſtè operã dediſſe cognoſcerem. Etenim uerebar, nequid feciſſem temerè, qui tempus et laborẽ, te impertire meis rebus, tua in me beneuolentia fretus, rogauiſſem. Intelligo autem nunc te, quantum laborauiſſes, etiam pœnitere, & operam à te mihi rectè diligenterque nauatã mea (ut ſcribis) elegantia, non ſatis dignam putare. Ago igitur tibi de egregia tua in me uoluntate atq; officio gratias; à teq;, mihi ut ignoſcas, peto; et me ad referendam gratiam, uel cumulandam credas paratiſſimũ fore. Scio enim, & neceſſe eſt, primùm, quãtum in eo laboraueris, id omne de tuis ſtudijs atque negotijs eſſe detractum: deinde uerò ſic habeto, nihil me credere fieri poſſe melius, uel ad nimiam fortaſſe meam diligentiam aptius. Quare nihil eſt, quod excuſes, qui plus etiam præſtiteris, quàm mihi ueniſſet in mentem poſtulare. mea enim ſcripta magis nunc amo, quum ijs admirabilitas quædã acceſſit manus ac literæ tuæ. De communi autem negotio dederam literas ad Antelmum, quid fieri iam placeret. aſſentiebar enim antea, quòd à principio de quorundam uoluntate hominum celatus eſſem, aut fortaſſe nemo

ueſtrûm diuinare potuiſſet. Hoc tamen Antelmus ridet: & , ut eſt homo noſtri amantiſsimus, undique ſpem afferre, & perſuadere mihi conatur, quod non poſſum intelligere. Me quidem hæc ualde perturbârunt, qui uidere iam uideor, quod uobis doleat, & mihi ſit per magnam hoc anno moleſtiã allaturũ. Quare uidebitis, maturè quid fiat. Ego uos nil aliud, quã amare poſſum; teq; mi Camille, ut mutuò me ames, rogo. Vale. Vriæ.

Aldo Manutio, Romam. CCXXI.

AVeo ſcire de literis, quas menſe Sextili ad te de deram. perlatas Romam, non eſt, cur dubitare poſsim. uideo enim aliquid eſſe reſpõſum ad quæ Marcellus frater meus Annibali Paulino ſcripſerat. Eundem in faſciculum coniectæ erant ad illum fratris, & meæ ad te patremque tuum literæ: de ijs tamen adhuc audio à uobis nihil: ſanè uolebam ad te perferri, illa enim cum epiſtola miſeram inſcriptiones antiquas ex mandato tuo, quàm multas potui: doceri cupio de ijs, quid acciderit. Patrem tuum ſaluta meis uerbis. mirificam illius in me uoluntatem ſemper, præcipuè tamen proximis ex literis cognoui: uelim, credas, nihil putaui ſcribi poſſe amantius. Illi gratias egi ſtatim; uereor tamen, ut literas eas acceperit. hoc etiam, oro te, mihi quãtulum eſt, extrices. De illius antiquitatibus ante triennium aliquid expectabam, ſed quàm de ijs uerbum diu nullum: tàmen ego moleſtus non ſum, nec ſcrutabor ſiquid is no

lit.

lit. Hoc ſi ita eſt, mihi ne à te quidem nunciari uolo quicquam. illas enim legi cupio, ipſi quum uidebitur. Vale. Vriæ. prid. Cal. Mart.

Paulo Manutio, Romam. CCXXII.

IAm ne Aldi quidem noſtri ad me ſunt literæ. ſcirè hoc te uolui, ſiquid ab alijs fortaſſe peccatũ ſit. noui enim ego amorem tuum. Itaque in ijs culpam eſſe arbitror potiùs, qui literas accipiunt uel meas, uel tuas, uel utriuſque noſtrûm. ſiquid eiuſmodi ſit, reponam, quæ amiſſa intelligam. Vehementer cupiebam eſſe perlata, quæ mihi Aldus mandauerat: nũc mea, et illius ualde ſcire intereſt, ſi de literis quid accidit aliter, ac uoluimus. Tu uale, itaque tibi perſuade, neminem eſſe, quem uel magis amẽ, quàm te; uel cui me uelim eſſe cariorem. Vriæ.

Carolo Bouio, Aſtuneenſium Pont. Tridentum.
CCXXIII.

CRebriores equidem ad te meas uellem eſſe literas. uideo tamen, quantoperè ſis occupatus. Itaque diu nolui (quum præſertim graue nihil haberem.) obſtrepere tantis cogitationibus tuis. non ignoro enim, quanta ſit res tali tempore iſtum locum tenere. Quapropter confido hactenus eſſe nihil, quod mihi à te ignoſci cupiam: hoc tamen ſi tu non ita iudicas, idque ego poſſim ſcire, multa poſthac reponã. conſtantiſſimi quidem amoris in me tui, non eſt, quod ullos quæram teſtes. illa enim, memoria teneo, quæ

accipio, ut minimè ingratus. Me uerò frater tuus, ut redirem ad ſe, quum ſuperioribus diebus uehementiſſimè rogaret, per meam denique in te obſeruantiã obteſtans ad ſuam uoluntatem adduxit. Viderat homo acutus tãtam apud me, non auctoritatem modò, ſed uim quoque eſſe nominis tui quandam, ut ea ſit ſola, cui ego repugnare non poſſim. uicit illo modo & uoluntatem, & res grauiſſimas, quibus implicatus tenebar. Nihil erat aliud, quod ad te ſcriberem. nimium uerò hoc ipſum attigi. ſcribebam ſuſpenſus, ne quid interpellarem te, minimè uacuum iſto in concilio orbis terrarum. Ignoſces tamen amori meo. ergo ad illa, ſi pateris. Per inſaniam & ſcelus turbatum: inuidia tamen & odium fingi tantum aliud non poteſt. Plures loquuntur mecum, & liberiùs, ut cũ eo, cuia nihil intereſſe putant. odoror ego plura. honeſti & boni uiri ſic exiſtimant, hîc ſolam nobis metuendam eſſe humanitatem. Ignotum quoque antea, quibus non oportuit; indè audaciam iſtis ac ſpem eſſe iniectam impunè lædendi. Amicos etiam nunc illos eſſe, qui lædere ante conati fuiſſent. ſed ego ariolor. ijs enim, quos amo, conſilium non deeſt. Tu ſaltem ſic interpretabere, ex his quæſitum eſſe à me argumentum ſcribendi. etenim aliud erat nihil dignum literis. Porrò mihi turpe iudicabam ab eo tempore, quo abeſſe reip. cauſa cœpiſti, nullum huiuſmodi aduerſum te fuiſſe officium meum. Vale.

Sed penè illud præterij, quod multis antè diebus cogitaueram; tibi Scipionem Antelmum commendare.

dare. aſſirmo dignum eſſe illum, cui proſpicias. Res nunc eſt eiuſmodi, quam uidet non à te peti debere; ſed neminem habet alium, ad quem reſpiret. Calumnijs ab aduerſario fatigatus, nihil tāti iam putat eſſe, ut tam diuturnis laboribus, tantoq́ue ſumptu redimendum ſit. Vide, oro te, ſiquid fieri poteſt. hîc eò ſum breuior, quòd ea de re accepiſſe te credo literas illius. Denique ſic habeto (nequid uereâre) me alium tibi poſtac neminem eſſe commendaturum, niſi ſi cueniat, ut Camillo meo Petrarolo neceſſaria apud te ſit opera mea.

Petro Perpiniano, Romam. CC xxiiij.

HVmaniſsimis tuis literis ualde ſum adiutus, ad quæ mihi dubia uideri ſcripſeram. Credas mihi hoc, licet homini minimè blādo, & qui illis de rebus, quid exiſtimandum ſit, ignorare nolim. Mihi enim à te ſatisfactum ſi non eſſet, quum tamen rectiſsimè te in Peripateticorum & M. Tullij doctrina, excellentiſsimeq́ue uerſatum eſſe, et acceperim à fratre meo, & ipſe in tuis cognouerim literis; profectò nunc illud cogitarem, ignorare non poſſe te ea, de quibus ad te ſcripſi. Itaque fretus humanitate tua iiſdem de rebus iterum te rogarem, ſiquid à te meis fortaſſe in literis erratum eſſet. Nunc uerò eſt, quod magnas agam tibi gratias, qui doctiſsimè ſimul & luculēter ſcriptis ad me literis, nihil reliquiſti, quod me ſuſpenſum ampliùs tenere poſsit; & quidem illa ſcripſiſti,

quæ ad meum ſenſum per mihi uiſa ſunt eſſe accommodata. Non enim ego his de rebus nihil antè ſentiebam : ſed an rectiſsimè ſentirem, ex doctiſsimorum hominum iudicio ſtatuere uolebam. Aliquem uerò tanta doctrina, tāta denique modeſtia, qui non è ſummis admirandiſque hominibus, alterutrum ignoret, aut contemnat, mihi non facilè erat inuenire. Itum eſt ergo ad te, quem de ſermone fratris mei primùm, deinde tuis de ſcriptis, hominem eſſe multo doctiſsimum cognoui : ſcripſi autem ſubitò, nec ſatis accuratè ad te literas. Quare animaduerti etiam, admonitus, quædam ſcrupuloſè, nimiſque ſubtiliter quæſita eſſe à me ; quæ prudenter tibi ex aliarum explicatione rerum intelligi poſſe uiderentur. Sic igitur ex his rebus te uelim exiſtimare, me tibi deuinctum eſſe, memoriamque nominis, ſcientiæ, ac uirtutis tuæ, in omne tempus conſeruaturum. Colere enim ſoleo omnes doctiſsimos homines, ut nullos Romæ, paucißimos in Italia eſſe ſciam tui ſimiles, quibuſcum amicitia mihi non ſit, aut uſus literarum. Ad te uerò diligendum impulit me eadem, quam tibi cęteris cum eloquentiſsimis omnibus communem eſſe cognouerā, ſimilitudo ſtudiorū, ſingulariſque doctrina: ſed multo magis etiam uitæ genus inſtitutum, & conſtans fama continentiæ, & ſanctitatis tuæ. Cupio tibi ſecunda omnia euenire, ad quæ cœpiſti, uel de ſtudijs ad Romanam linguam, bonaſque artes omnes excolendas; uel de ſumma uita ad cœli uias omneis rectiſſimè perſequendas. Scribes, oro, ad me, quoties liceat

per

per ſtudia ac moleſtias tuas, quas intelligo ex tuis literis eſſe ualde graues. Literas ad me perlatas exiſtima, ſi eas in Pauli Manutij domum, aut Annibalis Paulini miſeris, eius cui proximas dediſti. ſcribit enim ſępius hic publicis de rebus noſtris. Vale. Vriæ. prid. Kal. apr. 1563.

Franciſco Girardo. CCXXV.

QVum eſſet nemo, cui ad te darem literas, quoti die me Ambroſius pictor, ad tuam epiſtolam ut reſponderem aliquid, rogabat: quum uerò illi Floralibus iter ad uos accidiſſet, omnia feciſſe uidetur, ut de ſuo me diſceſſu celaret. Denique rem fecit ſanè leuem, nec ſuperiorum dierum ſedulitate dignam, & quam apud te ne ipſum quidem arbitror negare potuiſſe. quid enim reſponderet aliud, quum tu illum de meis literis rogares? Equidem illi magis crediderā, quòd me rogauiſſet etiam, ut ſuum tibi filium ualde commendarem. Vtcunque tamen, & puerum tibi cōmendo plurimùm; & reſpondiſſe mihi uideor, ad quę multis antè diebus à me poſtulaueras. Non potui maturiùs, nec tamen dubito excuſare te imbecillitatem ualetudinis, moleſtias, labores, & occupationes meas. Confido etiam fore, ut ex paucis, illa quoque intelligas omnia, quæ huiuſmodi de rebus docti homines quidam uerboſiùs tradiderunt. Ipſe tamen diuinare me uoluiſti quædam in epiſtola tua, quæ diceres Palliam ex me audiuiſſe. ſiqua mihi præterea ſunt cum illo communicata, nunc quidem non ſa-

tis

tis recordari poteram: petendum erat nominatim, ſiquid præcipuè uelles. nunc fortaſſe plura ſcripta ſunt, quàm uolebas; aut prætermiſſa, quæ non oporteret. Quare ſcribes ad me, ſiquid mea ſcripta nunc aberraſſe à tua uoluntate cognoueris. non deero ſtudijs tuis, quum per labores licebit. Manūtio, de quo me rogas, grauiſſimis in rebus occupato, non uacat aures cuiquam dare. Itaque Roma non ſępe ad me ſcribit, ut antehac Venetijs. Qui uidere illum cupiunt, equidem eos miſereri malim hominis laborioſiſſimi; idque is maximi loco beneficij putat. Ad illum anno ſuperiore meum fratrem, doctum iuuenem, & à ſordidis noſtrorum hominum literis ualde alienum, uix mittere audebam. Habenda enim eſt ratio ſtudiorum ſummi uiri, & illi nolim doctrinas & ingenia hæc noſtratia oſtendere. Quid quęris? multos hinc habeo ſubiratos; ſed mihi tanti non eſt eiusmodi hominū gratia, ut uelim homini ſapientiſſimo ſtultitiam probare.

Donato Argentario. CCXXVI.

AMo enim te, nec perire uolo, ſiquis eſt à me honos habitus generi Argentariorum. Patrem tuum clariſſimum uirum, & ſanctiſſimum hominem, habui inter caros; nec tempus eſt ullum, quo uirtutem illius, ac ſuauitatem non recorder. Itaque ſæpius libenter feci, ut nomen familiæ & maiorum tuorum meis ſcriptis, quoad poſſem, honorificè uſurparem.

parem. Sed ſtatues ipſe, ut uoles; ego verò (quoniam in tempus alienum incidi) ut poſſum, ac debeo. Sic enim antea putabam, neque id ſtultè, rem communem & tantę vetuſtatis non poſſe uni alicui integram uideri, in qua præſertim nihil corrigendum ſit. Verùm eſto, ut uoluntas fert cuiusque; mihi certè (ut ante biennium ad te ſcripſi) totam rem uides eſſe impeditam. Curare me iſta etiam, meus in te amor cogit: ſed uenio ad literas tuas. De fratris mei negotio, ad iſtos (ut ante admonui) nihil eſt, quod poſſim ſcribere. nihil enim à te aliud mihi nunciatum, eſt, niſi optimam eſſe illius cauſam. Satis quidē hoc, & rectiſſimè tu ad amicum; ad iniquiſſimos uerò homines ego ridiculè & impudenter. ſcribendum his de rebus erat ſubtilius; quod ſi facies, uidero, ſiqua mihi ratio ueniet in mentē. Etenim, ſi cauſa eſt, ut ſcribis, aduerſarijs nolim ſupplex uideri. itaque ueſtras expecto literas. Ages tu ita cum fratre meo, ut intelligat ſeruire huic negotio uel ſanguinē oportere. meminerit ante decem annos, ut ludibrio habiti ſimus, ut etiam hoc ipſo anno circiter id. Nouemb. nunc denique reputet nobis fore nihil maſtigiarum triumpho turpius, aut fœdius. Proinde conſilium ædificandi cæterarumque rerum omnium, aliud in tempus differat; & nunc uindemiolas omnes ad hoc negotium conferat. Si neceſſe uidebitur, mea etiam prędiola, & ipſas mehercule Aquas Germanas proſcribi uelim. Sic enim intelligo ex huius rei exitu conſtituendum fratri, an hoc regno improbiſſimorū, quod

ſuſpica-

ſuſpicamur fore diuturnum, liberi hominis loco eſſe poſsit. Præterea enim, ſtulti etiam dementesque ſimus, neceſſe eſt, ſi uincimur. Nam quis, aut quotusquisque recta hominum conſilia magis, quàm euenta rerum putat eſſe ſpectanda? Vides ergo non defuturos eſſe uel inimiciſsimos, qui hæc inſolenter iactent; uel ſimulata ſapiẽtia ſtultos quibus facilè perſuaderi poſsint. Ita ſi eueniat, ut ne dicam grauiora, & honorum curſus aliorum impeditus eſt fratri, et euerſę collegij rationes, quibus mederi aliqua ex parte cogitabamus. Tu hanc epiſtolam ipſum quoque ad meum fratrem eſſe ſcriptam arbitrabere. Vale. Nonis Iun.

In literis, quas à te mihi Spinulæ poſtea reddiderunt, nihil erat, ad quod reſponderem. Vt mandas, ad Palliam ueteres nummos curabo perferri.

Marcello Fratri, Vriam. CCxxvij.

DE tuis rebus dederam pridie ad Argẽtariũ literas. is enim pluribus me uerbis fuerat cohortatus, ut iſtis hominibus declararem, qualis mihi tua cauſa uideretur. Reſpondi, quod res erat, me rudem eſſe rerũ omnium, nec uno uerbo adhuc de controuerſiis uel de iure admonitum: omnino uerò ſcribere ad homines inuidiſsimos, de re odij plena, mihi non multùm placere. faciam tamen, ut uos exiſtimabitis conuenire. Sin incipiat non diſplicere uobis conſilium meum, illud ẽt recordabere mo-

ri ſatius eſſe millies, quàm unius ex inimicis inſolẽtiam ferre. caue enim, iſti ſi uicerint, iſta in urbe tibi uiuendum eſſe arbitrêre ampliùs. Tabellario Spinularum dedi literas, quibus id, quod petebam, ſcito mihi non eſſe neceſſarium. is tabellarius, eo ipſo die ſe affirmabat cum Fabritio & ijs, quæ à te petiueram, ad nos eſſe rediturum. ſex diebus illum fruſtra expectaui. Miror, quod certum ad me tabellariũ non miſeris. hoc enim erat meis in literis præcipuum, ſummiſque à te precibus contendebam. Itaque ſum arbitratus aliquò exiſſe te iſtius negotij cauſa. hoc ſi ita eſt, ſcribes ad me, quum redieris. Vale.

Ioanni Antonio Palliæ. CCxxviij.

MEA epiſtola, de qua per Gryphonis fratrem ſcripſiſti, manu pueri fuit. miratus ſum hoc te ex litera non cognouiſſe. ego etiam ad tuas literas quum ſubitò reſponderem, non ualde quid egiſſem recordabar. Nunc & ipſe ſcio, & puer etiam de palimpſeſto à ſe deſcriptam eſſe epiſtolam reſpondit. Eſt porrò illis hoc uitium, ut alijs literis, quàm oportet, negligenterque deſcribant omnia. Epigramma petit à me, tuo nomine Argentarius, quod olim ego de Catullo, aut unde? græcè uerterim. neſcio, quid hoc ſit; nec uideor adhuc mihi hoc genus attigiſſe. Illud enim, de quo ſępius ad me ſcripſiſti, βάρβαρα πυραμίδων, nec probaui unquam; &

mi Pallia, credas mihi uelim, in ſchedis meis omnibus fruſtra ſæpius eſſe perquiſitum. De ſermonis græci & latini copia, quæ (ut ſcribis) noſtri amici Venetijs diſputabant; ita accipio, ut quæ ſcribere, nō auderent. ego neutram in partem conſtituo, quid ſentire oporteat. Quod etiam Theodorus Gaza ipſum quoque M. Tullium non ualde putet hîc eſſe audiendum, ne id quidem uidero. illud equidem exiſtimo, non græcis tantùm auctoribus in latinum uertendis, uniuerſa hac de re poſſe iudicari. quis enim Theodoro nō aſſentiatur, noſtra hîc nō ſuppetere nobis omnia? At contrà periclitandum eſſet, & rectiſſimè uidendum, quid accidat, ſi non philoſophiam, aut quæ ipſis à græcis inuenta primùm, cultaque ſunt, latina faciamus: ſed aut T. Liuij hiſtoriam, aut Ius ciuile, aut quæ ipſi nobis Romani quondam pepererunt, græcè transferamus. Hîc errat, qui me alterutram in partē putat habere, quod ſentiam. Arbitror autem neque M. Tullium ex paucis omnino uoluiſſe, neque Theodorum, aut alios, tantùm ex græcis in latinum uertendis, utra maior copia ſit poſse iudicari. Scribis dixiſse me in eadē epiſtola, maiore exiſtimatione latinam linguam eſse hodie, quàm ſaluis rebus Romanorum fuiſset. Hoc ego, mi Pallia, neque dixi adhuc, neque dictum uolo. Sin illud miraris, quod fieri non poteſt, ut ne dixerim, lumen eam, atque ueluti ſolem eſse quendam nunc humanarum ac diuinarum rerum omnium, magiſque neceſsariam cunctis mortalibus, quàm illo florente imperio; debet hoc re-

ctiſsimè

ctiſsimè dictum uideri. Lingua enim omnis tum neceſſaria magis eſt, & illius cauſa grauior, quum habere incipit maiora et grauiora, quæ cum alijs communicare debeamus. Nemo igitur ita inſaniat, ut hominum commercia, aut Romanorum imperium, aut in terris, aut ipſo etiam in cœlo putet aliquid eſſe tantum: quantæ leges Chriſti ſunt, quæ illis temporibus in Romana lingua nō fuerunt. Humanas uerò diuinasque leges omnes, & quicquid ad humanio rē uitæ cultū pertinet, non poſſe omnino cū gentibus externis cōmunes eſſe, niſi hæc noſtra lingua adiumēto ſit, quæ uel in tota Europa intelligitur; non uideo, quis audeat negare. Siquādo etiā ante mūdi huius interitum felix aliquod cælo nobis lumen affulſerit, ut in Aſiam religio noſtra, in Africam, atque Aegyptum redeat; non dubium eſt, toto in orbe terrarum ſermonis quoque latini conſuetudinem ſempiternam fore. Dementiæ enim eſt, hanc linguam, diuinas à principio leges complexam, putare non religione eſſe conſecratam. Stupiditas eſt inuſitata illorum omnium, qui uſum latinæ linguæ, tolli ſine religionis interitu; aut religionem ampliari ſine huius propagatione linguæ poſſe arbitrantur. Siqua ſunt illa in epiſtola huiuſmodi, ſcito à meo & grauiſsimorum hominum ſenſu nō abhorrere: at maiore exiſtimatione latinitatem eſſe hodie, quàm olim fuit, non dixi unquam; eſſe autem debere, nihil eſt, quod uerius ego, & omnes homines queant affirmare. Quod cupis mea ſcripta quàm primùm in manus hominum

minum

minum uenire; agnoſco amorem tuum, & opinionem, quam præ te tuliſti ſemper, nimis fortaſſe magnam, ingenij ac ſtudij mei. Sed acceperam his de rebus, multo antè literas: quibus literis, etiam ſi rogarer, trigeſimo tamen abhinc die reſpondi, uelle me rogata facere, ſi darent mihi fidem: ea litera meos libros fore, quam ego maximè uellem. Credo operam daturos, quò mihi ſatisfiat; & quum certi erit aliquid, ad te ſcribam. A Manutio adhuc nihil, quod tua ualde interſit ſcire. Aldo eius filio petenti, debeo inſcriptiones antiquas, aut Apuliæ, aut Salentinorum. miſi ad illum quidquid eſt hactenus inuentum. tu etiam cogita, mi Pallia, ſiquid me potes adiuuare. Italiam Ruſcellij cupio abſolui, & noſtram illi Vriam eſſe commendatam. obſecro te; aliqua etiam ſit meo nomine ſalutatio ad illam in literis tuis. Quæras, uelim diligenter, an Vriæ τοποθεσίαν is à me acceperit. non difficile eſt ſcire, & uereor iam aliquid, nec animum ſatis probo illius, ad quem ſcribis à te miſſam. Temerè uelim hoc à me cogitari. fac doceamur ipſius ex Ruſcellij literis. Amo equidem te, ut magis neminem; & gaudeo meam tibi beneuolentiam non eſſe obſcuram: ſed tribuito tamē meam opinionem, ac laudē doctrinæ tuę, recto iudicio, non amori meo. Nam, quod ſæpe etiā genus orationis probaui tuum, idque mihi tu non aſſentiris; hîc aut laudem neceſſe eſt modeſtiam tuā, aut moneam, γνῶθι σ'αὐτον, excellenſque bonum tuum ut agnoſcas. Illa enim, quæ mihi placet uehementer

menter, & à doctis laudata eſt Xenophontea ſimplicitas, aut in pauciſsimis præterea, aut in te uno potiùs uidetur eſſe pulcherrima. Tu ita hoc accipias, ut uelis; ita uelle cupio, ut oportet. Ferrarium ſaluta, & Gallum meis uerbis. Vale. Id. Iun.

Donato Argentario, Vriam. CCxxviiij.

NON diuino, quid me corrigere uelitis. nõdum conſtituo, quibus ego rebus cauſam euerterim. neſcio, quid poßim adiuuare. non intelligo, qua de re, uel ad quos me ſcribere oporteat. Dictum à me, undè aduerſarij, nullam putet noſtram eſſe cauſam. ineptias hominum. Eſto enim, ego dixerim, quod nõ dixi; meùm ne tamen hîc iudicium eſſe debet, mea ſententia? non inquis, hoc dico. At ego non inuenio, quid tam ſcelerati aliud egerim. ita enim ſcribitis, quaſi non iure, ſed meo dicto res tranſigenda eſſet. Hoc ſi eſt, iurabo contra leges me loquutum. Inſanire uideor mihi in re tam plena inſulſitatis. Dementes tamen, qui ſe adiutos credunt ſententia mea: timidi (nequid grauius dicam) uos, qui tam uehementer ex eo eſtis commoti. Sed perpetuum, & uetus eſt crimen hoc lenitatis, ne dicam ſtupiditatis meæ, ut propinqui mei ſe querantur ſæpius, à me occiſos eſſe. nullum eſt uel damnum uel calamitas, quæ ſibi ijs non ex me uideatur eſſe nata. ſed aliquãdo uiderimus. Literas uerò meas reddere oportebat ijs, ad quos erant ſcriptæ; quibus literis nihil arbitrarer

mihi glorioſius, nihil ipſi fratri meo ſalutarius. ſcripſiſſem illo more ſæpius, & fundamenta mihi quædam ad res cæteras iecißem. Nunc factum ſuſpiciosè, ut aperirentur; moroſè, ut nō placerent; incommodè, ut celarentur. diſiuncta omnino iudicia; diſiunctæ uoluntates. Verumtamen, oro te Argentari, & obteſtor, ſic ad me ſcribitote, quaſi nōdum aliquid ſciam. ex ueſtris enim literis mihi conſtituendum eſt, quid, ad quos, & in quæ uerba ſcribere me conueniat. Denique, ſiquod eſt meum in ea re crimen, quod non intelligam, facite, ut ſciam. Et quoniam profectò mirari debeo uehementer, mihi tantum eſſe auctoritatis, ut cauſam non iudex, nec ſententia, ſed opinione falſa ſententiæ meæ adeò læſerim; hoc mihi, quale ſit, etiam explicari uolo. Vultis enim prodeſſe aduerſarijs, quum dicunt arbitrari ſe ita Quintum loqui: nihil uobis prodeſt negare aliquid ea de re à Quinto dictum eſſe? Illi falsò dicunt me de ſua cauſa rectè ſentire: uos autem uerè dicere non poteſtis, me nihil credere, ſe, & illa, & ſuis concilijs omnibus magis eſſe profligatum? Ne illud quidē prodeſt, eius rei iudicium mihi à uobis non eße datum, aut credi non oportere? Noli quærere Argentari, nihil magis in uita riſißet, cui non dolendi ſimul tam iuſta & uehemens cauſa eßet allata. Denique tamen, quando uulnus per me factum dicitis, ſic habetote, quale hoc ſit, & qui curari debeat, me non facilè eſſe intellecturum. Itaque pluribus uerbis, ac ſubtiliter, & nihil αἰνιξαμένους, uos

de

de re tota ſcribere oportebit. Tu uale, et cogita, núm-
quid poßis adiuuare. Tædet querelarum.

Carolo Bouio, Aſtuneenſium Pontifici,
Tridentum. CC xxx.

SI uales, gaudeo: nos ualemus. ego te, & tuos hîc obſeruo. Deerat nunc mihi argumentum ſcribendi. Tu, quod nihil ad me dederis, ignoſco. occupationes, laboresq́; huius anni tuos, tota penè uidit Europa: nunc ſcio defatigationes eſſe maximas. Hoc ad te ſcripſi præterea, ne tam diu nihil ſcriberem. Quantùm me amas, tamen oro, ſiquam potes ad me literam. Vale.

Carolo Sigonio, Patauium. CC xxxi.

NIhil erat, quod ad te ſcriberem. hoc igitur ſum coactus nullo propoſito argumento. Res enim certa, aut literarum genus, poſtea non uidebatur, quod magis expectarem. Quare, amoris eſſe credes in te mei hoc ipſum, quod ſine meis te eſſe literis non ſum paſſus; tametſi aliquid non inuenio, quod ſcribā. ineptus enim uideri malo, quàm oblitus tui. Admiratio quoque ingenij, ac doctrinæ tuæ, et eſt iam uetus, & nunc maior tuis ex monumentis literarum. Sed iam plura, quàm uolui. Mihi enim eſt ſatis, illud ſi intelligas, quanti te faciam & fieri à te cupiam; & literas ad me tuas magnum argumētum fore, aliquo loco eſſe apud te amorem meum. Vale. Vriæ.

Ioanni Antonio Palliæ. CCxxxij.

SCire cupiebam, an ad te ſint perlata, quæ ſcribere me uoluiſti de controuerſia Aſtuneenſium Pontificis (ut ipſe arbitrabâre) cum uirginibus. oſtenderā pluribus, cuiuſmodi eſſet, & ad quos denique res pertineret. Ea de re nulla ſignificatio erat proximis in tuis literis. uidebis numquid aliter, ac ſperatum ſit; ádmeque perſcribes. Quæ dubitas in epiſtola mea, ſunt minimè obſcura. ſola enim imperij maieſtate olim uel Romani, uel Græci fecerunt, ut ſua lingua publicè etiam ab exteris gentibus tanto in honore haberetur. Nunc tamen utranque æternam eſſe neceſſe eſt, illam grauitate et amplitudine ſcriptorum: noſtram uerò & iiſdem rebus, & ſanctiore etiam, atque auguſtiore imperio, quàm olim fuit. Romæ enim imperij ſedes Pontifici Maximo diuinitùs tradita eſt: qualis ea cunque nunc uidetur, non terrarum finibus, ſed cœli regionibus terminata. Hinc ea lingua ius Pontificium, ſacra, ritus, ceremonias, & quicquid ad religionem hanc tuendam pertinet, & leges dantur exteris nationibus, qua ſola perfici res tantæ poſſunt. Nam aut latinitas præterea hîc ſola tenenda eſt, quam beneficio Populi Rom. in plurimas orbis terrarum partes miſſam, religio, tota ſaltem in Europa confirmauit; aut nobis barbarorum omnium linguæ omnes perdiſcendæ. Quò enim putamus hoc Pontificis Maximi imperium, & leges, & ſummam religionem eſſe euaſuram, ſi noſter ſermo

com-

communioq; linguæ auferatur? Hoc igitur dicere uolebam; ſiquo in tempore nos tam diu miſeri atque abiecti clementiore cœlo uti cœperimus, ut religio noſtra eò reuertatur, undè eſt iampridem à barbaris eiecta; non dubium eſt noſtram linguam eôdem eſſe redituram. Hîc tu exiſtimare te ſcribis, in Græciam poſtliminio græcam potiùs receptum iri. Si pateris, adiuuo ſententiam tuam, ut linguas antiquiſſimas omnes credam (ut nũc ſunt) magno ſemper apud nos etiam loco futuras. Iudæorum oportet eſſe ſacram, neque finem eius ullum uideri. Chaldæorum plurimi ſit à noſtris etiã doctis hominibus, hodieq́ue patet latiſſimè apud ſuos. His exceptis, confirmo fore, ut donec erunt homines, alia non ſit, quæ digna exiſtimetur ijs rebus omnibus, quas ante nominaui. Aſſentirer eſſe quaſdam, niſi etiam tanta eſſet Romanorum; nec illius tam alta fundamenta in rebus omnibus grauiſſimis, ante duo milia annorum iacta eſſent; nec iã altitudine ſua cœlum attigiſſet. Dubitare te ſcribis, quid putes futurum, noſtra religio ſi in Africa renaſcatur. Hîc ſignificas mihi, quod ad latinam linguam propagandam attinet, magni ducere te, quod imperium hodie non ſit ampliùs Romanorum. At Romana lingua minùs omnino, quàm Romani, carere poteſt hoc imperium Chriſti, & religionis: cuius cognoſcendæ cauſa nationes multæ, illam ſunt amplexatæ, quam antea à Romanis cum imperio allatam reſpuiſſent. Quod enim ipſi orbis terrarum principes non potuerunt, hoc religio ſola potuit efficere; ut Britan-

ni,Celtiberi,Cantabri,Germani,Sueui,Heluetij,Dalmatæ, Pannones,tãquam cœleſte donum, receperint hanc linguam:& re uera ex uſu illius,auctoritateq́; eorum, qui illam afferebant,cœleſtem eſſe cognoſcerent. Non enim, quemadmodum Italia,Hiſpania, Gallia, & nationes aliæ quædam;ſic gentes illę,quas numeraui,quem hodie ſeruant latini ſermonis uſum, de Romani potius imperij, quàm de religionis & iuris Pontificij & ſacrorum communione illum acceperunt. Dubitari ergo una de gente non poteſt,quum ſciamus,tot aliæ nationes maximæ,quid rectè neceſſarioq́ue magiſtris religionum iubentibus, numineq́; diuino inſtinctis,fecerint.Huiuſmodi de rebus tamẽ, ſiquis uerè & grauiter iudicare, aut loqui uolet; eius ego libentiſſimè ſententiam ſequar. Nunc illud affirmo hac de re nihil à quoquam diſputari aliquando debuiſſe, & nimiam hactenus patientiam fuiſſe latinorum hominum, & à laudatoribus mulierum (nequid putes eſſe,quod plurimi à me diſſentiant)nihil rectè hîc eſſe cogitatum. De inſcriptionibus longum eſſet dicere,quas à te acceperim: ſic tamen habeto, mihi fore nouas, quæ intra hoc biennium ad te ſunt allatæ. Ad Ruſcellium,ut uelle te cognoui,ſcribam,ſiquid ero nactus ocij.De Robortello & Sigonio aliquid iam antè inaudiueram. laudo, quod factum eſt. Ad Gallum ſiquid des literarum,illi èx me ſalutem aſcribes. Vale.

Aldo

Aldo Manutio Pauli F. Romam. CCxxxiij.

NImis diu iam, tuas deſidero literas. nullas enim à te ſcito mihi eſſe redditas, poſtquam à uobis rediјt meus frater. non tam ualde mirarer, niſi poſtea ſæpius ad te ſcripſiſſem. Quæ mihi mandaſti, curaui ſtatim. quæro adhuc, ſiquid præterea poßim inueni-re. mirum tamē ex urbibus antiquißimis, quàm ſint ueſtigia omnia antiquitatis amiſſa. Arbitror nō de-eſſe tibi, quibus idem Neapoli, Puteolis, aut Caietæ negotium dare poßis. Salentinos quidem, perinde ha bebis, atque ſi ipſe perluſtraueris. Reliqua etiam in Apulia uideor mihi poſſe affirmare, uix fore am-pliùs, quod tibi putem eſſe placiturum. uidero ta-men, & ad te ſcribam. Denique ſalua rep. ſcriptum aliquid, ſcias tā poſſe inueniri, quàm ante Reges Al-banorum. Quędam ad te miſi peregrina, quę niſi plu rimi ac doctißimi homines errant, ſcripta à Meſſa-pijs, fortaſſe etiam ante bellum Troianum fuerunt. Meſſapios quum dico, niſi Herodoto nolumus crede-re, meos ὑριέας ἰήπυγας μεσσαπίους ciues antiquiſ ſimos me dicere putabis. Illi enim Iapyges Meſſapij fuerunt, à quibus urbs noſtra imperij ſedes condita, & Apulę Meſſapia cognominata eſt; quæ uniuerſæ peninſulæ Iapygiæ nomen renouauit, nouam linguam & leges dedit, cæteriſque à Tarento ad Leucam ur-bibus imperauit. Eodem tamen eſt literarum gene-re lapis ad decimum ſextum milliare ab Egnatia; ſed fractus, ut omnes uideri literę non poßint. Ex op

pido Vaſta illud miſi etiam, quòd Paulo III. Pont. Max. Romæ erat, qui de Hetruſcorum lingua ac literis, neſcio quid Viterbij repertum, noſtro cum riſu diceret ſe interpretari. uidi etiam, quę Antonio Auguſtino perſuadere conabatur. Verùm tamen, obſecro te, ad me ſcribe quàm primū. uide enim, quid me cogitare uelis, tanto in deſiderio à te literarum. Patrem tuum non his tantùm ex literis mihi ſalutari uolo. ſemper commune ſit utrique ueſtrûm, ſiquid alterutri ſcribam. Vale. Vrię. prid. Cal. Sext.

Petro Perpiniano, Romam. CCxxxiiij.

ANnibali tamen Paulino habendam puto gratiam. non enim eſt oblitus omnino poſt longum tempus reddere tibi meas literas. Neapoli detentas uix unum aut alterum diem credidi: ignoſco tamen occupationibus, nec ſum illius officio ingratus. Nam tua mihi epiſtola maturè ut redderetur, curauit. denique poſthac illum nobis confido non defuturum. Verùm, quę proximè ſcripſiſti, ea mihi non iucunda ſolùm, ſed etiam ad quæ cogito, uehementer neceſſaria fuerunt. Etenim impediebar hominum auctoritatę doctiſſimorum, ne ipſe mihi ſatis crederem. Facio equidem, ſemperq; illos feci plurimi, quòd (ut ne dicam cætera) res maximè inuolutas & artes obſcuriſſimas primi apud nos pertenui aut nullo potius maiorum exemplo luculentiſſimè pertractârunt. Qūūq; patrum noſtrorum memoria etiam fuiſſent, quibus minimè aſſentiri poſſem; hunc certè, qui poſtremus

fuit

fuit omnium, et orationis cultu ac doctrinis maximè inſtructus: ab eo, quem doctiſsimi omnes, & ipſe unũ ſibi propoſuit, cuius maxima, minima omnia imitaretur; diſcrepare in ea re noluiſſem. Vtri magis credendum eſſet, non equidem dubitabam: ſed eodem modo plurimos, neque omnino ſtultos homines errare, mirum ualde mihi uidebatur. Nunc uerò, quum ſatis eſſe mihi potuiſſet uel odorari, tu quid ſentires, cui diligentiſsimè quæſita omnia, et rectiſsimè cognita ſciebam; rationes etiam ſcripſiſti & argumenta, quibus antiquiſsimam doctorum hominum ſententiam tueri poſſem. Quare tibi ago gratias, quod inertiæ quoque meæ conſulueris; & laborem detraxeris mihi uel quærendi, uel iis de rebus ampliùs cogitandi. Denique ſic ſtatuas, uelim, binis ex tuis literis amantiſsimè ſcriptis fructum cepiſſe me illum, quem ego maximè cupiebam; ut ſiquid rectè unquam feci, hoc nomine certè mihi placeam, quòd plurimi faciens doctrinam & ingenium tuum, ineundam eſſe mihi tecum amicitiam quàm primùm putaui. Quùm uerò ſummam quoque humanitatem, ſumma cum uirtute coniunctam in te eſſe perſpexerim, qui proxima etiam epiſtola tua ultro me docueris, quæ tibi præterea in mentem uenirent: ſpe non dubia ſum, te, ſiquid etiã poſthac acciderit eiuſmodi, libenter mihi eſſe reſponſurum. Quod autem de familiaritate, quę tibi cum Paulo Manutio nuper eſſe cœpit, agis mihi gratias: hoc uerò maximum putaui ſignum, minimeq́; obſcurum bonitatis cuiuſdam eximiæ, ac ſuauitatis tuæ.

Non

Non enim hoc mihi, ſed moribus ac ſtudijs debetur tuis, & ſapientiſsimi doctiſsimiq; uiri iudicio; qui te beneuolentia ac familiaritate ſua dignum eſſe cognouit. Equidem utrique ueſtrûm gratulor: &, quando te adiutum ad illius amicitiam à me credis, hoc uos ignorare nolim; repelli à me ſolere multos, quorum non modò agreſte ingenium & literas, ſed ne ora quidem homini elegantiſsimo uelim eſſe cognita. Tui uerò loci homines, mea eiuſmodi opera ſi forte indigerent, in illum peccare me crederē, niſi, quod in me eſſet, adiuuarem. Rogo te, ſalutes illum meo nomine: & excuſes, quod non ſcripſerim, qui ualde mirer etiam, hoc anno, multis literis meis Aldum nihil hactenus reſpondiſſe. Curaui enim, quæ uehementer ſe cupere aiebat; nec ſcio, illa an acceperit. Dedi præterea amicis negotium, qui Beneuenti, Capuæ, Neapoli, & in Campania quicquid eſſet eiuſmodi, ad me mitterent. reſpondent ſe diligentiam quantā poſſunt, maximam adhibere: foreq;, ut nobis cumulatè ſatisfiat. Facies hæc, ut ſciat: & quàm primùm ad me ſcribat, niſi quid me uolet ſuſpicari. ſiquid literarum ab illo accepiſſem, non uererer, inanis opera ne mihi ſuſcepta ſit. Monui enim, ex urbibus Campaniæ ſi quos mouere ad hoc amicos poſset. hîc enim funditùs extremumq; ad puluerem οἱ πρότεροι πόλιας καὶ τείχε' ἐπόρθουν. Valde utriuſque noſtrûm intereſt me non ignorare, quid egerit. Tu uidebis, obſecro te, num iſtic, aut uſquam intra ſuperiores duodecim annos in lucem uenerint aliūde centum triginta ſex

Quintiliani ſenioris declamationes, & me docebis. expectabam hac de re Aldi literas, quid pater illi reſpondiſset. Aliud, quod ad te ſcriberem, non erat. ſignificatione enim, quæ mihi poteſt eſſe maxima, perſpexi in me amorem tuum. Quamobrem, etſi non dubitas tu quidem grato homini operam à te eſſe datam: cupio tamen offerri mihi, undè expreſſiùs meam quoque ſummam in te beneuolentiam cognoſcas. Vale. Vriæ. VI. Non. Oct. 1563.

Carolo Sigonio, Patauium. CCxxxv.

SVperiores literas quum ad te ſcripſiſſem ualde ſolicitus, quòd ijs octo menſibus officio defuiſſe mihi apud te uiderer: ſubitò allatus eſt faſciculus ad me literarum. In ijs erant epiſtolæ tres: duæ, quibus multo ante, Manutijs reſponderam; tertia, quam ad te dederam. Quæris à me, doctiſſime Sigoni, quot ante diebus, eas dediſſem literas? diebus autem? immo uerò ipſis duobus annis, & quinque menſibus, paucis diebus, quàm reddita mihi erat epiſtola tua, quum Paulus Manutius nondum proficiſci Romam cogitaret. Illi enim Venetijs meas ad te literas commendabam, quas Patauium perferendas curaret. fortunam ergo uides literarum. Is, qui faſciculum ad me attulit, familiaris meus, aiebat Neapoli datum ſibi, & uſque ab Hetruria reportatum. riſi me, ut qui non deſiderari à quoquam poſſe officium ſcribendi meum gloriarer. Verùm eſto, ut fortuna tulit. neq; uerò eo inter nos animo ſumus, ut uel ego tibi fruſtra men-

tiar,

tiar, uel tu mihi non credas uera. Exemplum earum ad te literarum infrà ſcripſi. Vale, & nos ama. Vria VI. Non. Oct.

Clementi Valuaſſori Iuriſconſulto, Venetias. CCXXXVI.

ETSI dederam ſuperioribus diebus ad te literas, quibus de uoluntate animi mei, ut petieras, tibi reſpondiſſem: ſcribo nunc tamen, quia de literarum fortuna iam inciperem ſuſpicari; & ita illis in literis me recepiſſem eſſe facturum. Etenim res erat ea, quam te negligere non putarem, ut qui ultrò ad me de illa ſcripſeris: & iam tempus eſſe uidebatur, quo acciperem à te literas; & grauioribus denique in rebus, negligentiam, uel perfidiam tabellariorum hoc anno ſum expertus. Pollicebar autem fore, ut in poſterum ſæpius ad te ſcriberem, non modò, quod alia ex tuis, quam ex Venturini & Aloiſij fratris tui literis mihi intelligere uiderer: ſed quòd iucunda etiam fuit mihi uoluntas tua, quæ te impulit ad ſcribendum, & aditum à te atque uiam amicitiæ noſtræ inſtitutam perſequi deberem. Itaque, ut primùm facultas aliqua eſt uiſa ad te ſcribendi, nec dum à ueſtris hominibus, qui hîc negotiantur, de te aut ſuperioribus meis literis ſcire poſſem, eſſetque illo ipſo die quum hæc ſcriberem ab Aloiſio fratre tuo ad Roccum Valuaſſorem Anxani datæ literæ, quibus in literis mentio non erat ulla rerum noſtrarum; iteranda mihi duxi, quæ antè reſponderam,

ut meā apud te quaſi fidem liberarem, nec tu de mea uoluntate ignorare poſſes. Quare illud te rogo primùm, quod feci plurimi ex literis tuis, præcipueq́ue mihi petendum putaui, ut me ames: nec tam librorum, quos à me petierat frater tuus, & ego (nequid diſsimulem) uenire in lucem cupio: quàm ſtabiliendæ tecum amicitiæ cauſa hanc à me ſcriptam eſſe epiſtolam arbitrêre. Hoc ſi à te queam impetrare, uel potiùs, quia nihil eſt, de humanitate tua cur dubitare poßit quiſquam; ſic habeto de libris, me fidei tuæ rem omnem committere, ut omnino recuſare nolim, quæ ipſi tibi recta uidebuntur. ſiue enim tua, ſiue fratris, aut Venturini conditio placeat; ego nihil à uobis conſtitui arbitrabor, quod fidelius, aut amantius conſtituendum putem. Nihil igitur præcipuum à uobis petere ſum auſus, quos certè intelligo uſuros in me benignitate illa, quam ſolent in cæteros amicos, aut non male literatos homines, huiuſmodi rationes permittere. Denique ſeu tuas accipiam literas, antequam poteſtas erit mihi iterum ad te ſcribendi: ſeu quid maximè uelis, nondum planè factus ero certior: libros tamen, qui paucis diebus deſcripti erunt, ſtatim ad uos mittam. Illud oro te, quod mihi pollicebâre per literas, in quo uno ſunt omnia; ac denique tāti eſt, quanti res ipſa tota, ut quàm diligentißimè, rectißimeq́ue, ac pulcherrimè fieri poteſt, ac magis etiam penè, quàm poteſt, deſcribantur. Placuit mihi uehementer, quod ſcripſeras te facturum libentißimè, ut ipſe laborem ſumeres, nequa operarum negligentia,

gentia, aut erroribus hos libros aliqua ex parte contaminatos eſſe queri poßim. Hoc ut facias, tam te rogo, quàm ſi, ut ſolus meam in literis ac doctrinis omnibus exiſtimationem apud omnes homines tueri uelis, rogarem. Nihil tamen hîc me petere aliud exiſtimabis, niſi ut uoluntatem mihi accommodes tuā, ad quæ tuis in literis te dixiſti magno animo ſtudioſeque mea cauſa eſſe facturum. Studium uerò, ac maximarum rerum ſcientiam, & preter ius Ciuile, Romanam linguam, eloquentiam, ac rectißimè ſcribendi doctrinam, ſcio in te eſſe tantam, ut gaudeam uehementer hoc me aſſequutum eſſe, ut mea ſcripta ingenio tuo facta meliora, & iudicio ac labore doctis hominibus commendata eſſe uideantur. Quamobrem te oro etiam, & obteſtor, ut libenter hoc mea cauſa ſuſcipias; & hac in re tibi, non tam quid ſcientiæ & ingenij tui, quàm amicitiæ & humanitatis à te quid racio poſtulet, uidendum putes. Vale. Aſtunei. iiij. Non. Oct.

Carolo Bouio Aſtuneenſium Pont. Tridentum. CCxxxvij.

EX literis, quas ad Franciſcum Mellum ſcripſeras, dolui uehementer, quæ hactenus accidiſſent. noli quærere; moleſtias omnes, & incommoda ferre maluiſſem. Ea enim ſum natura, ijs moribus, ut ſi fieri quidem ſalua dignitate poßit, ridēdo magis, quàm puniendo, mihi iniurias omnes ulciſcendas putē. Nulla mihi res, ac ne ſtudia quidem, & noſtrę literæ, in

quibus

quibus uixi ſemper, tanti eſt, quanti officia in oẽs homines, & opinio, ſi quã aſſequi, uel tueri poßim innocẽtiæ potißimùm & humanitatis. Illum uerò, de quo ſcribis, et amaueram ſemper plurimũ tua cauſa; & animaduerti aliquando cariorẽ tibi eſſe factũ cõmendatione mea. Caue autem putes, nunc de mea in illũ uoluntate aliquid eſſe detractũ, niſi meæ manſuetudinis me & humanitatis oblitũ eſſe credas. Ac uellem deniq; fieri poſſet, ut à me nihil ex his rebus intelligeres, teque nihil tale ſuſpicãte, moleſtia ipſe liberarer. Sciunt fratres tui homines, mihi pro ſua humanitate coniunctißimi, quantum in eo laborârim, quanta patientia ſim uſus, quàm obſtinatè ſibi reſtiterim, nequid eiuſmodi ad te ipſi ſcriberent. Etenim uidebatur mihi id, quod ipſi negabant, ſola Iacobi uoluntate aut nutu poſſe fieri; ut, quæ ad meam duntaxat iniuriam pertinerent, omnia tollerentur. Qùum is me conuicijs exagitauiſſet etiam, quòd his te de rebus tontoperè uellẽ eßе celatum, impedimentoque fuerim, ne ipſe ad te ſcriberet; iuſsit, meamque ſibi dari fidem uoluit, me non commiſsurum, ut poſthac ampliùs tacerem. Hoc illi quum inuitus recepiſsem, dedi ſtatim non ad te (quod minimè uoluiſsem) ſed ad Cæſarem fratrem tuum literas; quibus rogarem, ſiquid nos poſſet adiuuare. Is mihi reſpondit rem totam eſſe neruorum & auctoritatis tuæ: & meas (quod ego magno redimerem, ne factum eſſet) ſimul ad te literas miſit. Quando igitur ita accidit, ut ea cognoueris, quæ ego nollem, fratreſque tui ſolam à te

opem

opem eſſe expectandam dicerent: binas ad te his de rebus dedi paulò antè non mei ſtomachi literas. Itaque pati decreueram potiùs, quęcunque accidiſſent, quàm tibi uno uerbo ex tantis hominum ineptijs & iniquitate moleſtiam afferre: ſed uide tamen, quid me commouerit. mihi perſuaſeram, idque fortaſſe im prudenter; ſed mihi tamen ita perſuaſeram, tuis in literis, quas profectò amanter ſcriptas iudicaui, nullum de iſtis hominibus, nullum de rebus quas ad te ſcripſeram, nullum de liberalitate animi mei dubium fore. Nunc uerò ita ſcribis, quaſi admonendus eſſem, ne alicuius afflictam fortunam atque inopiam nauci non facerem. Non tu quidem fortaſſe, hoc ita accipis omnino: uerùm neſcio, quid animus meus, & cupiditas etiam, atque opinio, quam de miſericordia mea magnam haberi uolo, cogit me ſuſpicari. Spero tamen falli ſuſpiciones meas, & iam diu tibi relictum eſſe nihil, quod poſsis aliquando uerius de meo animo iudicare. Equidem nihil in omni uita, mihi uolo eſſe ſanctius, quàm ut multis proſim: & omnibus cupiam illa etiam, quæ ipſe non poſsim. Hoc ſiquis aliter exiſtimat, doleo me teſtimonium habere noluiſſe literarũ Iacobi fratris tui, qui & poſtea ſe timere dixit, & nunc abeſt Brunduſii; nec ſi adeſſet, illum iſta uelim cogitare, quæ non arbitror tamen aliquando eſſe negaturum. Alexãdri uerò opera non ualde ſum uſus, quòd illi tres, quos in ſuperioribus dixi literis, quotidie illum deprecantur. quotidie dico? immo uerò totis diebus à XVIII. Cal. Sept. uſq; ad hũc diem ad

illius

illius genua deuoluuntur. Itaque miſeret me iuuenis optimi, cui nullum domi ſuæ reſpirandi liberum tempus datur, & inuitiſſimo ſtultis hominibus eſt aſſentiendum. Quamobrem de meis iniurijs, cæteriſque de rebus iam parciùs loquitur, quàm anno ſuperiore toto: & mecum agere coactus eſt etiam, ut Laurētū Molendinum orare uellē, ne uim, neſcio quam, iudicio perſequatur. Riſi me hercule, quod meum inimicum (ſic enim iocabar) à me adiutum uellet. is tamē ſignificatione quadam ac uultu præ ſe fert, non ſuam, ſed aliorum potiùs uoluntatem, quibus omnino deeſſe nolit, quando iam non poſsit. Hæc eò etiam ſcribere nunc ad te uolui, ut intelligas eſſe me, ac fore ſemper obſeruantiſſimum tui: &, quum te rectiſsimè cognouerim, ac profectò etiam rectiùs, quàm cæteri, ſtudioſiſſimum tuæ uoluntatis: etſi illorum trium, quos antè dixi, in me animum ac ſimultates, et omnino cęterorum quoque iſtorum hominum occulta ingenia, ſeditioſa, & in fratres tuos male animata non probo; Alexādri tamen his in rebus humanitate & perpetua in me beneuolentia, uehementiſſimè etiam delectari: & poſſe me, ſi uelim, rectiùs, quàm hactenus quiſquam, hoc totum negotium & multa, quæ latent, explicare. Sic tamen habeto, & nolle me hoc tempore, tametſi poſſim: &, ſi quando tibi ueniet in mentem, aliquid ex me, ut ſcire uelis; tum fore, ut nihil ampliùs recorder. Illud uolo tantùm in dictis ac factis omnibus eſſe mihi ſempiternum, ut plurimi faciam ſtudia ac uoluntatem tuam: dignuſque ſim, cui

Ff uelis

uelis credere; libentiſsimeque ea in opinione errem (ſi errare me credas) ut neminem eſſe arbitrer, tanta præſertim in ſtultitia ac barbarie hominum, cui ingenium & uirtus tua æquè, ac mihi, poßit eſſe cognita. Vale.

Fabio Latomo Medico. CCxxxviij.

AGO *nunc tibi cum paucis fortaſſe gratias. uehementer hoc mecum facere uelim, nec deſpero tamen facturos eſſe olim uniuerſos. Putabis enim tu illud etiam eſſe prudentiæ tuæ, efficere, ut ſtulti homines intelligere iam incipiant, quæ res agatur, & conſilium tuum. Incumbamus, obſecro te, ad hanc, mi Fabi, quam plurimi poſſumus, uoluntatem. Singulos etiam, ſiquos uidebitur, ad rem maximè neceſſariam excitemus. bonorum denique uirorum conſpiratio fiat, quibus adiutoribus, ſordidorum hominum atque improborum ſentinæ reſiſtamus, ut iam tandem aliquando ueterem ac fœdum exhauriamus ueternum ciuitatis. Spero hæc, etſi noua ſunt, id eſt nunquam ſtultis hominibus cogitata, illorumque ignauiæ ac ſordibus maximè contraria; fore tamen, ut facilè teneri poßint, et multos pudeat nobis repugnare. Aeſtate etiam proxima ſcis ad me ſcriptum eſſe à pleriſque hominibus, & laudata* ἐπανορθώματα *mea, ab iis præſertim, quibus tametſi nihil queat rectum perſuaderi, ac inimica eſt omnis elegantia; tamen ſatis eſſe credo, quod nobis non aduerſentur. Itaque illud modis omnibus prouidendum erit, ut non ſoli ſapere,*

pere, aut patriam amare, aut aliqua cū inuidia pauci rectiſsima in ſententia eſſe uideamur. Hactenus quidem prudentiſsimè à te actum eſt, feliciſsimeque ſucceſsit; quod optandum eſt, ut quandiu ſtabit hæc ciuitas, nunquam diſſoluatur. Deinceps uerò paulatim excutienda eſt alijs etiam à rebus hominum ſtupiditas; efficiendumque, ut cognoſcatur, iſto quidem religionis cultu, nullam ſtare diu poſſe ciuitatem. Si enim aſſequi tantum poterimus, ut paulò plures eſſe uideamur in cauſa; nonnulla in ſpe ſum, ut pecunia etiam ad ſacras ædes, & mœnia reſtituenda, quantā ego poſtulaueram, decernatur. Hoc, ſcio, reſpuent aures illorum hominum, qui aſsiduè ærarium depeculantur: qui uitam ſine quotidianis furtis nullam ſibi eſſe putant; quibus omne ſtudium eſt, ut pecuniā ciuitatis ad ſe, quamuis maximam, quamuis minimam, rapiant; quorum peruerſos animos, & alieniſſimas à patriæ commodis, & à religione uoluntates, prudentiæ eſſe tuę cogitabis rectiſsimè tractare. Illos enim aut blandiùs puto rogandos eſſe, nonnulla etiā ſæpius iniecta religione, uel metu ſiquis obſtare nobis uelit; aut (quia credo nullum his rebus, nullum pudori eſſe locum) diligentiſsimè cauendos, ne quas occultè inſidias moliantur. Nonnullis uerò cum hominibus ita agēdum erit aliquādo, ut ipſe noſti: hoc eſt, non quaſi ad res maximè neceſſarias ſint adducendi; ſed quaſi ad intuendum lumen ab inferis excitandi. Multorum enim, qui urbis noſtræ mœnia, qui ſordes & illuuiem uidere patiuntur, qui meam de legatis

orationem,meos de Pōtificatu uetere clamores, tuas & Marcelli fratris de templorum uiolatione querelas,ſine gemitu,ſine ſuſpirio,ſine lacrymis,audire poſſunt; quos eſſe ſenſus, quam eſſe uitam arbitramur? Qui tantorum delictorum pœnas,non dico metu aut cogitatione futuras non perhorreſcunt;ſed ne præſentibus quidem,uel agro à uicinis populis occupato,uel fœcunditate mulierum ac uirorum extincta, uel tanta dignitate amiſſa commouentur; nec pœnarum loco eas eſſe,nec expeti à ſe diuinitùs credunt;homines tu illos eſſe potes exiſtimare? Nam,Dij immortales, illi ipſi,quorum apud nos contempta religio eſt, quorum religionis magiſtros habere in ciuitate nolumus, de quorum templis iampridem ſentinas fecimus rerum fœdisſimarum; quò noſtra pœna diuturnior foret,illud etiam prouiderunt,ut pœnarum,doloris,turpitudinis,& communi ſenſu denique nos reliquorum hominum,priuarent. Quamobrem, doctißime Fabi, ſic tibi perſuade, nouam te ciuitatem,noua urbis mœnia inſtituere,non ut ij,qui ſuorum omnium opera et ſtudio nouas condunt urbes; ſed ita propemodum,ut qui in fabulis dicuntur, Lyræ ſono & cantu lapides ad ædificia mouiſſe. Sed huic epiſtolę non committā cætera; nec ingrediar ad quæ hæc me iam rapiebat oratio,quę meditabere ipſe tecum longiùs. Redeo igitur, ut cū paucis agam tibi gratias; teque horter ad quæ tua ſponte uideo te eſſe pulcherrimè incitatum. Cogita ad hæc,ſiquem potes alium commouere, non qui obtemperare conſilijs tuis, ſed ipſe tecum auctor

eſſe uideatur. Res eſt omnino artificij tui, id eſt comitatis, prudentiæ, orationis. nam quid eſt aliud arte muſica lapides mouere? Ita enim ſi fiat, ad illa etiam aliquando fortaſſe homines adducere poterimus, ad quæ non partem pecuniæ, ſed totum uelle patrimonium quoque meum donare, meque bonis ac fortunis omnibus euertere menſe Iunio dixi in oratione mea. Qui non credunt, periclitentur hanc meam uoluntatem: qui mirantur, ſciant me non eſſe ſtultum; & uidere ipſos etiam oporteret, quæ non uident. Tu bonis uiris, quos habes in cauſa, illud perſuadere ſtudebis (quod nefas eſſet dubitare) nihil de bonis perire cuiuſquã, quod uel priuatim, uel publicè religioni detur: cõtrà uerò hõies ipſos atq; urbes, hoc maximè florere, et æternas eſſe; hac rurſus maximè obſcurari, et interire, religio ſi iſto more contemnatur. His in rebus denique eſſe aliquid putarem, ex ueſtri ordinis hominibus Argentarij quoque ſtudium aliquod extare. Intelligis, quàm difficultatem res mihi habere uideatur: facere tamen uos omnia patriæ cauſa uelim. Hactenus uerò ipſe primus extitiſti eorum, quos uideo adhuc eßе nonnullos, & poſthac fore quàm plurimos, tuo conſilio, auctoritate, & opera confido. Vale. xij Cal. Decemb. Aſtunei.

Paulo Manutio Aldi. F. Romam. CCxxxix.

MISI ad te omnes eodẽ tẽpore meas huius anni epiſtolas. ſcripſit enim ad me Ioãnes Antonius Pallia cognitum ſe habere ex tuis literis, poſt mei fratris

tris diſceſsũ nihil te accepiſſe à me literarũ. Dolui, ut nulla de re magis, quòd epiſtolam tuam, quæ nihil putaui poſſe fieri ſuauius, intelligere non potuiſti, quo animo acceperim; & Aldo aliquid officij deberem. Res igitur mihi pulcherrimè ſucceſsit, ut quum maximè cuperem, maximeque opus eſſet, potuerim ab illo officioſiſsimus, à te gratiſsimus iudicari. Nunc tamẽ uide, obſecro te, ſimul ex multis, quas ad te ſcripſerim literis, quàm uel humanitatem tuã, uel Aldi mandata neglexerim. Denique illius quum eſse oporteret ad me literas, et mirarer ualde ſilentiũ utriuſq; ueſtrûm; ad Petrum Perpinianum ſcripſi doctũ hominem ac ſanctum, qui uos meo nomine rogaret, quid actum eſſet. Sed nunc mihi fortuna inuidit, ad Palliamque transtulit officium meum, quo antea libentiſsimè uſus ego fuerã. Is enim quaſi diuinaret amiſſas eſſe meas literas; & quæ Aldus me rogauerat, ad uos miſit, quæ non ignorabat me rogatum ab illo fuiſſe. Verùm illad ſaltem debeatur mihi, quod, ſi nõ à me; certè per me, quicquid fuit, accepiſtis. Pallia enim & acceperat à me ex ijs quædam, ut ego ab illo plura; & meis deinde ex literis cognouerat, ut me uobis quædam perſoluiſſe gauderem, ut quærerem adhuc perſoluta cumulare. nolo tam parua in re minùs frugi, parumque officioſus uideri. Extra iocum tamen, ſummè is à me diligitur. Studijs enim, humanitate, moribus, uita ex ijs eſt paucis, quos ego amare poſsim; tui etiam (quod ſcire te cupit) amantiſsimus. denique ſcio, dignum eſse iudicabis amicitia tua. Vale. Vriæ.

F I N I S.

A NAZ. ROM VITTORIO EM